DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS XXVII

IN LIBROS JOANNIS CASSIANI PRESBYTERI

De Institutis SS. Patrum, Collationes SS. Patrum

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCCIV

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

27

IN LIBROS JOANNIS CASSIANI PRESBYTERI

De Institutis SS. Patrum, Collationes SS. Patrum

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCIV





TRANSLATIO LIBRORUM

JOANNIS CASSIANI PRESBYTERI


BONORV̄ OPERV̄ GLORI
OSVS EST FRVCTVS.
D. DIONYSIVS CARTHVSIEN̄

D. DIONYSII

CARTUSIANI

TRANSLATIO LIBRORUM

JOANNIS CASSIANI

PRESBYTERI

AD STILUM FACILLIMUM

DE INSTITUTIS SANCTORUM PATRUM,

COLLATIONES SANCTORUM PATRUM

EX EDITIONE COLONIENSI

MELCHIORIS NOVESIANI, ANNI MDXL.

D. DIONYSII PRÆFATIO

D*ECLARATIO sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*. Ps. CXVIII, 130.

Sermones Dei non solum sunt Scripturæ canonicæ, sed etiam sanctorum Patrum atque catholicorum doctorum doctrinæ : quarum omnium declaratio seu expositio fidelium mentes illuminat, ad discernendum verum a falso, ad separandum pretiosum a vili, (*Jer.* XV, 19.) ad cognoscendum quomodo in via mandatorum Dei ambulare debeant. Intellectum quoque dat parvulis, puta humilibus. De quibus in Evangelio ait Salvator : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. (*Matth.* XI, 25.) Tales namque desuper illustrari merentur, sicut per Salomonem increata Sapientia loquitur : Si quis est parvulus, veniat ad me. (*Prov.* IX, 4.) Etenim teste Scriptura : Ubi humilitas, ibi et sapientia; ubi autem superbia, ibi et contumelia. (*Ibid.* XI, 2.)

Quamvis autem disponente piissime Spiritu Sancto, tota Scriptura canonica plano ac facili sit digesta sermone, quatenus ab universis facilius capiatur; quorumdam tamen Patrum sanctorum ac catholicorum doctorum volumina, non solum rhetorico, sed et difficili orationis stilo traduntur, ut in multis talium duplex invenitur difficultas, una phrasis, altera sensus : propter quod a simplicioribus aut vix aut difficulter intelliguntur. Ideoque posteri quidam zelo boni communis accensi, quosdam libros hujuscemodi stilo transtulerunt faciliori, quemadmodum abbas Vercellensis de libris divini ac magni, imo (ut verbis utar Damasceni) divinissimi sacratissimique Dionysii, egit.

Porro inter eos qui tam difficili stilo sunt usi, venerabiles ac devotissimi Patres æterna memoria digni Joannes Cassianus et Climacus exstant. Quorum libri, quum crebrius sola difficultate stili, interdum vero tam stili quam sententiæ difficultate, simplicem remorentur lectorem; idcirco eosdem ad stilum clarum atque facillimum, auxiliante superdulcissimo Spiritu Sancto, transferre intendo ac elucidare, accedente et me instigante ad hoc affectuosa humilique instantia venerabilium Patrum ac Fratrum meorum Cartusiensium prope Leodium, præsertim domini Jacobi Gruytrode eorumdem Prioris, viri benigni, docti, humilis ac devoti, et fratris Laurentii ejus Vicarii, magna mansuetudine ac diligentia decorati, qui hoc ipsum obnixius postularunt. Sed et ceteri ejusdem cœnobii Fratres ingenti caritate concordiaque connexi, ac spiritualis profectus desiderio inflammati, idem fervide rogaverunt. Præterea, ut confido (quod præfati quoque Patres ac Fratres mihi in Christo

carissimi asseruerunt), labor hujus translationis non erit inutilis, sed concedente Domino, fructuosus : quoniam difficultas intelligendi ea quæ leguntur, fructum lectionis non mediocriter tollit, aut etiam penitus impedit, imo et tædium parit, et multos avertit : quia dum vis intellectiva ad capiendum sensum valide occupatur, vis affectiva minus accenditur, juxta dictum illud commune : Quanto anima in actu unius potentiæ vehementius est intenta, tanto in aliarum potentiarum actibus fit magis remissa. Porro temperata characteris venustas et intelligendi facilitas, legentem et delectant et alliciunt ad legendum, ac ceteris paribus, mentem magis illuminant, et affectum salubrius validiusque inflammant, communitatique magis proportionate cognoscuntur.

Postremo, quoniam inter volumina Cassiani nunc transferenda, primum est de Institutis sanctorum Patrum; idcirco ab illo sumam exordium, et primo a prologo ejus.

TRANSLATIO XII LIBRORUM

DE INSTITUTIS SS. PATRUM

TRANSLATIO XII LIBRORUM

DE INSTITUTIS SS. PATRUM

QUORUM PRIORES QUATUOR DE CŒNOBIORUM SUNT INSTITUTIS,
OCTO AUTEM POSTERIORES DE OCTO VITIIS CAPITALIBUS.

PROLOGUS

SICUT tertio Regum libro legitur, sapientissimus Salomon quum tantam a Deo *III Reg.* III,
sapientiam accepisset, ut nemo ei ante similis fuisse, nec post futurus esse 12.
dicatur, quum præclarum Deo templum ædificare decrevisset, a rege Tyri, viro *Ibid.* VII,
gentili, petivit auxilium, et misso ad se mulieris viduæ filio nomine Hiram, ejus dispo- 13, 14.
sitione ac ministerio cuncta perfecit. Quum igitur rex Salomon universis regnis terræ
sublimior, et in Israelitica plebe nobilior (cujus sapientia desuper inspirata, omnium *Ibid.* IV, 30.
orientalium ac Ægyptiorum sapientiam et statuta devicit), dignatus sit uti consilio viri pauperis ac gentilis : recte tu, beatissime episcope Castor, hoc eruditus exemplo, qui verum ac rationabile templum Deo construere cupis, non ex insensibilibus saxis, sed ex sanctorum virorum congregationibus, templum (inquam) non temporale et corruptibile, sed æternum et inexpugnabile; qui etiam cupis Domino consecrare pretiosissima vasa, non ex inanimato auro atque metallo conflata, quæ rex Babylonis *Dan.* v, 2, 3.
concubinarum ac principum suorum possit voluptatibus applicare, sed ex animabus sanctis, quæ virtute innocentiæ, justitiæ ac castitatis fulgentes, Christum regem in cordibus suis habitantem circumferant : me egenum et ex omni parte pauperrimum, ad tanti operis expletionem dignatus es advocare. In provincia etenim tua tu cupiens fundare instituta monasteriorum partim orientalium, et maxime Ægyptiorum, quum tu ipse cunctis virtutibus atque scientia sis perfectus, et universis spiritualibus divitiis ita impletus, ut perfectionem desiderantibus, non solum tuus sermo, sed et sola conversatio tua, satis (imo et abundanter) sufficiat pro exemplo, me sermone elinguem et scientia pauperem rogas ut de inopia sensus mei aliquid tibi conferam, quo juveris ad exsequendum desiderium tuum; et præcipis ut instituta quæ in monasteriis Ægypti ac Palæstinæ observari conspeximus, secundum quod nobis a Patribus tradita sunt describam, non verborum quærens ornatum, in quo tu ipse excellenter edoctus es, sed

simplicem vitam Sanctorum simplici sermone Fratribus in novello monasterio tuo degentibus appetis explanari. In qua re, quantum me pius desiderii tui ardor ad obediendum tibi inclinat, tantum me variæ anxietatum magnitudines terrent. Primum, quoniam vita mea nequaquam tanti est meriti, ut confidam me res tam arduas, tam profundas et sanctas, digno posse corde comprehendere et effari. Secundo, quoniam ea quæ a pueritia nostra inter sanctos Patres illos constituti, atque eorum quotidianis exhortationibus et exemplis excitati, agere tentavimus, sive didicimus aut visu cognovimus, integre recordari non possumus, tot annis ab eorum consortio ac imitatione abstracti : præsertim quum harum rerum notitia nullatenus valeat otiosa meditatione, aut nuda verborum doctrina, tradi, intelligi, aut memoriter retineri. Totum namque in sola experientia consistit et usu. Et quemadmodum non nisi ab expertis res istæ queunt doceri, ita ab his tantum possunt intelligi qui condigno studio ac sudore eas sequi ac obtinere nituntur : quæ tamen rursus cito per mentis negligentiam amittuntur, nisi collatione assidua spiritualium virorum discussæ fuerint et politæ, sive expositæ. Tertio, quia id ipsum quod de prædictis possumus reminisci, non juxta dignitatem materiæ, sed secundum possibilitatem et statum temporis hujus, imperitior sermo non valet exprimere. Huc accedit, quod viri conversatione illustres, et eloquentia atque scientia gloriosi, multa modo opuscula de ista materia conscripserunt : S. Basilium et Hieronymum, ac alios quosdam dico. Inter quos Basilius, interrogantibus Fratribus de diversis quæstionibus ac statutis, sermone facundo ac sanctarum Scripturarum testimoniis abundante respondit; Hieronymus vero non solum suo præclaro ingenio composuit libros, sed et quosdam ex Græco transtulit in Latinum. Post quorum tam facunda et exuberantia documenta ac sapientiæ flumina possem non immerito de præsumptione notari, si aliquam stillam doctrinæ tentassem adjicere, nisi me ad hoc tuæ sanctitatis animaret fiducia, atque promissio qua dixisti, quod scripta hæc, qualiacumque forent, tibi essent accepta, vel ea congregationi Fratrum in novello tuo cœnobio commorantium solummodo deputares : qui pie legant, et cum venia sufferant, si quid forsan minus caute a nobis prolatum exstiterit, fidem sermonis mei magis quam venustatem eloquii exquirentes. Quapropter, beatissime Præsul, qui es unicum religionis et humilitatis exemplar, tuis precibus animatus, opus quod injungis, secundum vires ingenii mei aggrediar; et ea quæ a prædecessoribus nostris intacta omnino relicta sunt, utpote qui audita potius quam experta et visa descripserunt, rudi monasterio tuo et cunctis veritatem sitientibus intimabo. Nec mirabilia Dei atque prodigia recitabo : quæ licet multa et incredibilia per seniores nostros non solum audierimus, verum etiam propriis oculis conspexerimus fieri; tamen prætermissis his omnibus, quæ præter admirationem nil amplius ad instructionem vitæ perfectæ legentibus conferunt, instituta Patrum dumtaxat monasteriorumque regulas, origines quoque et, causas atque curationes principalium vitiorum, quæ octo ab eis assignantur, quantum Domino adjuvante potuero, fideliter explicare secundum eorum traditionem conabor. Propositum etenim meum est, non de mirabilibus Dei, sed de correctione morum nostrorum ad obtinendam vitæ perfectæ consummationem pauca disserere, secundum ea quæ a senioribus nostris accepimus. In hoc quoque satisfacere tuis præceptis studebo, ut si quid forte in istis regionibus institutum vel diminutum aut additum videro, non secundum morem majorum antiquissima institutione fundatum, sed secun-

dum arbitrium uniuscujusque cœnobii, id fideli sermone, vel addam, vel amputem, secundum regulam monasteriorum in Ægypto aut Palæstina antiquitus fundatorum. Nullatenus enim credo novellam congregationem in occidentalibus Galliarum partibus potuisse aliquid rationabilius aut perfectius reperire, quam sunt instituta quibus ab exordio apostolicæ prædicationis imbuta et fundata sunt a sanctis et spiritualibus Patribus cœnobia, quæ hucusque perdurant. Nihilo minus moderationem hanc huic opusculo insero, ut ea quæ secundum Ægyptiorum regulam impossibilia, vel dura aut ardua in regionibus istis probavero propter aeris asperitatem, aut morum difficultatem ac diversitatem, per instituta monasteriorum Palæstinæ seu Mesopotamiæ aliquo modo temperem. Quia si rationabilis ac discreta possibilitatis mensura servetur, eadem observantiæ perfectio invenitur etiam in impari facultate seu possibilitate.

LIBER PRIMUS

DE HABITU ÆGYPTIORUM MONACHORUM.

CAPITULUM PRIMUM.

Procemium.

De institutis ac regulis monasteriorum dicturi, ab ipso habitu monachorum convenientius, Deo præstante, incipiemus. Interiorem namque monachorum ornatum et cultum tunc poterimus consequenter exponere, quum exteriorem eorum ornatum ac habitum descripserimus ad oculum.

CAPITULUM II.

De cingulo monachi.

Luc. XII, 35. ITAQUE monachum accinctis lumbis oportet semper incedere, tanquam militem Christi jugiter positum in procinctu spiritualis pugnæ christianæ militiæ. Sic enim quarto Regum legimus incessisse eos qui in veteri Testamento monasticæ professionis fundaverunt primordia, utpote Eliam ac Eliseum; deinde principes et auctores novi Testamenti, videlicet Joannem Baptistam, et Petrum ac Paulum, ceterosque ejusdem Testamenti viros, legi-
A mus cinctos fuisse. Quorum prior, puta Elias (qui in veteri Testamento præfiguravit ac prætulit virginitatis flores et continentiæ ac castitatis exempla), quum missus fuisset a Domino ad increpandos IV *Reg.* I, 2-8.
nuntios Ochoziæ sacrilegi regis Israel, eo quod infirmitate detentus destinavit ad consulendum Beelzebub deum Accaron de statu suo, propter quod Elias prædixit impium regem illum de lecto ægritudinis suæ non descensurum; ab eodem rege est cognitus ex descriptione sui vestitus. Re-
B versos etenim ad se nuntios suos, et Eliæ sententiam sibi denuntiantes, interrogavit præfatus rex, cujus esset figuræ et habitus vir qui eis occurrit et se moriturum prædixit. Qui responderunt : Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renes. Ex quo habitu rex statim considerans hominem Dei, ait, Elias Thesbites est; zonæ indicio et pilosi incultique corporis dispositione, virum Dei indubitanter agnoscens : quoniam tempore illo Elias inter tot millia Israelitici populi habitans, tali vestitu ac
C corporis dispositione, tanquam speciali signo assidue usus est.

Denique, de Joanne Baptista, qui novi

ac veteris Testamenti quasi quidam sacratissimus terminus et finis atque initium
Matth. III, 4. fuit, ait Evangelista : Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. Petro quoque ab Herode incarcerato et die sequenti occidendo adsistens angelus, dixit :
Act. XII, 8. Præcingere, et calcea te caligas tuas. Quod angelus nequaquam admonuisset, nisi vidisset Petrum propter repausationem nocturnæ quietis fatigata membra sua laxasse, seu dissolvisse a solita cinguli
Ibid. XXI, 10, 11. circumligatione. Præterea Agabus propheta, Paulum apostolum ascendentem Jerosolymam et a Judæis paulo post vinculandum reperiens in Cæsarea, sublato cingulo Pauli, ligans ei manus ac pedes, quatenus gestu corporis sui præfiguraret injurias tribulationis ei imminentis, asseruit : Hæc dicit Spiritus Sanctus : Virum cujus est zona hæc, sic alligabunt Judæi in Jerusalem, et tradent in manus gentium. Quod a propheta Agabo nullatenus dictum fuisset, nisi Paulus zonam ad lumbos suos portare solitus exstitisset.

CAPITULUM III.

De veste monachi.

TALIS sit vestis monachi, quæ corpus ipsius tantummodo tegat, verecundiamque nuditatis repellat, frigoris quoque repellat læsionem ; non quæ vanitati aut elationi præstet fomentum, quum Paulus
I *Tim.* VI, 8. dicat apostolus : Habentes alimenta et operimenta, his contenti simus. Operimenta inquit, non vestimenta, ut in quibusdam Latinis codicibus improprie continetur, id est, quæ corpus operiant tantum, non quæ vestitus decore blandiantur ac placeant : ut sint tam vilia, quatenus nulla novitate coloris aut habitus inter ceteros emineant monachos ; sicque a studiosis accurationibus seu curiosis exornationibus sint aliena, ut tamen per incuriam seu negligentiam non sint affectatis sordibus decolorata et maculata ; postremo, sic ab omni mun-

A dano separentur ornatu, ut cultui servorum Dei, hoc est habitui monachorum, in omnibus communia perseverent et apta. Quidquid enim inter famulos Dei ab uno vel paucis præsumitur, nec catholice seu generaliter per totam fraternitatem tenetur, aut superfluum est, aut elatum atque culpabile, magisque vanitatis quam virtutis speciem monstrat.

Idcirco exempla quæ nec ab antiquis Sanctis qui monachalis professionis fundatores fuerunt, neque a Patribus tempo-
B ris nostri qui antiquorum instituta nunc usque custodiunt, tradita vidimus, nos quoque tanquam superflua et inutilia convenit resecare. Quamobrem penitus respuerunt cilicium, tanquam suspectum vel circumspectum a cunctis, et famatum atque notabile ; et quod ex hoc ipso non solum nullas possit spiritui nostro utilitates conferre, imo potius ad elationis vanitatem inducere ; quod etiam ineptum efficit hominem ad necessarii operis usum, in quo necesse est monachum impigrum semper
C esse et expeditum. Quod si quosdam cilicio usos audivimus fuisse veraciter virtuosos, non idcirco ex hoc sumenda aut instituenda est nobis generalis monasteriorum regula, neque ex hoc perturbanda aut omittenda sunt antiqua sanctorum Patrum decreta. Quod tamen pauci ex aliarum virtutum suarum privilegio præsumentes, creduntur redarguendi non esse in his quæ non secundum communem regulam facere usurparunt. Generali namque omnium ordinationi, paucorum sententia præ-
D poni non debet nec præjudicare. Illis quippe institutis ac regulis indubitatam fidem obedientiamque indiscussam præbere debemus per omnia, quas induxit non paucorum voluntas, sed quas per tempora tam antiqua innumerabilis multitudo Sanctorum concordi determinatione posteris propagavit. Nec hoc præjudicare seu derogare nobis debet quantum ad quotidianæ conversationis nostræ exemplum, in qua cilicina veste non utimur, quod Jo- IV *Reg.* VI,
ram sacrilegus rex Israel, hostibus circum- 30.

vallatus cilicio fuisse indutus intrinsecus legitur, quod veste sua scissa apparuit; vel quod Ninivitæ ad mitigandam sententiam iræ Dei in eos latam per Jonam
Jonæ III, 5. prophetam, cilicio sunt operti : quoniam Joram tam secrete intrinsecus eo fuit indutus, quod a nemine poterat sciri, nisi scisso indumento ejus exteriori; Ninivitæ quoque tunc se cilicio afflixerunt, quando omnibus eis propter imminentem urbis subversionem lugentibus, pariformiterque cilicio coopertis, nullus eorum potuit ab aliquo de ostentatione notari. Etenim nisi insolens exstet diversitas, non offenditur ex ea æqualitas.

CAPITULUM IV.

De cucullis monachorum.

SUNT præterea quædam in Ægyptiorum habitu monachorum magis ad morum informationem quam ad corporis necessitatem spectantia, per quæ simplicitatis ac innocentiæ observantia in ipsa qualitate vestitus eorum designetur ac teneatur. Indesinenter namque diebus ac noctibus utuntur cucullis permodicis usque ad cervices et superiorem humerorum partem extentis, eorumque capita tantum operientibus : quatenus innocentiam et simplicitatem parvulorum custodire admoneantur ex dispositione atque velamine habitus hujus; sicque reversi ad infantiam seu innocentiam Christi, cum affectu et virtute cunctis horis opportunis decantent :
Ps. CXXX, 1. Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, etc.

CAPITULUM V.

De colobiis eorum.

COLOBIIS quoque lineis vix usque ad cubitorum extrema pertingentibus induti, nudas de reliquo portant manus : quatenus manicarum abscissio suggerat eis quod actus et opera mundi hujus amputata esse debeant ab ipsis; atque per indumentum linei velaminis doceantur quod ab omni conversatione terrena debeant esse mortificati, audiantque per hoc Apostolum quotidie eis dicentem : Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Coloss. III, 5.
Illud etiam prætacto eorum habitu protestante, quod idem ait Apostolus, Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; et iterum, Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus; itemque, Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. (Ibid. 3. — Galat. II, 20. — Ibid. VI, 14.)

CAPITULUM VI.

De rebrachiatoriis eorum.

GESTANT etiam resticulas duplices laneo subtemine plexas, quas Græci ἀναβολάς vocant, nos vero succinctoria, seu redimicula, vel proprie rebrachiatoria possumus appellare. Quæ descendentes per summa cervicis et e lateribus colli divisæ, utrarumque alarum, hoc est amborum brachiorum, ambiunt sinus, et eos hinc inde succingunt : ut constringentes latitudinem vestimenti, illud ad corpus contrahant et conjungant; sicque constrictis brachiis, impigri et expediti ad omne opus monachale reddantur, illud præceptum Apostoli studentes tota virtute implere : Non solum mihi, sed et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione, die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus. Et : Si quis non vult laborare, nec manducet. (Act. XX, 34. — II Thess. III, 8. — Ibid. 10.)

CAPITULUM VII.

De mafortibus eorum.

POST hæc, colla sua et humeros angusto tegunt palliolo, tam humilitatem amictus quam pretii parvitatem in hoc ipso sectantes : quæ palliola appellantur

mafortes, tam nostro quam illorum elo- A quio. Sicque declinant et vitant planeticarum birrorumque pretia et ambitionem.

CAPITULUM VIII.

De melote et pelle caprina.

ULTIMO, habitus eorum est pellis caprina, quæ melotes vel pera vocatur; baculus quoque. Quæ gestant ad imitationem eorum qui monasticæ professionis virtutes præfiguraverunt in veteri Testa- B
Hebr. XI, 37. mento. De quibus Apostolus : Circuierunt, inquit, in melotis, in pellibus caprinis, etc. Qui habitus pellis caprinæ significat eos debere in summa virtutum gravitate consistere, mortificata omni petulantia carnalium passionum; nec quidquam lasciviæ, aut caloris juventutis, seu pristinæ mobilitatis, in eorum corporibus residere.

CAPITULUM IX.

De baculo.

BACULOS quoque portasse sanctos viros præfatos Eliseus, qui unus eorum est, testatur, quum ait ad Giezi ministrum suum, mittens eum ad suscitandum
IV Reg. IV, 29. filium mulieris Sunamitidis : Tolle baculum meum, et currens vade, et pone eum super faciem pueri, ut vivat. Quem utique baculum non dedisset ei Propheta ad gestandum, nisi ipsemet solitus fuisset eum propriis manibus bajulare. Quæ gestatio D admonet eos ut nunquam incedant inermes inter tot oblatrantium vitiorum motus caninos, ac spiritualium nequitiarum invisibiles bestias (de quibus beatus David
Ps. LXXIII, 19. liberari desiderans, dicit : Ne tradas, Domine, bestiis animam confitentem tibi), sed irruentes in se bestias istas debere retundere ad crucis vexillum, longiusque repellere, atque adversus se sævientes exstinguere jugi memoria dominicæ passionis et imitatione ipsius.

CAPITULUM X.

De calceamentis eorum.

CALCEAMENTA vero tanquam evangelico præcepto prohibita recusantes Matth. X, 10. portare, caligis tantum suos muniunt pedes, dum hoc infirmitas corporis, aut matutinum hiemis frigus, aut meridianus solis ardor exegerit : hoc caligarum usu asserentes ex Christi permissione signari, ut si in mundo hoc constituti omnimode exuti esse non possumus a cura et sollicitudine carnis, nec ab ea penitus absolvi valemus, necessitatem corporis saltem occupatione levi implicationeque tenui expleamus, ne mortiferi sæculi hujus curis permittamus involvi pedes sive affectiones animæ nostræ (qui ad spiritualem cursum atque ad prædicandam Evangelii pacem parati esse semper debent et expediti; quibus currimus post odorem un- Cant. I, 3 guentorum Christi; et de quibus loquitur David, Cucurri in siti; et Jeremias, Ego Ps. LXI, 5.
C autem non laboravi te sequens) cogitando Jer. XVII, 16. juxta LXX. de his quæ pertinent non ad supplendam necessitatem naturæ, sed ad superfluam atque culpabilem voluptatem. Quod ita implebimus, si juxta doctrinam Apostoli, curam carnis non fecerimus in deside- Rom. XIII, 14. riis. Quibus tamen caligis quamvis licite utantur, utpote Christi permissione concessis, nequaquam tamen permittunt eas in pedibus suis, quando accedunt ad celebranda seu peragenda aut suscipienda sacrosancta mysteria, hoc est dominica sacramenta; æstimantes etiam ad litteram custodiri debere quod ad Moysen ac Josue dictum est : Solve corrigiam calceamenti Exod. III, 5; Josue V, 16. tui; locus enim in quo stas, terra sancta est.

CAPITULUM XI.

De temperamento observantiæ secundum aeris qualitatem vel provinciæ usum.

HÆC dicta sunt, ne de Ægyptiorum monachorum habitu præteriisse aliquid videamur. Porro a nobis illa tantum-

modo sunt tenenda, quæ vel situs locorum, vel provinciæ usus admittit : quia nec caligis, neque colobiis, nec tunica unica, asperitas hiemis permittit nos esse contentos. Parvissimi quoque cuculli velamen gestatioque melotes, derisum magis quam ædificationem videntibus facerent. Quapropter inter illa quæ supra commemoravimus, illa tantum a nobis affectanda et imitanda judicamus, quæ humilitati nostræ professionis et qualitati aeris congruunt : quatenus tota summa nostri vestitus in vilitate honesta consistat, non in B novitate habitus qui possit hominibus sæculi hujus offendiculum generare.

CAPITULUM XII.

De cingulo spirituali, et significatione ipsius.

HIS itaque vestimentis miles Christi indutus, sciat in primis idcirco se zona præcinctum, ut ad universos usus ac opera monasterii non solum mente promptus, C sed etiam habitu corporis expeditus semper incedat. Tanto namque circa spiritualem profectum ac divinorum scientiam erit in cordis puritate ferventior, quanto circa obedientiæ et operis studium inve- A nietur devotior. Secundo, agnoscat in usu cinguli magnum latere mysterium, cujus adimpletio ab ipso exigitur. Accinctio namque lumborum et mortuæ pellis gyratio significat eum circumferre mortificationem membrorum in quibus libidinis atque luxuriæ seminaria continentur, intelligens evangelicum illud, Sint lumbi vestri præcincti, apostolica expositione sibi injungi, quum dicitur : Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam. Ideo illos dumtaxat in Scripturis sanctis legimus cingulo fuisse præcinctos, in quibus seminaria libidinis erant exstincta : qui cum sancto David virtute ac opere psallunt, Quia factus sum sicut uter in pruina ; eo quod edomita et erasa medullitus carne peccati, extendam velut emortuam exterioris hominis cutem per spiritus gratiam ac virtutem. Idcirco notanter addidit, In pruina : quia videlicet nequaquam fuit cordis mortificatione contentus, sed exterioris quoque hominis motus et incentiva naturæ, pruina continentiæ extrinsecus accedente, habuit congelata ac refrenata ; nullum jam regnum peccati in suo mortali corpore, juxta Apostolum, sustinens, nec gerens carnem spiritui repugnantem.

Luc. XII, 35.
Coloss. III, 5.
Ps. CXVIII, 83.
Rom. VI, 12.
Galat. V, 17.

LIBER II

DE CANONICO NOCTURNARUM ORATIONUM ET PSALMORUM MODO.

CAPITULUM PRIMUM.

Procœmium.

DUPLICI ergo cingulo de quo diximus, miles Christi præcinctus, consequenter agnoscat qui modus canonicarum orationum atque psalmorum sit a sanctis Patribus in partibus orientis statutus. Porro de qualitate orationum, et qualiter secundum Apostolum [sine intermissione] (I Thess. v, 17.) orare debemus, suis in locis, quantum Deus donaverit proferemus, quum seniorum collationes explanare cœperimus.

CAPITULUM II.

De diversitate numeri qui ad psalmos dicendos per universas provincias sit statutus.

MULTOS namque per alias invenimus regiones, habentes (ut ait Apostolus) (Rom. x, 2.) zelum Dei, sed non secundum scientiam, diversos modos ac regulas sibimet constituisse juxta conceptum mentis suæ super hac re, utpote de numero psalmorum in divino Officio dicendorum. Quidam namque statuerunt singulis noctibus viginti aut triginta psalmos esse dicendos, cum interpositione melodiæ antiphonarum et adjunctione quarumdam modulationum; alii vero hunc numerum excedere tentaverunt; nonnulli decem et octo psalmos asseruerunt dicendos : atque in hunc modum in locis diversis diversam regulam vidimus institutam, et pene tot typos et regulas novimus usurpatas, quot monasteria cellasque conspeximus. Sunt quibus

A visum est ut in ipsis diurnis orationum Officiis, id est in Tertia, Sexta, et Nona, numerus orationum et psalmorum coæquetur secundum horarum modum in quibus Deo ista Officia redduntur; quibusdam vero placuit sex psalmos in singulis Horis esse dicendos. Hinc necessarium reor antiquissimam Patrum institutionem proferre in medium, quæ nunc usque per totam Ægyptum a Dei famulis seu monachis custoditur, quo rudis infantia novelli in Christo monasterii instruatur potissime vetu- B stissimis antiquissimorum institutionibus Patrum.

CAPITULUM III.

De custodia uniformis regulæ per totam Ægyptum, et de electione eorum qui Fratribus præponuntur.

ITAQUE legitimum modum orationum in vespertinis seu nocturnis Officiis vidimus observari per universam Ægyptum C atque Thebaidem, ubi monasteria instituuntur usque in hodiernum diem, vel permanent aut mansura fundantur, non juxta arbitrium uniuscujusque renuntiantis, sed secundum traditiones majorum per successiones. Non enim quisquam præesse permittitur congregationi Fratrum, imo nec sibimetipsi, priusquam non solum universis facultatibus suis renuntiet, sed insuper recognoscat se proprii juris non esse, sed omnes in se potestatem habere. Renuntiantem quippe huic sæculo D et aliquid possidentem, sic oportet claustri ingressum expetere, ut ex his quæ reliquit aut cœnobio contulit, in nullo

sibimet blandiatur : imo sic omnibus studeat obedire, quatenus juxta Christi doctrinam, sciat redeundum sibi esse ad infantiam pristinam seu parvulorum innocentiam, nihil sibi præsumens ex multitudine annorum quos in sæculo infructuose consumpsit ac perdidit, sed etiam junioribus subdere se non tardet propter exiguitatem meriti rudimentorum suorum, et novitatem spiritualis militiæ quam se in Christi obsequio subisse fatetur. Operum quoque et laborum sudores tam mansuete assumere cogitur, ut juxta præceptum Apostoli, quotidianum victum sibi vel advenientium necessitatibus propriis manibus procurans ac præparans, obliviscatur pompam atque divitias vitæ præteritæ, humilitatemque cordis afflictione laboris possit acquirere.

Matth. XVIII, 3.

I Thess. IV, 11.

Idcirco nullus ad præsidendum congregationi Fratrum eligitur, nisi prius obediendo didicerit quid et qualiter subditis debeat imperare, institutisque seniorum agnoscat quid junioribus habeat tradere. Siquidem bene regere ac bene regi, sapientis esse Patres sancti pronuntiant, ac maximum donum Spiritus Sancti esse utrumque definiunt. Nam credunt neque salutaria præcepta quempiam posse præfigere subditis, nisi prius fuerit universis virtutum disciplinis instructus; nec aliquem posse seniori in omnibus obedire, nisi in timore Dei et humilitate perfectus exstiterit. Ideoque diversos typos ac regulas per alias provincias vidimus usurpatas, quia frequenter ignorantes Patrum institutiones, monasteriis præesse audemus, et prius nos profitentes esse abbates quam discipulos, quod nobis placuerit, ordinamus, promptiores nostrarum adinventionum observationem exigere, quam examinatam Patrum doctrinam tenere.

Sed dum explicare intendimus quis modus orationum debeat potissime custodiri, institutis Patrum ardentius provocati narrationem prævenimus quam suis locis reservabamus. Nunc itaque ad propositum revertamur.

CAPITULUM IV.

Quod per Ægyptum et Thebaidem duodenarius numerus psalmorum observetur.

IGITUR per universam (ut diximus) Ægyptum atque Thebaidem duodecim psalmi dicuntur, tam in vespertinis quam in nocturnis Officiis, ita dumtaxat ut post numerum istum psalmorum duæ lectiones sequantur, una veteris Testamenti, alia novi. Qui modus antiquitus constitutus, idcirco per tanta tempora inviolatus servatur in cunctis illarum provinciarum cœnobiis, quoniam non humana adinventione a senioribus est statutus, sed angelico magisterio Patribus est collatus.

CAPITULUM V.

De duodenario numero psalmorum, angeli traditione suscepto.

QUUM enim in principio fidei christianæ pauci ac probatissimi monachi vocarentur, qui sicut a B. Marco evangelista primo Alexandrinæ urbis episcopo, vivendi regulam acceperunt, non solum servabant magnifica illa virtutum exercitia quæ primitiva Ecclesia in Actibus Apostolorum legitur custodisse (quum dicitur : Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia : quotquot enim possessores domorum aut agrorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum; dividebatur autem singulis prout cuique opus erat); verum etiam multo sublimiora his adjecerunt. Recedentes namque a populo in secretiora suburbiorum loca, in tanto abstinentiæ rigore vixerunt, ut etiam infideles mirarentur tam arduam professionem conversationis eorum. Tanto enim fervore divinarum lectionibus Scripturarum, et orationibus manuumque operibus insiste-

Act. IV, 32, 34, 35.

A bant diebus ac noctibus, quod nec appetitus neque memoria escarum, defectum corporis demonstravit in eis, nisi secundo aut tertio die; cibum quoque ac potum non ex desiderio, sed ex necessitate sumpserunt, et non nisi post solis occasum, ut tempus diei ac lucis sociarent cum spiritualium meditationum studiis, refectionem vero curamque corporis cum nocte. Sed et alia multo his sublimiora perfecerunt : de quibus ex ecclesiastica historia potest doceri, qui ex indigenarum relatione veritatem minus agnovit. B

Eo igitur tempore, quum perfectio primitivæ Ecclesiæ in successoribus suis adhuc recenti Christi memoria duraret inviolata, et fervens paucorum fides necdum in multos dispersa tepuisset, venerabiles Patres posteris providentes, convenerunt tractaturi quis modus in quotidiano Dei obsequio universis Fratribus præfigi deberet, ut hereditatem pietatis et pacis ab omni dissensionis lite absolutam successoribus suis transmitterent : metuentes ne aliqua dissonantia aut varietas in quotidianis obsequiis C inter viros ejusdem religionis et cultus exorta, tandem in posteros emitteret germen erroris vel æmulationis aut schismatis. Quumque unusquisque secundum suum fervorem, immemor infirmitatis alienæ, id ordinandum censeret quod juxta fidem suam ac fortitudinem judicabat facillimum, parum considerans quid universitati Fratrum generaliter esset possibile, in qua universitate major pars est infirma; immoderatam psalmorum multitudinem quidam instituerunt dicendam, D secundum animi sui virtutem. Quumque alii quinquaginta, alii sexaginta, alii autem adhuc plures psalmos esse dicendos assererent, essetque inter eos pro regula religionis sancta diversitas piæ contentionis, ita ut tempus vespertini Officii jungeretur sacratissimæ quæstioni ; volentibus eis quotidianos orationum modos exsolvere, unus surrexit in medio psalmos Domino cantaturus. Quumque sedentibus cunctis, ut nunc usque in Ægypti partibus moris est, et eis in verba psallentis cum omni cordis attentione defixis, cantasset undecim psalmos orationum admixtione distinctos pari pronuntiatione versibusque continuis, duodecimum psalmum sub Alleluia responsione consummans, ab universorum oculis repente disparens, quæstioni et cærimoniis simul finem imposuit.

CAPITULUM VI.

De consuetudine duodecim orationum.

Ex hoc venerabilis Patrum conventus intelligens generalem regulam congregationum Fratribus constitutam angelico magisterio non absque ordinatione divina, decrevit numerum istum psalmorum tam in vespertinis quam in nocturnis Officiis esse custodiendum. Quibus duas addiderunt lectiones, unam veteris Testamenti, aliam novi, tanquam a se traditas et extraordinarias, ut volentes Fratres divinarum Scripturarum possiderent memoriam, et assidua meditatione atque pervigili diligentia studerent in eis. Porro in sabbato et die dominica utrasque lectiones de novo recitant Testamento, videlicet unam de Apostolo vel Actibus Apostolorum, de Evangeliis aliam. Quod etiam omnibus diebus Quinquagesimæ faciunt hi quibus cura est lectionis aut memoriæ Scripturarum.

CAPITULUM VII.

De disciplina orandi.

Has ergo prædictas orationes sic incipiunt et consummant, ut psalmo finito non statim genua flectant, quemadmodum in regione hac faciunt quidam, qui psalmo necdum bene finito, ad orationem festinant procumbere, ad celeritatem missæ quantocius properantes. Cujus dum

volumus excedere modum a majoribus A antiquitus institutum, supputantes numerum residuorum psalmorum, ad finem tendere perurgemus, de refectione lassi corporis potius cogitantes, quam orationis utilitatem ac commoda requirentes. Porro apud illos non ita est, sed antequam flectant genua, orant paulisper, et stando in oratione majorem temporis partem expendunt; atque post hæc brevissimo puncto procidentes in terram et adorantes divinam clementiam, velocissime surgunt, ac rursus erecti, suis orationibus intentius B immorantur expansis manibus eodem modo quo antea stando orantes. Asserunt namque in terram prostratum diutius, non solum gravari somno, sed etiam distractionibus mentis. Quod verum esse utinam non etiam experientia et quotidiana consuetudine nosceremus, qui frequenter prostrationem in terram prolongari optamus, non tam orationis et devotionis quam corporalis repausationis intuitu. Quum autem is qui orationem finiturus est, de terra surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita C ut nullus præsumat genua flectere antequam ille inclinetur seu genua flectat, nec in prostratione manere postquam ipse surrexerit, ne videatur potius propriam precem fudisse, quam illius orationem et laudem esse secutus.

CAPITULUM VIII.

De oratione sequente post psalmum.

ILLUD quoque nunquam in toto oriente conspeximus, quod in ista provincia vidimus, ut uno psalmum cantante, omnes qui adstant in fine psalmi cum clamore cantent : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sed psalmo ab eo qui cantat finito, vidimus ibi cum omni silentio orationem psalmo succedere, et glorificationem summæ Trinitatis cum antiphona tantummodo terminari.

CAPITULUM IX.

De modo et statu orationis, de quo in Collationibus Patrum plenior reservatur instructio.

ET quoniam ordo narrationis perduxit nos ad modum orationum canonicarum consequenter institutarum, quarum tractatum quamvis reservemus Collationibus seniorum, ibidem inde plenius locuturi quum de earum qualitate seu perpetuitate loqui cœperimus ex verbis eorum, necessarium tamen arbitror etiam in præsenti de hoc pauca perstringere propter opportunitatem loci atque narrationis, quoniam ita se offert occasio : quatenus interim describentes exterioris hominis motus, et quasi fundamenta quædam orationis ponentes, minori labore post hæc orationum celsitudinem doceamus quum de statu interioris hominis cœperimus pertractare. Illud in primis providentes, ut si nos præveniens finis vitæ præsentis excluserit ab illa narratione in Collationibus præstante Domino facienda, relinquamus saltem initia rei tam necessariæ nobis in præsenti opere, his quibus totum videtur tardum seu nimis differri præ ardore desiderii sui, ut dum nobis tribuuntur induciæ hujus dilationis, quasdam saltem orationum lineas tantisper præostendamus, quibus valeant aliqualiter informari hi maxime qui in cœnobiis commorantur. Providentes etiam his qui hunc librum forsitan solum visuri, ad librum D Collationum Patrum non poterunt pervenire : quatenus instructione præsenti, circa orationis qualitatem inveniantur saltem ex parte edocti; et quemadmodum de habitu et vestitu exterioris hominis sunt instructi, sic etiam sciant qualiter ad offerenda spiritualia sacrificia eum debeant exhibere. Etenim hi libelli quos nunc, Deo juvante, compilare disponimus, ad exterioris hominis observantiam cœnobiorumque institutionem aptius pertinent. Porro libri Collationum magis spectabunt

ad interioris hominis disciplinam et cordis perfectionem, anachoretarumque vitam ac disciplinam. A

CAPITULUM X.

Cum quanto silentio et brevitate orationes apud Ægyptios finiantur.

QUUM igitur prædictas orationes canonicas, quas ipsi vocant synaxes, persoluturi conveniunt, tantum ab universis præbetur silentium, ut tanta Fratrum mul- B titudine conveniente in unum, nullus hominum adesse credatur præter eum qui psalmum in medio decantaturus exsurgit, atque præcipue dum completur oratio. Non in ea sputum emittitur, non exscreatio obstrepit, nec tussis intersonat; non oscitatio aut somnolentia dissutis et hiantibus maxillis se admiscet; nulli gemitus, nulla suspiria quibus impediantur adstantes, erumpunt; nulla vox nisi sacerdotis orationem concludentis auditur, nisi forte quæ per excessum mentis effugerit ja- C nuam oris, et quæ insensibiliter inciderit cordi excessivo atque intolerabili fervore Spiritus Sancti accenso, dum ea quæ inflammata mens in se continere non valet, per quemdam ineffabilem gemitum ex intimo pectoris sui effundere cogitur. Denique constitutum in mentis tepore et cum clamore seu sibilo oris orantem, dupliciter peccare pronuntiant : primo, quoniam negligenter orat, propter quod exaudiri indignus est; secundo, quoniam indisciplinato strepitu interrumpit sensum D alterius, qui intentius eo forsan oraret. Ideo Patres præcipiunt orationem celeriter terminari, ne forte immorantibus nobis in ea, abundantia sputi aut phlegmatis interrumpat orationis nostræ excessum. Idcirco dum adhuc fervet, velociter rapienda est quasi de faucibus inimici, qui quum sit nobis semper infestus, tunc procul dubio adsistit infestior, quum viderit nos Deo preces offerre contra ipsum. Unde tunc mentem nostram ab orationis attentione festinat abducere, et a concepto fervore tepefacere eam conatur per cogitationes extraneas redundantiamque humorum. Quapropter utilius judicant breves quidem, sed creberrimas orationes Deo offerri : creberrimas, inquam, quatenus frequentius exorando, adhærere Deo jugiter valeamus; breves autem, ut succincta brevitate vitemus jacula inimici, quæ nobis tempore orationis infligere potissime nititur.

CAPITULUM XI.

Qua disciplina psalmi dicantur apud Ægyptios.

HINC psalmos quos in congregatione decantant, continuata pronuntiatione non finiunt, sed eos distinctim atque particulatim consummant, juxta numerum versuum duabus vel tribus incisionibus divisos. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentia delectantur, illud Apostoli tota virtute implentes : Psallam spiritu, psallam et mente. (1 Cor. xiv, 15.) Idcirco utilius reputant decem versus cum rationabili assignatione cantari, quam totum psalmum cum mentis confusione proferri : quæ interdum ex pronuntiantis festinantia generatur, qui dum modum ac numerum residuorum psalmorum qui decantandi sunt pensat, non studet distinctionem sensuum audientibus pandere, sed ad finem Officii properat pervenire. Insuper, si aliquis juniorum cœperit modum decantationis psalmorum excedere ex spiritus sui fervore, aut quoniam nondum est institutus in religione, progressio ejus prohibetur senioris aliquo plausu, quem faciens manu sua in sede qua sedet, cunctos facit ad orationem consurgere : omnimode providens ne tædium aliquod generetur sedentibus ex prolixitate psalmorum, et ne is qui psalmos decantat, non solum per se ipsum intelligentiæ fructum amittat, sed etiam occasione eorum incidat gratiæ detrimentum, quos sua nimietate facit incurrere fastidium psalmodiæ aut cultus

divini. Illud quoque apud eos cum omni diligentia custoditur, ut in responsione Alleluia, nullus psalmus dicatur, nisi qui habet pro titulo, Alleluia. Prædictum vero duodenarium numerum psalmorum sic dividunt, ut si duo fuerint Fratres psalmos dicturi, uterque eorum psallat sex psalmos; si tres, quilibet psallat quatuor psalmos; si quatuor Fratres, quilibet dicat tres psalmos. Nec unquam pauciores psalmos aliquis in congregatione decantat; ac proinde quantumcumque magna Fratrum multitudo convenerit, nunquam plures pariter psallunt in synaxi quam quatuor Fratres.

CAPITULUM XII.

Cur uno psallente, ceteri in synaxi sedeant; et quali studio post usque ad lucem servent vigilias in cellulis suis.

HUNC sane canonicum numerum psalmorum duodenarium quem prædiximus, cum tali repausatione corporis audiunt, ut præfatas congregationum psalmodias Deique cultum ex more agentes, cuncti super humillima sedilia sedeant, præter eum qui psalmos dicturus surgit et stat in medio, cujus vocem tota cordis attentione advertunt. Sic namque jejuniis atque operibus totius diei ac noctis lassantur, quod prædictum psalmorum numerum usque ad finem audire non valent, nisi hujuscemodi quiete juventur. Nullum etenim tempus absque operis exercitatione vacuum transire permittunt : quia non solum diurnum tempus manibus instanter operando expendunt, sed illa quoque opera mente sollicita inquirunt ac faciunt quæ in densissimis noctis tenebris fieri queunt, credentes se ad contemplationem tanto puriorem pertingere, quanto devotius fuerint circa studium operis ac laboris intenti. Et ideo mediocrem numerum canonicarum orationum putant divinitus institutum, ut spatium quo se infatigabilis cursus virtutis eorum extenderet et levaret, servaretur ardentioribus actibus et A contemplationibus fidei, nec tamen fessis et infirmis eorum corporibus gigneretur de nimietate operis ac laboris fastidium. Hinc canonicis orationibus ex more finitis, ad cellulas suas regressi, idem orationum Officium tanquam peculiare sacrificium rursus diligentius offerunt Deo in cellis : quas vel soli vel cum alio tantum inhabitare sinuntur, ut insimul habitent quos societas operationis, aut discipulatus ac disciplinæ instructio, aut certe similitudo virtutum, compares fecit. Nec ulterius quis- B quam eorum in somnum resolvitur, donec superveniente luce diei, nocturno operi ac meditationi operatio succedat diurna.

CAPITULUM XIII.

Quare post missam nocturnam dormiendum non sit.

QUEM laborem idcirco cum omni diligentia propter duas causas observant, satagentes cum tota industria sacrificium C Deo offerre de fructu manuum suarum : quod nos quoque cum eadem diligentia convenit observare, si perfectioni studemus. Prima causa est, ne purificationem nostram nocturnis psalmis acquisitam, rursus contaminet aliqua somnii illusione lividus inimicus nostræ invidens puritati, cui maxime semper insidiatur atque indesinenter infestus est : qui sollicitius nos maculare festinat, si nos in somnum invenerit resolutos post satisfactionem quam in nocte pro negligentiis et ignorantiis D nostris Deo obtulimus, et post confessionis nostræ indulgentiam gemitibus imploratam. Nam et tunc fiduciam nostram dejicere et evacuare præcipue nititur, dum videt nos ad Deum ferventius tendere orationum nostrarum fervore ac puritate, ita ut quos per totum noctis spatium maculare non potuit, in illa brevissima hora per aliquam illusionem dehonestare conetur. Secunda causa est, quia etsi nulla talis inhonesta contingat diaboli illusio, interveniens tamen etiam purus somnus

inertiam parit monacho mox evigilaturo, atque torporem inferens menti ejus, vigorem ipsius per totum diem obtundit, illamque perspicaciam sensus hebetat et obscurat, interiorem quoque cordis exhaurit pinguedinem, quæ nos posset per totum diem adversus omnes insidias inimici cautiores ac robustiores servare. Quamobrem canonicis vigiliis noctis expletis, privatas servant vigilias, quæ majori observatione illis succedunt, quatenus purificatio illa non pereat quæ psalmis orationibusque nocturnis adepta est, atque intensior sollicitudo præparetur ac impetretur meditatione nocturna, quæ nos diligentius tota die custodiat.

CAPITULUM XIV.

Quemadmodum in cellulis suis opus manuum et orationes simul exerceant.

ET ideo vigilias illas in cellis suis cum opere manuum exsequuntur, ne otiosos opprimat somnus. Sicut enim nullum fere tempus ab eis otiose transitur, sic spiritualium meditationibus nullus finis ab ipsis imponitur. Nam pariter exercentes animæ corporisque virtutes, adipiscuntur necessaria homini exteriori cum profectibus hominis interioris, utrique pariliter proficientes : pondus operum quasi quamdam tenacem atque immobilem ancoram præfigentes lubricis motibus animi et fluctuationi cogitationum instabili : cui ancoræ instabilitas et evagatio cordis infixa valeat contineri intra cellulam tanquam in securissimo portu; sicque spiritualibus meditationibus et custodiæ cogitationum tantum intenta, non solum ad consensum pravæ suggestionis mentem pervigilem non sinat corruere, verum etiam ab omni superflua et otiosa cogitatione eam custodiat, ita ut quid ex quo dependeat difficulter possit a quoquam discerni, hoc est, utrum propter meditationem spiritualem tam incessabile manuum opus exerceant, an propter operis assiduitatem tam magnum acquirant mentis profectum tamque præclarum scientiæ lumen.

CAPITULUM XV.

Qua lege modestiæ post orationum missam unusquisque ad suam redeat cellam.

FINITIS igitur psalmis, et quotidiana Fratrum congregatione (ut diximus) separata, nullus eorum audet parum subsistere, aut cum aliquo loqui, neque per totam diem cellam suam exire, aut opus quod in ea solitus est facere, præsumit deserere, nisi forte quum fuerint ad necessaria opera evocati : quæ egressi sic exsequuntur, ut nulla penitus inter eos collocutio habeatur. Imo sic unusquisque opus facit injunctum, ut psalmum aut aliquid de Scripturis memoriter revolvendo ac proferendo, non solum nullum det locum noxiæ conspirationi et pravis consiliis, sed neque otiosis colloquiis, corde et ore pariter occupato in meditatione spirituali. Nempe cum summa observantia custoditur ne quis deprehendatur cum alio, præcipue juniore, ad punctum temporis substitisse aut alicubi secessisse, vel manus suas invicem tenuisse. Porro, si qui contra horum aliquid egisse inveniantur, tanquam contumaces et prævaricatores mandatorum pronuntiati, non quasi levis culpæ obnoxii, carere non poterunt suspicione conjurationis ac pravi consilii. Quam culpam nisi publica pœnitentia purgaverint Fratribus congregatis in unum, nullus eorum Fratrum orationi interesse permittitur.

CAPITULUM XVI.

Quod nulli liceat orare cum illo qui fuerit ab oratione suspensus.

DENIQUE si quis pro culpa sua fuerit a communi oratione suspensus, nullus omnino habet licentiam orandi cum ipso, antequam eo ad pœnitendum in terram prostrato, indulgentia et reconciliatio fu-

erit ei ab abbate publice coram omnibus Fratribus concessa. Ob hoc namque tali observantia segregant et secernunt semetipsos a consortio orationis hujusmodi Fratris, quoniam credunt eum qui ab oratione suspenditur, secundum doctrinam Apostoli Satanæ tradi. Et quicumque ei in oratione communicare præsumpserit incauta pietate inductus, antequam ille ad veniam recipiatur a seniore, consortem damnationis ejus se efficit : tradens videlicet voluntarie semetipsum diabolo, cui ille pro suæ culpæ emendatione fuerat deputatus; in hoc quoque permaxime gravius crimen incurrens, quod orando aut fabulando illi se commiscendo, majorem illi generat insolentiæ fomitem atque audaciam, ejusque contumaciam nutrit in pœnis*. Perniciosum quippe ei solatium tribuens, cor ejus magis ac magis facit indurari, nec sinit eum humiliari pro culpa propter quam fuerat segregatus; et per hoc faciet increpationem parvi pendere senioris, vel simulatorie de satisfactione et venia cogitare.

I Cor. v, 5.

* pejus

CAPITULUM XVII.

Quod is qui Fratres ad orationes suscitat, debeat hoc hora solita facere.

IS autem cui committitur evigilatio religiosi conventus aut cura synaxis, Fratres ad quotidianas vigilias suscitat, non

A passim ad libitum suum, nec prout in nocte fuerit expergefactus, aut opportunitas somni coarctaverit eum. Imo, quamvis diuturna consuetudo eum hora solita evigilare compellat, tamen sollicite ac frequenter stellarum cursu præfixum suscitandi tempus explorans, ad orationum Officium eos evigilat : ne in aliquo horum inveniatur culpabilis, si vel somno oppressus statutam noctis horam pertranseat, vel eamdem adhuc dormiturus et ad somnum festinans anticipet; sicque inveniatur de-B servisse non tam generali ac spirituali officio, vel omnium quieti, quam satisfecisse propriæ requiei.

CAPITULUM XVIII.

Quod a vespera sabbati usque ad vesperam diei dominicæ sequentis genua non flectantur, nec totis diebus Quinquagesimæ.

HOC quoque scire debemus, quod a vespera sabbati quæ lucescit in diem C dominicam, usque ad vesperam diei dominicæ, genua non flectantur apud Ægyptios, neque in Quinquagesima tota; nec jejuniorum regula tunc custoditur ab eis : quorum ratio in Collationibus Patrum suo loco, quum Dominus dederit, exponetur. Nunc propositum nostrum est causas tantummodo brevi narratione percurrere, ne volumen modum decentem excedens, fastidio aut labore gravet legentem.

LIBER III

DE CANONICO DIURNARUM ORATIONUM ET PSALMORUM MODO.

CAPITULUM PRIMUM.

Procemium.

EXPEDITUM jam Deo donante arbitror, quantum parvitas ingenii nostri prævaluit, de nocturno modo orationum atque psalmorum qui per Ægyptum servetur. Nunc a nobis dicendum est de observatione Tertiæ, Sextæ, et Nonæ, secundum regulam monasteriorum Palæstinæ ac Mesopotamiæ, ut præfati sumus in prologo, horum institutis moderantes perfectio- B nem atque immutabilem rigorem disciplinæ Ægyptiorum.

CAPITULUM II.

Quod apud Ægyptios absque Horarum distinctione, per totum diem orationibus et psalmis jugiter insistatur, cum adjectione operis manualis.

AB Ægyptiis namque officia Tertiæ, Sextæ, et Nonæ, quæ certis horis per C temporum intervalla Domino solvimus, persolvuntur spontanee indesinenter per totum spatium diei cum opere manuali. Ita namque operatio manuum exercetur ab eis incessanter privatim in cellulis, ut psalmorum et ceterarum Scripturarum meditatio nunquam penitus omittatur ab ipsis. Cui meditationi preces et orationes per singula momenta miscentes, totum expendunt diem in istis Officiis, quæ nos statutis horis persolvimus. Quamobrem exceptis vespertinis et nocturnis congregationibus D atque Officiis, nulla ab eis in die observatur solennitas sive persolutio Horæ, abs-

A que sabbato et die dominica, in quibus propter sacram communionem conveniunt. Plus enim est id quod indesinenter, quam quod per temporis intervalla persolvitur Deo; et acceptius ei est voluntarium munus, quam officia quæ canonica compulsione redduntur. Unde et David gloriosius jucundatur, dicendo : Voluntarie *Ps.* LIII, 8. sacrificabo tibi ; et, Voluntaria oris mei *Ps.* CXVIII, 108. beneplacita fac, Domine.

CAPITULUM III.

Quod per totum orientem Tertia, Sexta, et Nona tribus psalmis expleatur; et cur specialiter istæ Horæ serventur.

ITAQUE in Palæstinæ ac Mesopotamiæ totiusque orientis monasteriis, Tertia, Sexta et Nona tribus psalmis finitur, et orationes assidue Deo statutis temporibus offeruntur : quatenus spiritualibus obsequiis justo moderamine consummatis, necessaria opera manualia nullatenus impediantur. His quippe tribus temporibus *Dan.* VI, 10. etiam Danielem prophetam Deum exorasse quotidie scimus. Nec immerito tempora ista religiosis officiis sunt specialius deputata. In iis namque promissionum impletio et summa nostræ salutis peracta est. Tertia etenim hora Spiritus Sanctus *Act.* II, 15. per Prophetas repromissus, super Apostolos orationibus insistentes descendit. Quumque propter omnium linguarum elocutionem ab Apostolis procedentem Judæi *Ibid.* 12-18. increduli mirarentur, et irridendo dicerent eos musto repletos, stans Petrus in medio eorum, ait : Viri Israelitæ, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit,

et auribus percipite verba mea. Non enim, A sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, quum sit hora diei tertia; sed hoc est quod di-
Joel II, 28, 29. ctum est per prophetam Joel : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt; et quidem super servos meos et super ancillas meas effundam de Spiritu meo, et prophetabunt. Quæ omnia hora tertia videmus impleta, et prænuntiatum Spiri- B tus Sancti adventum super Apostolos tunc consummatum.

Luc. XXIII, 44. Porro hora sexta Dominus et Salvator noster oblatus est Patri hostia immaculata, et crucem pro totius mundi salute ascendens, humani generis peccata delevit;
Coloss. II, 15, 14. atque exspolians principatus ac potestates traduxit palam, universosque nos peccatis obnoxios liberavit ab insolubilis chirographi debito, tollens illud de medio et crucis suæ affigens tropæo. Eadem quoque
Act. X, 9-13. hora revelata est Petro in orationibus po- C sito, vocatio et purificatio gentium, per submissionem evangelici vasis cœlitus descendentis, et omnium generum animalia continentis, voce desuper facta ad eum : Surge, Petre, occide et manduca. Quod vas quatuor initiis de cœlo emissum, non aliud designasse manifeste cognoscimus, nisi Evangelium Salvatoris : quod quadripartita Evangelistarum narratione distinctum, quamvis quatuor videatur habere principia, una tamen Evangelii exstat materia, quia ejusdem Christi nativitatem, D deitatem, miracula ac passionem describit. Pulchre autem dixit Lucas, non, Linteum,
Ibid. 11. sed, Quasi linteum. Nam linteum est mortificationis indicium. Quoniam ergo Christus mortem subivit non lege aut necessitate naturæ humanæ, sed propriæ voluntatis arbitrio, Quasi linteum dicitur. Mortuus enim secundum carnem, non est mortuus
Ps. XV, 10. secundum spiritum : quia nec anima ejus derelicta est in inferno, nec caro ejus vi-
Joann. X, 18. dit corruptionem. Et rursus ait : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso; potestatem habeo ponere eam, et potestatem habeo iterum sumere eam. In hoc itaque Evangelii vase cœlitus destinato, id est a Spiritu Sancto conscripto, omnes gentes quæ olim extra legis observantiam positæ, erant immundæ, per unitatem fidei convertentes, voce dominica deferuntur : quatenus ab idolorum cultura Deo salubriter immolentur, ac Petro purificante, ad spiritualem escam proficiant.

Denique hora nona Christus inferos *Marc.* XV, 34, 37.
penetrans, infernales tenebras luce sui splendoris exstinxit, et æreas portas confringens serasque ferreas conterens, capti- *Ephes.* IV, 8.
vitatem sanctorum tenebris inferni detentam transvexit ad cœlos secum, salubriter captam; amotoque igneo gladio, restituit paradiso antiquum incolam, scilicet Adam, per confessionem ejus benignam. Eadem quoque hora Cornelius centurio in preci- *Act.* X, 3, 4.
bus solita devotione persistens, cognovit ab angelo orationes et eleemosynas suas ante Deum esse commemoratas : sicque mysteria vocationis gentium manifeste hora nona panduntur, quæ erant Petro *Ibid.* 9.
hora sexta in mentis excessu revelata. Alio etiam loco de eodem tempore in Actibus Apostolorum narratur : Petrus et Joannes *Ibid.* III, 1.
ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Ex quibus aperte probatur non immerito a sanctis et apostolicis viris has horas religiosis esse obsequiis consecratas, et idem oportere servari a nobis : qui nisi divina ista Officia solvere satagimus statutis temporibus ex institutione legitima, totum diei spatium absque interpolatione seu interpositione orationum consumimus, oblivione, desidia aut occupationibus involuti.

De vespertinis autem sacrificiis seu laudibus Dei quid dicam, quæ etiam in veteri Testamento offerri jugiter Deo jubentur? *Num.* XXVIII, 3, 4.
Holocausta autem matutina et sacrificia vespertina Deo indesinenter esse oblata in templo, quamvis figuralibus hostiis, probare possumus ex eo quod David ait :

(Ps. cxl, 2.) Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Quod de illo vero sacrificio sacratius intelligi potest, quod Christus vespere in Cœna novissima Apostolis tradidit, dum sacrosancta Ecclesiæ initiavit mysteria; vel quod ipse die sequenti pro totius mundi salute inclinavit * (* immolavit) se ipsum, elevatione et extensione manuum suarum offerens Patri sacrificium vespertinum, in fine videlicet sæculorum. Quæ extensio manuum suarum in patibulo, satis proprie elevatio nuncupatur. Omnes enim nos in peccato jacentes elevavit ad cœlos, secundum promissionem (Joann. xii, 32.) suam qua ait : Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

De matutina vero solennitate et laude etiam illud nos instruit, quod in ipsa can- (Ps. lxii, 2.) tari quotidie solet : Deus, Deus meus, ad te (Ibid. 7.) de luce vigilo ; et, In matutinis meditabor (Ps. cxviii, 147.) in te ; et, Præveni in maturitate et clama- (Ibid. 148.) vi ; et rursus, Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. In his quoque horis etiam evangelicus ille paterfamilias conducit operarios in vine- (Matth. xx, 1.) am suam. Primo etenim mane eos conduxisse describitur : quod tempus designat nostrum matutinale Officium. Deinde (Ibid. 3, 5, 6.) idem fecit hora tertia, deinde hora sexta, post hæc hora nona, ad extremum hora undecima, in qua vespertina hora signatur.

CAPITULUM IV.

Quod matutina solennitas non antiqua traditione statuta sit, sed nostro tempore pro causa sit adinventa.

SCIENDUM tamen hanc Matutinam, scilicet Primam, quæ nunc observatur in occidentalibus maxime regionibus, nostro tempore atque in nostro primitus institutam cœnobio, ubi Dominus noster Jesus Christus natus de Virgine dignatus est suscipere incrementa humanæ infantiæ, et nostram adhuc teneram et lactentem
A in religione infantiam sua gratia confirmavit. Matutinali enim solennitate seu laude cum quotidianis vigiliis pariter consummata, quæ in Galliæ monasteriis solet persolvi, post modicum temporis intervallum, nocturnis psalmis orationibusque completis, reliquas horas repausationi corporis invenimus deputatas a majoribus nostris usque ad tempus nostrum. Verum quum hac indulgentia negligentiores quique abutentes somnum nimis protraherent (quippe quos de stratis suis con-
B surgere ante tertiam horam aut cellam exire, nulla necessitas conventionis seu congregationis alicujus invitaret), et somni nimietate torperent cum detrimento seu minoratione operis manualis, etiam ipso die quo oportebat certis officiis inhærere, sicque torperent in his præsertim diebus in quibus onerosior lassitudo generabatur observantibus vigilias a vespertinis horis usque ad vicinam auroram ; querimonia quorumdam Fratrum spiritu ibi ferventium, quibus negligentia ista valde
C displicuit, est delata ad seniores. A quibus tunc longo consilio et sollicita consultatione decretum est, ut dormitione concessa fessis corporibus usque ad ortum solis, quando sine impedimento posset lectio fieri aut opus manuale assumi, suscitati post hæc de stratis suis consurgerent propter observantiam religionis istius ; decantatisque tribus psalmis et orationibus secundum modum antiquitus institutum in observatione Tertiæ, Sextæ, et Nonæ, exemplo trinæ orationis et confessionis
D Danielis prophetæ, ex tunc æquali moderamine facerent finem somno et exordium operi suo.

Qui modus quamvis videatur ex occasione prætacta inventus, et pro causa prædicta recenter statutus, tamen manifestissime supplet ad litteram numerum illum quem beatus David designat, dicendo, Septies in die laudem dixi tibi super (Ps. cxviii, 164.) judicia justitiæ tuæ : quanquam spiritualem quoque habeat intellectum numerus ille. Hac namque observatione Primæ ad-

jecta, septies in die ad Dei obsequium A convenientes, septies in ea laudes dicimus Deo.

Denique quum hic idem modus de oriente procedens, fuerit usque ad loca hæc utilissime propagatus, videtur nequaquam admissus nunc in quibusdam monasteriis orientis, quæ antiquissimas Patrum regulas violari nullatenus patiuntur.

CAPITULUM V.

Quod post matutinale Officium ad somnum reverti non oporteat.

QUÆ observatio Primæ cur sit instituta quidam in hac provincia ignorantes, post Matutinas revertuntur ad dormiendum, incidentes in id propter quod evitandum observatio Primæ est a senioribus instituta. Nam et illa hora eam legunt, qua negligentioribus et minus sollicitis reddatur occasio iterum dormiendi. Quod omnino fieri non oportet (sicut in præcedenti plenius exposuimus libro, describentes ibidem Ægyptiorum synaxim, congregationem seu ritum), ne purificationem nostram supplici confessione et antelucanis seu nocturnis orationibus acquisitam, naturalium humorum redundantia polluat, aut inimici corrumpat illusio, aut interveniens somnus, quamvis simplex et purus, interrumpat cordis nostri fervorem, et somni torpore tepefactos reddat deinceps per totum diem inertes atque ignavos. Quod ne incurrant Ægyptii, missa canonica celebrata, vigilant usque ad lucem, quamvis certis temporibus soleant surgere ante gallorum cantum : quatenus superveniens lux matutina inveniat eos in præconcepto constitutos fervore, atque per totum diem ferventiores ac sollicitiores consistant, præparati ad spiritualem conflictum, et contra diurnam colluctationem diaboli sint nocturnarum vigiliarum exercitiis spiritualibusque meditationibus roborati.

cap. XIII. C D

CAPITULUM VI.

Quod nihil sit a senioribus immutatum de antiquo ordine psalmorum, quum Primæ observatio statueretur.

HOC quoque scire debemus, nihil de antiqua psalmorum consuetudine esse mutatum a senioribus nostris qui observationem Primæ instituerunt, sed missam perpetuo celebratam eodem ordine quo ante in nocturnis fiebat conventibus. Etenim B psalmos quos in hac regione ad Matutinas ante auroram solent finire, similiter decantant et hodie, id est centesimum quadragesimum octavum psalmum, cujus initium est, Laudate Dominum de cœlis; et reliquos qui sequuntur. Quinquagesimum vero psalmum, et sexagesimum secundum, et octogesimum nonum, constat deputatos fuisse huic novæ observantiæ Primæ. Denique usque hodie per Italiam, expletis laudibus matutinis, quinquagesimus psalmus in universis cantatur Ecclesiis : quod inde et non aliunde tractum cognosco.

CAPITULUM VII.

Quod ei qui ad diurnam orationem seu Horam non venerit antequam primus psalmus finiatur, oratorium introire non liceat; in nocturnis autem Officiis mora sit veniabilis usque ad finem secundi psalmi.

QUI autem in Tertia, Sexta, aut Nona præsens non fuerit antequam primus finiatur psalmus, oratorium ultra intrare non audet, nec se miscere psallentibus; sed congregationis finem stans ante ostium præstolatur, donec egredientibus cunctis, prostratus in terram, per pœnitentiam suam negligentiæ ac tarditatis suæ impetret veniam : sciens se aliter non posse expiare culpam suæ desidiæ, imo nec in sequenti divino admittendum Officio, quod erit post horas tres, nisi statim pro præsenti negligentia festinaret obnoxius satis-

facere vera humilitate. In nocturnis vero Officiis datur intrandi licentia usque ad finem secundi psalmi, dummodo tardans congregationi se inserat antequam, psalmo secundo finito, Fratres in oratione procumbant. Et si ultra hoc vel parum tardaverit, eidem increpationi et satisfactioni subdetur quam diximus.

CAPITULUM VIII.

Quem temporis modum teneant vigiliæ quæ a vespera illucescente sabbato celebrantur, vel quo ordine fiant.

SANE vigilias quæ singulis hebdomadibus observantur a vespera sabbato illucescente, ideo seniores moderantur ac protrahunt per monasteria tempore hiemali, quando noctes sunt longiores, usque ad quartum gallorum cantum, ut post totius noctis vigilias reliquis duabus fere horis corpora sua somno repausantes, nequaquam per totum diem somni torpore graventur, contenti quiete tam modici temporis pro somno totius noctis. Quod nos quoque omni diligentia congruit custodire, quatenus contenti somno qui nobis conceditur post missam vigiliarum usque ad lucis adventum, id est usque ad Primæ persolutionem, totum deinceps diem in opere necessariisque expendamus officiis : ne somnum quem nocti subtraximus, in die resumere compellamur ex vigiliarum lassitudine et virium evacuatione, sicque videamur tempus quietis et somnum nocturnum potius commutasse, quam corpori requiem subtraxisse. Nullatenus enim poterit fragilis caro ita totius noctis quiete privari, ut die sequenti absque dormitatione animique torpore integram possit servare vigiliam, quæ impedietur magis quam adjuvabitur, nisi post vigiliarum missam aliquantulum somni gustaverit homo. Et ideo unius saltem horæ somnus ante lucem, ut diximus, naturæ concessus, lucrabitur et conservabit omnes vigiliarum horas quas tota nocte in oratione
A consumpsimus, impertientes naturæ quod suum est, nec habentes necessitatem resumendi in die quod corpori subtraximus nocte. Totum namque corpori suo procul dubio reddet, quicumque tentaverit ei totum quod ejus est denegare, et non cum discretione partem tantum subtrahere, atque ut verius dicam, non superflua, sed necessaria ei voluerit amputare. Propter quod necesse erit majori fervore somnum recuperare, si fuerint vigiliæ indiscretæ usque ad lucem protractæ. Idcirco vigilias
B tripartitis distinguunt Officiis, ut labor hac diversitate divisus, delectatione quadam fatigationem relevet corporis. Quum enim stando tres antiphonas cantaverint, post hæc in terra aut in humilibus sedentes sedibus tres psalmos, uno eos cantante, adjungunt : qui tamen singuli a singulis Fratribus vicissim sibi succedentibus decantantur ; et sub eadem quiete sedendi psalmis his tribus tres adjiciunt lectiones. Sicque corporalem minuentes laborem, vigilias suas majori mentis intentione ex-
C ercent.

CAPITULUM IX.

Quare illucescente seu imminente die sabbati vigiliæ institutæ sint, et quare per omnem orientem jejunium non servetur in sabbato.

DENIQUE præfatas vigilias idcirco a tempore prædicationis apostolicæ, quo christiana fides atque religio fundata est, institutum est observari per totum orien-
D tem, sabbato illucescente, hoc est in nocte feriam sextam sequente, quoniam Domino Salvatore sexta feria crucifixo, Apostoli recenti dolore percussi tota manserunt nocte pervigiles, somnum suis oculis nullatenus concedentes. Quamobrem ex tunc deputata est vigiliarum observatio nocti eidem, et usque in præsens per universum orientem sic observatur. Unde et solutio jejunii ab apostolicis viris instituta est sabbato post prædictarum vigiliarum laborem, atque per universas Ecclesias

orientis illo die non jejunatur, secundum A illam Ecclesiastæ undecimi capituli sententiam (quæ quamvis et alium habet mysticum intellectum, tamen ab isto non dissonat) quum dicitur : Da partes his septem, et quidem his octo. Non enim ad participationem Judaicæ festivitatis æstimanda est pertinere solutio ista jejunii sabbato die, præsertim his qui ab omni Judaica superstitione sunt alieni, sed ad repausationem corporis lassi, quod per singulas anni hebdomades quinque diebus jejunans faciliter fatigatur ac deficit, nisi duobus diebus, videlicet sabbato B et dominica, refocilletur.

Eccle. XI, 2, juxta LXX.

CAPITULUM X.

Unde factum sit, ut in Urbe die sabbati jejunetur.

HUJUS moderationis causam quidam in occidentalibus civitatibus ignorantes, ideo putant jejunium sabbato non esse frangendum, quoniam Petrum apostolum die illo asserunt jejunasse, dum contra C Simonem magum fuerat conflicturus. Ex quo potius patet non fecisse hoc Petrum regulari consuetudine, sed instantis disputationis necessitate. Nempe pro hac re videtur Petrus indixisse ibi suis discipulis speciale, non generale jejunium. Quod utique non fecisset, si agnovisset sabbato esse regulari consuetudine jejunandum : nam et idem jejunium die dominica procul dubio præcepisset, si tunc cum mago Simone habuisset certamen. Nec tamen ex hoc fuisset mox promulganda aliqua ca- D nonica jejunii regula, quod non observatio generalis statuerat, sed ut semel fieret necessitas specialis extorserat.

CAPITULUM XI.

In quo solennitas diei dominicæ differat ab aliorum dierum consuetudine.

HOC quoque sciendum, unam tantum missam die dominica ante prandium celebrari : in qua impendentes seu persolventes solennius atque abundantius aliquid orationum et psalmorum seu lectionum pro reverentia ipsius collectæ vel communionis dominicæ, in ipsa missa reputant Tertiam et Sextam pariter persolutam aut consummatam. Ita quod nihil imminuatur lectionum adjectione, et nihilo minus differentia Officii seu quædam remissio Fratribus condonetur propter reverentiam resurrectionis dominicæ, quæ totius hebdomadæ observantiam relaxare videtur; et pro hac ipsa differentia quæ intermiscetur, eamdem diem dominicam tanquam festivam faciat solennius exspectari, atque per exspectationem hanc faciat minus sentiri jejunia septimanæ sequentis. Semper enim quælibet fatigatio æquanimius toleratur, et cum minori fatigatione labor impenditur, dum ei succedit admixta quædam vicissitudo aut operis immutatio.

CAPITULUM XII.

Quibus diebus, quum cœna Fratribus exhibetur, ad refectionem accedentibus psalmus non dicatur, sicut in prandiis fieri solet.

INSUPER etiam in ipsis diebus, id est sabbato vel dominica, seu feriatis temporibus, quibus prandium et cœna Fratribus exhibentur, psalmus non dicitur, nec quum ad cœnam accedunt, nec quum ab ipsa consurgunt : ut fieri solet in solennibus prandiis, atque canonica jejuniorum refectione, quam consuetudinarii psalmi præcedere solent et subsequi. Sed simplici oratione tantummodo facta, accedunt ad cœnam, quam et surgentes oratione concludunt : eo quod extraordinaria sit inter monachos ista refectio, nec omnes ad eam venire cogantur, nisi aut Fratres peregrini qui supervenerint, aut infirmi, aut qui sponte voluerint.

LIBER IV

DE INSTITUTIS RENUNTIANTIUM.

CAPITULUM PRIMUM.

(Proœmium :) De institutione eorum qui renuntiant huic sæculo ; et quemadmodum apud Tabennensiotas et Ægyptios imbuantur ii qui in monasteriis suscipiuntur.

DE canonico modo orationum atque psalmorum in divinis obsequiis observando, ordo narrationis nos mittit ad describendam institutionem ejus qui sæculo huic renuntiat : in primis studentes brevi explicare sermone, qualiter recipiantur B in claustris qui cupiunt converti ad Dominum, admiscentes quædam de regulis Ægyptiorum, quædam de regulis Tabennensiotarum, quorum cœnobium in Thebaide situm, tanto districtius conversatur, quanto populosius exstat. Siquidem in eo plus quam quinque millia Fratrum ab uno Patre reguntur ; atque cum tanta obedientia tam copiosus numerus monachorum uni seniori suo subditus est toto tempore vitæ suæ, quod apud nos unus non potest uni cum tanta obedientia ad modicum tempus subesse, vel præesse.

CAPITULUM II.

Quare usque ad ultimam senectutem apud eos in monasteriis perseverent.

QUORUM obedientia, perseverantia et humilitas qualiter tam diuturna permaneat, et qua informatione inducantur ad hoc ut usque ad decrepitam senectutem in claustro perseverent, arbitror ante omnia perstringendum. Tanta est enim, A ut nullum nostra monasteria ingressum recordemur per unum annum in obedientia tanta vixisse. Ita quod quum initia renuntiationis illorum viderimus, consequens fuisse intelligamus, ut ad tam sublimem perfectionis verticem hujusmodi fundamenta consurgerent.

CAPITULUM III.

Quo examine probetur qui in monasterio suscipiendus est.

IGITUR cupiens quis in monasterio recipi, non prius admittitur, quam decem diebus aut longius ante fores remanens, perseverantiam, patientiam, humilitatem ac desiderium mentis suæ per effectum et certa signa monstraverit. Quumque omnium prætereuntium Fratrum genibus provolutus, et ab universis de industria quasi refutatus atque despectus, tanquam qui non desiderio religionis, sed necessitate quadam compulsus, monasterium velit intrare, C injuriis quoque et exprobrationibus multis affectus, constantiam suam experimentaliter demonstraverit, et qualis in tentationibus sit futurus per opprobriorum tolerantiam declaraverit, sicque susceptus fuerit explorato et cognito cordis sui ardore ; cum diligentia summa inquiritur, ne aliquid ei de pristinis facultatibus suis adhæreat, in tantum ut nec unum retineat nummum. Sciunt enim eum sub regulari disciplina diu stare non posse, nec apprehensurum esse veram humilitatem D ac obedientiam, neque cœnobii paupertate ac districtione diu fore contentum, si quidquam pecuniæ in conscientia

sua latuerit; sed ubi primo fuerit orta commotio ex quacumque occasione, statim de monasterio fugiet animatus fiducia suæ pecuniæ, velut funda projectus.

CAPITULUM IV.

Quare nihil secum inferre permittantur, qui in monasterio suscipiuntur.

INDCIRCO nec pecunias quæ monasterio possunt esse proficuæ, volunt ab eo qui suscipi petit, accipere: ne ex sua collatione inflatus, dedignetur se Fratribus pauperioribus coæquare, atque per hanc elationem ab imitatione humilitatis Christi impediatur; quumque sub disciplina cœnobii nequiverit perdurare, egressus ex illo et tepefactus moliatur sacrilego spiritu, non sine monasterii damno, exigere et recipere ea quæ in principio suæ renuntiationis spirituali fervore succensus contulerat claustro. Quod penitus esse servandum, per multa sunt experimenta edocti. Nam in aliis monasteriis minus cautis quidam simpliciter suscepti, tentaverunt postea cum ingenti blasphemia obtinere restitutionem eorum quæ dederant et in opere Dei erant expensa.

CAPITULUM V.

Quod hi qui renuntiant, in monasteriis suscepti, propria vestimenta deponant, et ab abbate aliis induantur.

HINC qui recipitur, sic omni pristina sua facultate nudatur, ut nec vestem qua ante induebatur, habere ulterius permittatur; sed coram Fratribus adductus in medium, exuatur propriis et per manus abbatis induatur monasticis vestimentis: ut per hoc advertat se non solum spoliatum omnibus suis rebus præhabitis, verum etiam omni mundana pompa deposita, ad Christi paupertatem atque inopiam

A descendisse, et se de cetero sustentandum opibus non sua speciali arte acquisitis, nec de pristina sua facultate infideliter reservatis, sed de sanctis ac piis monasterii donis percepturum se esse stipendia suæ militiæ seu necessaria vitæ; et inde se deinceps vestiendum et alendum cognoscens, nec proprium aliquid habere se sciens, discat nihilo minus juxta Christi doctrinam, de crastino non esse sollicitus, nec erubescat corpori fraternitatis (*Matth.* VI, 34.) seu Fratribus coæquari, quibus se connu-
B merare et quorum se fratrem nuncupare non erubuit Christus, imo potius glorietur (*Ibid.* XXV, 40; XXVIII, 10; *Joann.* XX, 17.) se factum esse consortem domesticis Salvatoris, utpote Fratribus.

CAPITULUM VI.

Cur vestimenta cum quibus renuntiantes ingressi sunt claustrum, a dispensatore serventur.

C PORRO vestimenta quæ deposuit, œconomo, id est dispensatori, ad custodiendum commissa, tamdiu servantur ab eo, donec abbas et Fratres evidenter agnoscant per tentationes et probationes diversas, profectum conversationis et virtutem patientiæ ejus qui renuntiavit. Et si eum in claustro posse durare, atque in cœpto fervore permanere tempore procedente conspexerint, vestimenta illa pauperibus largiuntur. Si vero aliquam murmurationem, aut parvam inobedientiæ culpam
D ab ipso processisse cognoverint, exuentes eum monasterii vestimentis et prioribus vestibus revestitum expellunt. Nullum etenim fas est cum monasterii vestimentis recedere, nec aliquem illis adhuc indui patiuntur, quem semel a regula suæ institutionis viderint tepuisse. Unde etiam nullis conceditur facultas penitus discedendi, nisi instar servi fugitivi in densissimis noctis tenebris fugiat, aut certe monastico ordine et professione judicatus indignus, expellatur cum confusione

et nota coram cunctis Fratribus, prius deposita monasterii veste.

CAPITULUM VII.

Cur in monasterio suscepti, non permittantur statim Fratribus admisceri, sed xenodocho, id est seniori curam peregrinorum advenientiumque habenti, tradantur.

QUUM ergo fuerit quis susceptus, atque præfata perseverantia comprobatus, et propriis vestimentis depositis monasteriali veste indutus; non statim permittitur Fratribus admisceri, sed committitur seniori qui seorsum non longe a monasterii vestibulo habitans, curam habet peregrinorum et advenientium sibi injunctam, eisque omnem diligentiam hospitalitatis et humanitatis impendit. Quumque ibidem integro anno absque ulla querela deserviens, circa peregrinos suum exhibuerit famulatum, imbutus per hæc prima instructione humilitatis ac patientiæ, atque in ea probatus et cognitus longa exercitatione, admiscendus ex hoc congregationi Fratrum, traditur alteri seniori qui decem junioribus præest, quos sibi creditos ab abbate instituit et gubernat, secundum illud quod in Exodo legimus ordinatum per Moysen.

Exod. XVIII, 21.

CAPITULUM VIII.

Quibus institutis juniores primo exerceantur, ut ad superandas concupiscentias omnes proficiant.

CUJUS senioris hæc erit sollicitudo et eruditio principalis, per quam junior introductus valeat consequenter ascendere summam virtutum perfectionem, ut scilicet primitus doceat eum proprias vincere voluntates. Quem in his studiose et diligenter exercens, hæc de industria illi semper præcipiet, quæ senserit cordi ejus esse contraria. Multis quippe experimentis edocti, affirmant monachum, et maxime A juniores, refrenare non posse voluptatem concupiscentiæ suæ, nisi prius per obedientiam mortificare didicerint proprias voluntates. Hinc quoque fatentur eum qui proprias voluntates non didicerit superare, nullatenus posse iram, sive tristitiam, aut spiritum fornicationis exstinguere, nec veram cordis humilitatem, neque cum Fratribus incessabilem unitatem, nec firmam ac diuturnam concordiam posse tenere, nec in cœnobio diutius esse mansurum.

B

CAPITULUM IX.

Quare junioribus imperetur ut seniori suo nil celent de cogitationibus suis.

HIS igitur institutis tanquam quibusdam elementis ac syllabis, festinant instruere eos quos ad perfectionem initiant, per hæc liquide discernentes an fundati sunt humilitate vera, an potius ficta et simulata. Ad quam ut valeant faciliter C pervenire, consequenter instruuntur nullam cogitationem in corde eorum prurientem, perniciosa confusione abscondere, sed confestim ut orta fuerit, eam suo patefacere seniori, nec de cogitationum suarum judicio aliquid propriæ discretioni committere, sed credere illud esse bonum aut malum, quod senior definierit esse tale, aut tale. Sicque callidus hostis in nullo circumvenire potest juvenem tanquam ignarum et inexpertum, nec ulla fraude decipere quem videt non propria, sed senioris D sui discretione muniri, nec posse persuaderi ut seniori suo abscondat suggestiones suas, ignitaque jacula quæcumque cordi ejus infuderit. Aliter namque versutissimus diabolus juniorem dejicere aut illudere nequit, nisi quum eum per arrogantiam, seu pravam verecundiam, ad cogitationum suarum occultationem induxerit. Generale namque et evidens signum diabolicæ suggestionis et illusionis esse testantur, si eas seniori suo aperire confundantur.

CAPITULUM X.

Quanta obedientia senioribus etiam in naturali necessitate a junioribus exhibeatur.

POST hæc, cum tanta observantia obedientiæ regula custoditur, ut juniores absque superioris sui scitu et permissu non solum non audeant cellam exire, sed nec communi et naturali necessitati satisfacere propria præsumant auctoritate. Sicque festinant sine ulla discussione complere omnia quæcumque fuerint a superiore præcepta, tanquam a Deo sint desuper imperata, ut interdum etiam impossibilia ejus jussa cum tanta fide ac devotione suscipiant, ut tota virtute sine ulla hæsitatione perficere et implere ea nitantur, nec impossibilitatem præcepti propter reverentiam senis attendant. De quorum obedientia particulariter dicere nunc omitto : nam eam paulo post per exempla docere suo loco proponimus, si Dominus dederit nobis per vestras orationes successum. Nunc instituta cetera prosequamur, prætermittentes illa describere quæ in hac regione nequeunt monasteriis tradi, neque ab eis poterunt custodiri, sicut in præfatiuncula nostra facturos nos esse promisimus : quod scilicet indumentis laneis non utantur, sed lineis tantum, nec ipsis duplicibus, quibus præpositus unusquisque suæ decaniæ subministrat alia, quum ea quibus vestiti sunt conspexerit sorduisse.

CAPITULUM XI.

Qualis cibus delicatissimus sit apud eos.

ILLAM quoque arduam et sublimem eorum abstinentiam prætermitto, in qua summæ deliciæ reputantur, si Fratribus ad refectionem apponatur herba sale condita et aquis lota, quam lapsanium vocant, alia quoque quamplura istis similia, quæ nec dispositio aeris, nec nostræ fragilitatis qualitas in hac regione admit-A tit. Illa tantummodo prosequar, quæ nulla carnis infirmitas, nec situs loci poterit impedire, si fragilitas animæ teporque mentis non impedierit ea.

CAPITULUM XII.

Quod ad sonitum pulsantis ostium, opus omne omittant, studio occurrendi velociter.

ITAQUE in cellulis suis sedentes, operi ac meditationi studium pariter impen-B dentes, quum audierint sonum pulsantis ostium ad cellulas diversorum, convocantis eos ad orationem, vel ad aliquod opus, certatim egrediuntur, ita ut scriptor complere non audeat litteram inchoatam ; sed in eodem puncto quo sonum pulsantis audierit summa velocitate exsurgens, in tantum exspectare non audet ut cœptam perficiat litteram, sed imperfectas apicis lineas derelinquens, magis festinet toto zelo ac studio virtutem obedientiæ exsequi, quam operis complementa aut lucra C sectetur. Obedientiam eam non solum præferunt operi manuum, seu lectioni, et silentio ac cellæ quieti, sed et universis virtutibus : ut huic judicent omnia postponenda, et universa damna subire contenti sint, dummodo bonum obedientiæ in nullo violasse reperiantur.

CAPITULUM XIII.

Quam criminosum habeatur, si aliquis modicum quid suum esse dicat.

D

SED illam eorum virtutem inter alia instituta reor commemorandam, quod nulli ipsorum licet possidere cistellam aut peculiarem sportellam, nec aliquid tale quod suo possit signaculo claudere, aut servare ut proprium. Quos ita scimus ex omni parte nudos pauperesque exsistere, ut præter colobium, mafortem, caligas, melotem ac psiathium, nil habeant amplius : quum in aliis quoque monasteriis in quibus aliqua remissius conceduntur,

videamus hanc regulam districtissime observari, ut nec verbis quis audeat dicere aliquid suum, et magnum sit crimen si monachus dicat, Codex meus, tabulæ meæ, graphium meum, tunica mea, caligæ meæ. Et si casu aliquo per subreptionem aut ignorantiam tale verbum protulerit, per condignam pœnitentiam satisfacere oportebit.

CAPITULUM XIV.

Quod licet multa pecunia de uniuscujusque opere congeratur, nullus tamen præsumat excedere statutæ sufficientiæ parcitatem.

ET quum tantos reditus unusquisque de opere ac sudore proprio quotidie præstet cœnobio, ut ex his sustentare possit non solum propriam sobrietatem, sed etiam aliis subvenire, in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto sudore et quæstu operis sui blanditur : imo nihil sibi unusquisque assumit præter duo paximacia, quæ pro tribus vix denariis ibi venduntur. Inter quos nullum peculiare opus ab aliquo affectatur, non dicam effectu, imo nec cogitatione : quod tamen pudet narrare, quodque in nostris monasteriis fieri utinam nesciremus. Quumque omnia monasterii bona suam putet esse substantiam, et cunctis eis curam sollicitudinemque impendat tanquam omnium dominus, tamen ad retinendam arreptæ nuditatis seu paupertatis virtutem, quam studet usque ad finem perfecte et inviolabiliter observare, sic reputat semetipsum a cunctis rebus extraneum atque ab omnibus alienum, ut exhibeat se tanquam peregrinum et incolam hujus mundi, et alumnum ac ministrum se æstimet claustri magis quam dominum cujuslibet rei.

CAPITULUM XV.

De immodico studio habendi apud nos.

AD hæc quid dicemus nos miseri, qui in cœnobiis commorantes et sub abbatis cura ac sollicitudine constituti, proprias circumferimus claves, omninoque verecundia et confusione professionis nostræ abjecta, etiam annulos in digitis palam ferre non verecundamur, quibus reposita proprie consignemus? Quibus non solum cistellæ aut sportæ, sed nec arcæ et armaria sufficiunt ad reponendum ea quæ congregamus, vel quæ egressi de sæculo reservavimus nobis. Qui etiam interdum pro rebus vilissimis et quasi nullis ita accendimur ira, eas vindicantes nobis ut propria, ut si quis vel digito quidquam ex eis contrectare præsumpserit, tanta contra eum iracundia inflammemur, ut cordis nostri commotionem reprimere non possimus a labiorum tremore totiusque corporis indignatione. Sed prætermissis vitiis nostris, et his quæ commemorari indignum est, silentio traditis, juxta illud Psalmi, Ut non loquatur os meum opera hominum; excepto narrationis ordine, prosequamur virtutes illorum, et ea quæ nos toto conatu debemus appetere, et ipsas eorum regulas ac typos cursim breviterque ponamus, ut pervenientes post hæc ad quosdam actus et opera seniorum quæ memoriæ mandare studiose disponimus, roboremus validissimis documentis ea quæ nostra expositione conscripta sunt, universa quæ diximus confirmantes exemplis eorum et auctoritate vitæ ipsorum. *Ps.* XVI, 4.

CAPITULUM XVI.

De regulis diversarum correptionum.

SI quis igitur casu aliquo fregerit gillonem fictilem, quem ipsi baucalem appellant, non aliter diluet negligentiam suam quam per pœnitentiam publicam; cunctisque Fratribus in synaxi collectis tamdiu in terra prostratus veniam postulabit, donec orationum solennitas compleatur, impetrabitque veniam quum abbas eum jusserit surgere. Eodem modo satisfaciet quicumque ad opus aliquod evocatus, aut ad solitam congregationem, tarde advenerit, aut psalmum cantando modice titubaverit : similiter si responde-

rit superflue, aut durius, sive superbius; A si negligenter obsequia injuncta compleverit; si vel modice murmuraverit; si statuta officia segnius fuerit exsecutus, lectionem operi vel obedientiæ præferendo; si congregatione soluta non festinaverit statim ad cellam suam reverti; si cum aliquo vel ad modicum tempus substiterit; si vel ad punctum temporis aliquoversum secesserit; si tenuerit manum alterius; si fabulari præsumpserit quantumcumque modice cum alio quam suo cohabitatore; si cum illo oraverit qui est ab oratione B suspensus; si aliquem parentum aut amicorum suorum viderit seu allocutus fuerit sine senioris sui præsentia sive licentia; si ab aliquo epistolam accipere vel alicui scribere præsumpserit sine licentia sui abbatis. Hucusque et in his similibus factis, infligitur punitio spiritualis. Residua vero quæ apud nos indifferenter admittuntur, et a nobis reprehensibilius tolerantur, non præfata increpatione spirituali ac levi, sed verberibus emendantur aut expulsione purgantur, ut sunt: aperta con- C vitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera et effrenata processio, familiaritas feminarum, ira, rixa, simultas et jurgium, proprietas, avaritia, affectus atque possessio superfluorum quæ a ceteris Fratribus non habentur, extraordinaria et furtiva refectio, et istis similia.

CAPITULUM XVII.

Quibus auctoribus sit inventum ut lectio fiat ad refectionem; et de magno Ægyptiorum silentio. D

PORRO, quod reficientibus Fratribus sacræ lectiones in cœnobiis ad mensam legantur, non de Ægyptiorum sed Cappadocum observantia emanavit: qui hoc statuerunt magis ad reprimendum verba otiosa, superflua, præsertim contentiosa quæ frequenter refectionis tempore proferuntur (videntes ea aliter cohiberi non posse), quam causa spiritualis exhortationis. Ab Ægyptiis autem et Tabennensiotis monachis omnibus tantum in mensa servatur silentium, ut tanta Fratrum multitudine reficiente, nemo audeat semel mutire, præter eum qui decaniam suam exercet ac præest: qui tamen sonitu magis quam voce significat, si quid viderit oportere apponi Fratribus aut deponi. Et tanta hujus disciplina silentii manducantibus eis servatur, ut cucullis ultra oculorum palpebras tractis ne oculis evagentur, nihil nisi mensam et cibos ante se positos intueantur, ita ut nullus notet quantum aut qualiter reficiat alter.

CAPITULUM XVIII.

Quam illicitum sit extra mensam communem aliquid cibi aut potus gustare.

DENIQUE, ante communem refectionem legitimam et post eam, summa cautione observant ne quis extra mensam aliquid cibi accipiat: in tantum quod, dum Fratres eunt per hortos atque pomaria, et vident non solum poma in arboribus blande ac passim pendentia, sed etiam super terram jacentia et ad colligendum parata, suaque opportunitate et copia ad consensum concupiscentiæ allicere valentia, non tantum ex eis nihil gustant, sed nec manu attingunt, præter id quod ad communem mensam eis præbetur, ac erogatione dispensatoris per Fratrum obsequia manifeste proponitur.

CAPITULUM XIX.

Qualiter per Palæstinam ac Mesopotamiam quotidiana obsequia Fratribus exhibeantur.

NE quid autem de institutis cœnobiorum omisisse videamur, commemorandum breviter puto qualiter quotidiana obsequia Fratribus exhibeantur, etiam per alias regiones. Per totam namque Mesopotamiam, Palæstinam et Cappadociam, uni-

versumque orientem, Fratres singulis hebdomadibus succedunt invicem ad hæc obsequia mutuo sibi reddenda, ita ut secundum multitudinem cœnobii ministrorum numerus deputetur. Qui injuncta sibi obsequia cum tanta devotione et humilitate implere festinant, quod nullus servus domino suo, quamvis durissimo ac præpotenti, tam promptum exhibet famulatum : ita quod consueta obsequia implere non contentantur quæ regulari institutione solvuntur, sed de nocte quoque surgentes unus opus alterius impleat, et secrete invicem se præveniant ad faciendum quæ aliis incumbebant, et unus alium relevet a labore. Præterea unusquisque septimanam suam suscipiens, ministrat usque ad cœnam sequentis dominicæ. Qua peracta, ita finitur obsequium totius hebdomadæ, ut omnibus Fratribus in unum convenientibus ad cantandum psalmos quos ante noctis quietem ex more decantant, hi qui ministraverunt omnium pedes per ordinem lavent : hanc mercedem pro labore totius septimanæ ab eis fideliter expetentes, ut omnes generaliter orent simul pro eis qui juxta Christi mandatum pedes ipsorum laverunt, quatenus quidquid per ignorantiam aut fragilitatem peccaverunt, eis indulgeatur, et consummata obsequia devotionis eorum sint Deo accepta tanquam sacrificium pingue. Sicque feria secunda post psalmos matutinos assignant vasa et utensilia in quibus ministraverunt, Fratribus qui in ministerio eis succedunt. Qui utensilia illa cum tanta cura et sollicitudine suscipiunt atque custodiunt, ne quid ex illis minuatur aut pereat, ut credant se pro minimis quibuslibet vasis, tanquam Deo consecratis, rationem reddituros non solum præsenti dispensatori, sed etiam Creatori, si forte aliquid ex illis per ipsorum negligentiam fuerit diminutum.

Cujus disciplinæ modum, et quanta fide ac cautione servetur, poteritis scire testimonio uno quod exempli gratia ponam. Sicut enim studemus satisfacere vestro A fervori, quo cupitis vobis iterato narrari hoc libello etiam ea quæ optime scitis, desiderantes plenam universorum cognitionem : ita veremur mensuram brevitatis excedere.

CAPITULUM XX.

De tribus granis lenticulæ a dispensatore repertis.

In septimana cujusdam Fratris præter- B iens dispensator, vidensque jacere in terra tria lenticulæ grana quæ de manu hebdomadarii festinantis et ea coctioni parantis elapsa sunt cum aqua qua mundabantur, abbatem super hoc confestim consuluit. A quo Frater ille judicatus est tanquam transgressor, et peculii sacri neglector : unde ab oratione suspensus est. Cujus negligentiæ culpa non aliter ei dimissa est, nisi quum eam publica pœnitentia expiasset. Nempe non solum se ipsos credunt non esse suos, sed etiam C omnia sua credunt Domino consecrata : propter quod quidquid fuerit monasterio semel collatum, asserunt cum omni reverentia esse tractandum. Tantaque fide omnia illa tractant, custodiunt et dispensant, ut tota credulitate confidant se mercedem consecuturos a Deo, si etiam ea quæ habentur despectui et parva ac vilia reputantur, de loco aliquo moverint aut aptius collocaverint, si gillonem impleverint aqua, vel ex eo alicui dederint potum, si parvam festucam de oratorio aut cella removerint. D

CAPITULUM XXI.

De spontaneo quorumdam Fratrum obsequio.

Novimus quosdam Fratres in quorum septimana tantus fuit defectus lignorum, quod solita cibaria Fratribus præparari non poterant. Et quum ipsi Fratres xerophagia contenti essent quousque possent ligna afferri, et donec hoc esset abba-

tis auctoritate præceptum, et universis id Fratribus placuisset, nec aliquis ullum speraret coctionis pulmentum; Fratres præfati dolentes se fructu ac mercede sui obsequii ac laboris fraudari, si in ordine ministerii sui non pararent consueta cibaria Fratribus, tantum sibi indixerunt laborem spontaneum tantamque curam, ut in locis illis aridis ac sterilibus, in quibus ligna inveniri non valent, nisi ab arboribus fructiferis excidantur (non enim ibi, ut apud nos, reperiuntur ulla fruteta silvestria) : ibi, inquam, Fratres illi per inviam solitudinem discurrentes, et eremum quæ versus mare Mortuum tenditur circumeuntes, collegerunt in gremiis suis festucas ac spinulas tenues a vento huc illucque dispersas, consuetaque cibaria per hæc Fratribus præparaverunt; nec de solita coctione patiebantur aliquid subtrahi, tanta fide exhibentes Fratribus hæc munera sua, quum tamen eos excusare posset honeste lignorum penuria, et abbatis præceptum. Attamen desiderio fructus ac præmii sui noluerunt excusatione hac uti, nec a laboribus supportari *.

* *Cf.* tom. II. p. 376 A', 377 C'.

CAPITULUM XXII.

De Ægyptiorum modo super quotidianis Fratrum statutis obsequiis.

HÆC dicta sunt secundum morem totius orientis, ut diximus : quem etiam ducimus in nostris partibus necessario observandum. Ceterum apud Ægyptios, qui operibus maxime sunt intenti, non est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione hujus obsequii omnes ab operis regula impediantur; sed uni probatissimo Fratri cura cellarii seu coquinæ committitur, qui jugiter opus istud exerceat, quamdiu ætas et vires ejus permittunt. Non enim in hoc magno labore corporis fatigatur, quoniam inter eos non est magna cura de coctione cibariisque parandis, quum maxime xerophagiis omophagiisve utantur, et apud quos summa voluptas est singulis mensibus uti sectis porrorum foliis, lapsanio, sale frixo, olivis, pisciculis minutis sallitis quos illi mænidia vocant.

CAPITULUM XXIII.

De obedientia abbatis Joannis, per quam ad gratiam prophetiæ pervenit.

ET quoniam liber iste prænotatur hoc titulo, De institutione ejus qui renuntiat huic mundo, per quam ad veram humilitatem et perfectam obedientiam introductus, ceterarum quoque virtutum possit perfectiones ascendere : necessarium reor quorumdam seniorum gesta exprimere, sicut promisimus, exempli gratia, per quæ in virtute obedientiæ præfulserunt; de multis valde pauca narrantes, ut ex his non solum incitamentum vitæ perfectæ, sed etiam forma propositi oriatur eis qui cupiunt perfectiora sectari. Quamobrem de tam innumerabili Patrum multitudine ponemus duos aut tres, propter succinctam brevitatem præsentis libelli. Primo, abbatem Joannem, qui commoratus est juxta Lyco *, quod est Thebaidis oppidum. Qui propter virtutem obedientiæ suæ ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic universo claruit orbi, ut etiam regibus mundi hujus suis meritis redderetur illustris. Quum enim in extremis Thebaidis partibus moraretur, ut diximus, Theodosius imperator non audebat ante ad bella procedere contra præpotentes tyrannos, nisi prius abbatis Joannis oraculis animaretur atque responsis : quibus tanquam cœlitus sibi delatis confidens, triumphum obtinuit de desperatis bellis ac hostibus.

* Lycopolim

CAPITULUM XXIV.

De ligno arido quod abbas Joannes rigavit ad senioris sui arbitrium.

HIC itaque beatus Joannes ab adolescentia sua usque ad perfectam et virilem ætatem seniori deserviens usque

ad finem vitæ illius, cum tanta humilitate A inhæsit senioris obsequiis, ut ejus obedientia summum stuporem incuteret seni. Qui volens manifestius explorare an obedientia ista Joannis descenderet de vera fide atque profunda cordis simplicitate, an potius ficta esset et coacta, et solum præberetur ad oculum imperantis, plura ei superflua et minus necessaria, imo et impossibilia, sæpe injunxit. Ex quibus tria ponam, per quæ puritas suæ mentis et integritas subjectionis manifestari possunt volentibus eam scire. Sumpsit namque B senex de lignario suo virgultum quod olim excisum, fuit foco paratum, et occasione coctionis non occurrente, jacebat non solummodo aridum, sed temporis vetustate quodammodo putrefactum. Quumque hoc lignum coram Joanne fixisset in terra, præcepit ei ut aqua allata illud quotidie irrigaret, quatenus diurnis humoribus irrigatum ac radicatum, et in antiquam arborem reviviscens, exhiberet diffusis ramis, sub se residentibus, amœnitatem oculorum atque umbraculum ab æstu ca- C lorum. Quod præceptum solita veneratione suscipiens adolescens absque omni impossibilitatis consideratione, ita implevit quotidie, ut aquam quasi per milliaria duo indesinenter apportans, lignum rigare nequaquam cessaret : sic quod per totum anni spatium nec infirmitas corporis, nec festivitatis solennitas, nec occupatio necessitatis quæ eum poterat excusare honeste, nec interveniens asperitas aeris, potuit eum impedire a præfati exsecutione mandati. Quumque hanc ejus se- D dulitatem tacitus senex latenter quotidie exploraret, videret quoque eum simplici cordis affectu implere suum mandatum, tanquam de cœlo missum, sine ulla vultus mutatione ac rationis discussione; sinceram ejus obedientiam approbans, et tam longo ejus labori compatiens, ad aridum virgultum accedens, dixit : O Joannes, misitne lignum istud radicem, an non? Quod quum ille nescire se respondisset, senex quasi veritatem rei inquirens, an scilicet lignum radicibus terræ inhæreret, levi motu illud extraxit, projectoque ligno, præcepit ut ab irrigatione cessaret.

CAPITULUM XXV.

De unico olei vase a Joanne projecto ad senioris sui imperium.

Quum itaque talibus exercitiis Joannes adhuc juvenis eruditus in obedientiæ virtute quotidie cresceret, et ejus humilitas innotesceret multis, suavisque odor obedientiæ suæ per cuncta monasteria diffunderetur; quidam Fratrum desiderio probationis, imo ædificationis, venientes ad senem, quum obedientiam Joannis quam audierant, mirarentur, vocans eum subito senex, dixit : Ascende, et deorsum projice per fenestram vas olei, quod solum nostro atque advenientium usui modicissimum ministrat liquorem. Quod ille ad superiora velocissime scandens projecit deorsum et fregit, parum cogitans ineptitudinem præcepti, diuturnam eorum necessitatem, infirmitatem corporis, penuriam expensarum, squalentisque eremi difficultates atque angustias : in qua, etiam si abundasset pecunia, tamen vas tale inveniri non poterat nec reparari.

CAPITULUM XXVI.

De obedientia ejusdem in volvendo saxo magno quod a multis non poterat moveri.

Aliis rursum Fratribus informari cupientibus exemplo obedientiæ ejus, vocans eum senex : Curre, inquit, et saxum illud volve istuc velociter. Qui confestim grandem lapidem illum, quem nec multi poterant movere, conabatur advolvere : nunc cervicem, nunc totum corpus suum applicans tanto nisu, ut non solum irrigaret totam vestem suam sudore omnium membrorum suorum, sed etiam lapidem suis humectaret cervicibus; in his parum ponderans impossibilitatem præce-

pti præ reverentia senis atque obsequii simplicitate sincera, qua tota fide credebat senem sine ratione aut frustra nil posse præcipere.

CAPITULUM XXVII.

De humilitate et obedientia abbatis Mutii in projiciendo proprium filium suum in flumen juxta senioris imperium.

HUCUSQUE pauca de multis factis abbatis Joannis sufficiat recitasse. Nunc enarrabo factum abbatis Mutii dignum memoria. Hic namque abrenuntiare desiderans mundo, tamdiu ante fores monasterii jacuit, donec insuperabili perseverantia sua obtinuit recipi cum parvulo filio suo circiter octo annorum, contra omnem consuetudinem cœnobiorum. Quumque recepti fuissent, non solum diversis magistris sunt traditi, sed et habitatione cellæ statim divisi : ne pater assidua visione parvuli sui, recordaretur facultatum quibus renuntiavit, et ne carnali affectio- C ne filium sibi superesse adverteret; sed sicut ignoravit se divitem esse, sic nescivit se patrem exsistere. Quod ut plenius probaretur, an scilicet plus faceret ex sanguinis et viscerum suorum affectione, an ex obedientia et Christi mortificatione, quam omnis renuntians pro ejus amore debet omni sensuali affectioni præferre; de industria negligebatur puerulus, panniculis potius indutus quam vestibus, immunditiis quoque sic opertus ac inquinatus, ut contristare magis quam delectare D potuisset oculos patris, quoties fuisset ab eo visus. Insuper patre suo vidente, frequenter colaphis alapisque percussus est absque demerito suo, ita ut pater nunquam videret genas ejus nisi lacrimis irrigatas. Quumque puer per singulos dies sub oculis patris taliter tractaretur, tamen pro Christi amore et virtute obedientiæ, viscera patris rigida et immota jugiter permanserunt. Non enim jam reputabat filium suum, quem secum pariter obtulit A Christo, nec curavit de præsentibus afflictionibus ejus, sed magis gaudebat quod non infructuose vidit filium suum talia pati : parum cogitans de planctu illius, sed de propria humilitate ac perfectione sollicitus. Quam districtionem immobilemque rigorem Mutii intuens abbas cœnobii, et constantiam ejus volens plenius experiri, quum quadam die vidisset puerum lamentantem, simulans se commotum contra eumdem, dixit Mutio : Tolle, et jacta eum in fluvium. Tunc ille, quasi hoc sibi a Deo B fuisset præceptum, mox rapuit puerum, ac propriis ulnis celeri cursu portavit ad fluvium, ut in eum projiceret parvulum. Quod etiam ex fervore fidei et obedientiæ protinus adimplesset, nisi de industria quidam Fratres ripam fluminis obsedissent, et exsecutionem impedivissent præcepti.

CAPITULUM XXVIII.

Qualiter revelatum sit abbati cœnobii, Mutium fecisse opus Abrahæ patriarchæ; et quod in regimine monasterii Mutius suo successerit abbati.

DENIQUE fides atque devotio Mutii in tantum complacuit Deo, quod divino est testimonio collaudata. Nam paulo post revelatum est abbati cœnobii, Mutium esse parificatum in virtute obedientiæ Abrahæ patriarchæ. Quumque brevi tempore consummato abbas ille migraturus esset ad Dominum, præposuit Fratribus cunctis Mutium, eumque reliquit successorem sui et abbatem cœnobii.

CAPITULUM XXIX.

De Fratre qui decem sportas publice sigillatimque vendidit.

NON tacebimus virtutes Fratris cogniti nobis, nobilissimi genere secundum sæculi dignitatem : nam comitis filius fuit, et liberalibus artibus non mediocriter eruditus. Qui dum relictis parentibus mona-

sterium introisset, abbas ad probandum mentis suæ humilitatem fideique ardorem, confestim ei præcepit ut decem sportas quas publice vendi non erat necesse, propriis humeris circumferret per plateas, tali conditione vendendas, ut eas venderet sigillatim, quatenus diutius in hoc occuparetur officio. Quod ille tota devotione complevit, et omni verecundia Christi amore calcata, sportas humeris suis impositas statuto vendidit pretio, pecuniamque portavit ad claustrum; nequaquam perterritus novitate tam vilis et inconsueti officii, neque considerans indignitatem rei, aut nobilitatem parentum, seu venditionis contemptibilitatem, dum per obedientiæ meritum obtinere desiderat Christi humilitatem, quæ est vera nobilitas cordium.

CAPITULUM XXX.

De humilitate abbatis Pinuphii, qui relicto celeberrimo monasterio cui præfuit presbyter, longinquum cœnobium expetiit, ut susciperetur in eo tanquam novitius, desiderio subjectionis.

COARCTAT nos mensura libelli ad finem accelerare; sed obedientiæ virtus, quæ inter ceteras sortitur primatum, non patitur nos præterire silentio gesta eorum qui per obedientiam claruerunt. Propter quod utrumque congrue temperantes, utpote tam brevitati quam studiosorum desideriis atque utilitatibus deservientes, unum adhuc humilitatis exemplum ponemus : quod non ab incipiente, sed a viro perfecto et abbate peractum, potest sua lectione non solum juniores instruere, sed etiam seniores ad perfectam humilitatem accendere.

Vidimus itaque abbatem Pinuphium, qui quum esset maximi cœnobii presbyter in Ægypto, et propter reverentiam suæ vitæ et ætatis ac sacerdotii cunctis honorabilis, videns se propter hoc exercere non posse humilitatem quam secundum mentis suæ ardorem exsequi concupivit, clam de cœnobio fugiens, solus perrexit usque in

A ultimas Thebaidis partes; ibique deposito habitu monachorum, sæculari veste indutus, accessit cœnobium Tabennensiotarum, quod sciebat districtius esse cunctis cœnobiis, et in quo credidit se posse latere propter distantiam regionis, vel magnitudinem claustri, aut propter multitudinem Fratrum. Ubi ante fores diutius perseverans, et omnium Fratrum genibus provolutus, affectuosissimis precibus rogavit ut susciperetur. Quumque post multas quasi aspernationes tandem fuisset admissus :
B quod scilicet decrepitus senex, et qui vitam suam consumpsisset in sæculo, recipi postularet in monasterio quando suis voluptatibus jam ultra deservire non posset, nec causa religionis id attentaret, sed famis necessitate inductus; ei tanquam seni et nulli operi apto, cura et diligentia horti mandata est. Quam prosequens sub Fratre alio juniori cui erat commissus, sic Fratri illi se subdidit, atque cum tanta obedientia desideratam humilitatis virtutem perduxit ad actum, ut tota sedulitate
C expleret quotidie non solum pertinentia ad horti culturam, verum etiam universa officia quæ erant omnibus Fratribus aspera, gravia et indigna, imo a cunctis reputabantur horrenda. De nocte quoque clam surgens, quamplura effecit tam furtim, nullo teste aut conscio, quod nemo cognovit.

Quumque ibidem per annos tres latens, quæreretur a Fratribus suis undique per universam Ægyptum, tandem visus a quodam qui nuper venerat de Ægypto, agnosci vix potuit præ humilitate habitus sui,
D et vilitate officii quod gerebat. Siquidem dorso incurvato terram aperuit sarculo, deinde stercora humeris suis apportans, ea olerum infudit radicibus. Quumque Frater hæc intuens, de ejus cognitione diutius dubitasset, tandem propius accedens, et non vultum dumtaxat, sed et sonum vocis diligenter considerans, statim se ad ejus pedes prostravit. Per quod omnibus primo intuentibus magnum incussit stuporem, cur fecerit istud ei qui apud eos habebatur extremus, tanquam novitius et nu-

per de mundo egressus. Sed paulo post A majori sunt admiratione percussi, quum Frater ille prodidisset nomen senis, quod apud eos quoque fuit famosum. Tunc universi Fratres veniam postulaverunt ab eo de hoc quod tanto tempore eum inter juniores ac parvulos deputaverant; atque ad proprium cœnobium reduxerunt eum invitum ac flentem, eo quod ex invidia diaboli privatus esset conversatione sibi condigna, et humilitate diu quæsita ac tandem inventa, nec meruisset vitam suam in arrepta subjectione finire. Denique Fratres B eum diligentissime custodiebant, ne rursus latenter ab ipsis aufugeret.

CAPITULUM XXXI.

Qualiter idem abbas reductus ad monasterium suum, iterum fugerit in Syriæ partes.

UBI dum modico tempore habitasset, eodem humilitatis desiderio ac subjectionis fervore iterum fugit in nocte, non in vicinam provinciam, sed in remo- C tas atque ignotas regiones. Nam navem ingressus in Palæstinam devenit, credens se ibi tutius abscondendum, ubi nec nomen ipsius fuit auditum. Quo quum venisset, monasterium nostrum protinus est ingressus, quod longe non erat a spelunca ubi Dominus noster Jesus Christus dignatus est nasci ex Virgine. Ibique modico
Matth. v, 14. tempore latens, diu abscondi non potuit, tanquam civitas supra montem posita, prout Christus prædixit. Continuo namque quidam Fratres de Ægypto ad loca sancta D orationis causa advenientes, eumque cognoscentes, cum instantissimis precibus reduxerunt eum ad suum cœnobium.

CAPITULUM XXXII.

De præceptis quæ idem abbas dedit Fratri quem in nostra recepit præsentia.

HUNC igitur senem quum postea in Ægypto diligentissime inquisissemus propter familiaritatem quam secum habuimus in præfato monasterio nostro, utile arbitramur in opusculo isto describere exhortationem quam fecit Fratri quem in nostra præsentia in suo suscepit claustro. Nam dixit ad eum : Scis quot diebus ante fores jacueris, antequam hodie sis receptus. Cujus difficultatis causam debes primo cognoscere. Poterit quippe tibi multum prodesse in via ista quam cupis intrare, si cognita ejus causa, accesseris ad Christi obsequium decenter et sicut oportet.

CAPITULUM XXXIII.

Quod sicut magnum est præmium monacho digne conversanti, sic magna instet damnatio negligenti : ideo non debere quemquam in monasterio faciliter recipi.

QUEMADMODUM enim immensa gloria in cœlo promittitur fideliter servientibus Deo, et juxta monasticæ institutionis regulam adhærentibus ei; sic pœnæ gravissimæ imminent eis qui eam negligenter ac tepide fuerint exsecuti, nec dignos virtutum fructus exhibuerint Domino, secundum quod professi sunt, et ab hominibus facere reputantur. Melius namque Eccle. v, 4.
secundum Scripturam est, non vovere, quam vovere nec reddere. Maledictus est Jer. xlviii, 10.
quoque qui facit opus Domini negligenter. Ideo itaque a nobis diutissime refutatus es, non quasi tuam omniumque salutem non desideremus toto affectu, aut quasi non affectemus etiam procul occurrere cupientibus ad Christum converti; sed ne temere et incaute recipiendo, faceremus nos ipsos reos levitatis apud Deum, et te graviori supplicio dignum, utpote si faciliter nunc receptus, nec onus professionis hujus intelligens, fias post hæc violator, seu fugitivus, aut tepidus. Quamobrem causam renuntiationis debes in primis cognoscere, quatenus cognita ea, instruaris perfectius ex ejus ratione quid te oporteat agere.

CAPITULUM XXXIV.

Quod abrenuntiatio non sit aliud quam mortificatio et imago crucifixi.

ABRENUNTIATIO nihil est aliud quam crucis ac mortificationis indicium. Ideo scias te hodie esse defunctum huic mundo et desideriis actibusque ipsius, et
Galat. VI, 14. secundum doctrinam Apostoli, te esse mundo huic crucifixum, tibique mundum. Considera ergo crucis conditiones, sub cujus mysterio te oportet de cetero vivere in
Ibid. II, 20. sæculo isto : quoniam jam non tu vivis, sed vivit in te ille qui est crucifixus pro te. Ideo nos oportet in vita ista persistere eo habitu et figura qua ille fuit in patibulo pro nobis suspensus, ut juxta Davidis
Ps. CXVIII, 120. eloquium, configentes Dei timore carnes nostras, habeamus universa desideria et voluntates animæ nostræ cruci et passioni Christi affixa, non propriis concupiscentiis dedita. Sic enim implebimus præce-
Matth. X, 38. ptum Christi dicentis : Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Sed forsan dices : Quomodo potest homo jugiter crucem portare ? aut qualiter aliquis vivens potest esse crucifixus ? Audi breviter rationem.

CAPITULUM XXXV.

Quod timor Dei sit crux nostra.

CRUX nostra est timor Dei. Quemadmodum ergo aliquis crucifixus non habet potestatem movendi aut convertendi membra sua quoquam juxta placitum animi sui, ita et nos applicare ac regulare debemus voluntates ac desideria nostra, non secundum id quod nobis suave est præsentialiterque delectat, sed secundum legem Dei, prout ipsa nos constringit ac dirigit. Et sicut qui cruci affigitur jam non præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, neque pro crastino sollicitatur, nec cupiditate divitiarum movetur, nulla superbia, contentione aut
A æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet incommodis, nec præteritarum recordatur injuriarum, seque adhuc spirantem in corpore reputat esse mortuum omnibus quæ sunt mundi, illuc defigens atque præmittens cordis sui intuitum, quo se credit illico esse venturum ; ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet mortuos esse non solum carnalibus vitiis, sed et omnibus mundi rebus ac elementis, illuc habentes oculos cordis nostri directos, quo migraturos nos esse inces-
B santer sperare debemus. Sic enim universas affectiones concupiscentiasque carnales poterimus habere mortificatas.

CAPITULUM XXXVI.

Quod renuntiatio nihil prosit, si his quibus renuntiavimus iterum implicemur.

CAVE ergo ne unquam resumas quidquam eorum quæ abrenuntians abjecisti, et ne contra Christi prohibitionem
C reversus de agro evangelicæ operationis, *Matth.* XXIV, 18.
inveniaris revestiri tunica tua qua te exspoliasti ; nec revertaris ad viles atque terrenas concupiscentias hujus mundi, et contra Christi præceptum de perfectionis tecto descendens, præsumas tollere quid- *Ibid.* 17.
quam ex his quæ, te abnegans, reliquisti. Cave ne recorderis carnaliter parentum tuorum, aut pristinæ affectionis : ne ad sæculi hujus curas sollicitudinesque reductus, et juxta Salvatoris sententiam, manum tuam supra aratrum ponens, ac retro *Luc.* IX, 62.
D adspiciens, aptus esse non possis regno cœlorum. Cave ne aliquando resuscites in te elationem, quum cœperis degustare quamdam scientiam psalmorum professionisque tuæ, quam elationem modo incipiens conculcasti fidei ardore ac plena humilitate, sicque juxta Apostolum, rur- *Galat.* II, 18.
sus ædificans quæ destruxisti, prævaricatorem constituas temetipsum ; sed potius in finem usque persevera in paupertate hac quam coram Deo et angelis ejus professus es. Nec tantum permaneas, sed

insuper proficias semper et crescas in hac humilitate et patientia qua cum multis lacrimis in monasterio suscipi postulasti, decem diebus jacens præ foribus. Etenim valde est miserum a rudimentis ac primordiis tuis ad inferiora corruere, quum tenearis ab ipsis ascendere, et ad perfectionem conari. Non enim qui cœperit, sed
Matth. xxiv, 13. qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

CAPITULUM XXXVII.

Quod diabolus nostro fini semper insidietur, et nos observare jugiter debeamus caput ipsius.

VERSUTUS etenim serpens calcaneum seu finem nostrum semper observat, quia exitui nostro insidiatur indesinenter, et usque ad terminum vitæ nostræ nos nititur supplantare. Idcirco non prodest bene cœpisse, ac pleno fervore arripuisse abrenuntiationis principium, si post hæc congruus finis non commendaverit ea, ac correspondent eis, et nisi Christi humilitas ac paupertas quam nunc coram eo professus es, custodita fuerit a te usque ad extremum vitæ tuæ, sicut jam a te exstat arrepta. Quod ut possis implere, semper observa caput ipsius, id est pravarum cogitationum principia, deferens ea ac pandens mox seniori. Sic namque addisces conterere perniciosa ejus principia, si nihil ex eis erubueris tuo revelare majori.

CAPITULUM XXXVIII.

De præparatione renuntiantis adversus tentationes, et de paucis imitandis.

Eccli. II, 1. QUAPROPTER secundum Scripturæ doctrinam, egressus ad serviendum Domino, sta in timore ipsius, et præpara animam tuam, non ad requiem, non ad securitatem, sed ad tentationes atque an-
Act. XIV, 21. Matth. VII, 14. gustias. Per multas enim tribulationes oportet nos ingredi regnum Dei. Angusta A quippe est porta, et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam. Considera igitur te effectum de paucis atque electis; ne exemplo et tepore multorum pereuntium refrigescas, sed vive ut pauci, ut merearis cum paucis inveniri in regno Dei. Multi equidem sunt vocati, pauci ve- Matth. XX, 16; XXII, 14. Luc. XII, 32.
ro electi; et pusillus est grex cui complacuit Patri dare hereditatem cœlestem. Itaque noveris non leve esse peccatum, si quis perfectionem professus, imperfecta sectetur. Ad perfectionem autem pertin-
B gitur his gradibus atque hoc ordine.

CAPITULUM XXXIX.

Quo ordine possit quis ad perfectionem venire, quo de timore Dei ad caritatem ascendat.

PRINCIPIUM atque custodia nostræ salutis, est timor Dei : per quem acquiritur initium conversionis, purgatio vitiorum, et virtutum custodia his qui ad C vitam informantur perfectam. Qui quum penetraverit hominis mentem, parit omnium rerum contemptum, oblivionem parentum, ac mundi horrorem. Porro humilitas acquiritur contemptu ac privatione omnium facultatum. Signa quoque humilitatis sunt ista : primo, si habeat homo in se mortificatas omnes proprias voluntates; secundo, si revelaverit superiori suo non solum universas suas actiones, sed etiam suas cogitationes; tertio, si universa committat ejus judicio et nihil suæ dis-
D cretioni, monita quoque senioris sui avide ac libenter auscultet; quarto, si in omnibus servet obedientiam, mititatem, patientiamque constantem; quinto, si non solum nulli injuriam inferat, sed et sibi illatam toleret absque tristitia et dolore; sexto, si nihil agat aut præsumat, ad quod non hortetur communis regula aut majorum exempla; septimo, si semper vilibus sit contentus, ad omnia quoque quæ sibi præcipiuntur judicaverit se tanquam operarium malum atque indignum; octavo, si

intimo cordis affectu credat se cunctis in- A feriorem, nec sola labiorum superficie se talem pronuntiet; nono, si linguam suam refrenet, nec sit clamosus in voce; decimo, si non sit pronus ad risum. His namque et eis similibus signis cognoscitur vera humilitas. Quæ quum fuerit vere possessa, confestim perducet te gradu ex- (I Joann. IV, 18.) cellentiori ad caritatem, quæ timorem non habet : per quam absque ullo labore, quasi ex naturali inclinatione, incipies custodire universa quæ ante non sine pœna formidinis observabas, non jam intuitu B aut timore alicujus supplicii, sed amore ipsius boni ac delectatione virtutum.

CAPITULUM XL.

Quod monachus non debeat exempla perfectionis trahere a multis, sed ab uno vel paucis.

AD quod ut possis facilius pervenire, debes in congregatione habitans, exempla imitationis ac perfectionis expetere C a paucis, imo ab uno aut duobus, non a pluribus. Nam præter id quod vita probata, perfecta et pura reperiatur in paucis, etiam ista utilitas inde causatur, quod homo diligentius instruitur ac formatur ad perfectionem cœnobialis seu monasticæ vitæ, exemplo unius, quam plurimorum.

CAPITULUM XLI.

Quarum debilitatum similitudinem in se suscipere debeat, qui in cœnobio commo- D ratur.

QUÆ omnia ut consequi possis, et sub spirituali regula perpetue perdurare, tria hæc sunt tibi necessario in monasterio observanda. Ut scilicet exemplo Psal- (Ps. XXXVII, 14, 15.) mistæ dicentis : Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones : tu quoque velut surdus et mutus ac cæcus incedas, ut dempta consideratione ejus qui merito perfectionis suæ fuerit tibi ad imitandum præpositus, tanquam cæcus non videas quæcumque tibi occurrerint minus ædificatoria, ne animatus auctoritate aut exemplo eorum qui talia agunt, alliciaris ad deteriora, et ad ea quæ ante damnasti. Idcirco, si audieris aliquem inobedientem vel contumacem, seu detrahentem, aut aliter facientem quam tibi traditum est aut commissum, non scandalizeris, nec tali subvertaris exemplo ut eum sequaris; sed universa pertranseas, tanquam surdus qui ea nequaquam audierit. Si tibi aut alteri irrogentur injuriæ sive convitia, esto immobiliter patiens, et ad responsionem vindictæ seu talionis sis tanquam mutus. Ausculta semper versiculum istum Psalmistæ, et eum in tuo corde decanta : Dixi, Custo- (Ps. XXXVIII, 2, 3.) diam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam, quum consisteret peccator adversum me; obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis. Sed et quartum istud præ omnibus tene, quod et tria prædicta commendat et ornat, ut juxta præceptum Apostoli, te stul- (I Cor. III, 18.) tum facias in hoc mundo, ut sis sapiens : utpote nihil decernens ex his quæ tibi fuerint jussa, sed obedientiam semper cum omni simplicitate et fide exhibeas, illud tantummodo judicans sanctum, utile et peritum, quidquid tibi injunxerit dictamen Dei, aut senioris tui. Tali etenim institutione fundatus, poteris sub disciplina hac perpetue perdurare, nec ullis tentationibus inimici aut machinationibus avelleris de claustro.

CAPITULUM XLII.

Quod veritatem patientiæ suæ non debeat quis sperare de aliorum virtute.

ERGO patientiam tuam non debes sperare de aliorum virtute, ut scilicet putes te tunc patientem quando a nemine irritaris : quod ut contingat, tuæ non

subjacet potestati; sed patientiam spera A te obtinere aut possidere de propria tua humilitate ac longanimitate.

CAPITULUM XLIII.

Recapitulatio, qualiter monachus possit ad perfectionem ascendere.

PORRO, ut omnia quæ diffusius dicta sunt, facilius tuo cordi imprimantur, tuisque sensibus valeant tenacissime in- B hærere, colligam tibi compendium ex his, per quod breviter scire ac reminisci possis universa præcepta. Audi ergo ordinem paucis verbis. Principium nostræ salutis Prov. I, 7; ac sapientiæ est timor Dei, secundum Scri- IX, 10. pturas. De timore Dei oritur salutaris compunctio. De compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est nuditas et contemptus omnium divitiarum. De nuditate seu paupertate humilitas procreatur. De humilitate generatur mortificatio voluptatum. Ex mortificatione voluptatum mortificantur atque marcescunt vitia universa, pullulantque virtutes. Pullulatione quoque virtutum puritas cordis acquiritur. Puritate cordis perfectio caritatis apostolicæ possidetur.

Libri octo subsequentes, sunt de naturis, causis ac remediis octo capitalium seu principalium vitiorum : Gula videlicet, Luxuria, Avaritia, Ira, Tristitia, Acedia, Vana gloria, Superbia.

LIBER V

DE SPIRITU GASTRIMARGIÆ, ID EST GULÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Transitus de institutis monasteriorum ad colluctationem octo principalium vitiorum, id est ad pugnam contra ea.

QUINTUM hunc librum Deo juvante jam compilamus : quia post quatuor libellos de statutis monasteriorum jam editos, proponimus modo arripere colluctationem seu disputationem contra octo principalia vitia, Deo nos adjuvante per vestras orationes. Et primo contra gulam; B secundo contra fornicationis concupiscentiam; tertio contra philargyriam, id est avaritiam seu amorem pecuniæ; quarto contra iram; quinto contra tristitiam; sexto contra acediam, quæ est anxietas vel tædium cordis in divinis; septimo contra cenodoxiam, id est vanam gloriam; octavo contra superbiam.

Tuis ergo precibus, o beatissime episcope Castor, nunc abundantius indigemus : ut primo possimus investigare condigne naturas horum vitiorum tam minutas, oc- C cultas atque obscuras; deinde causas eorum sufficienter exponere; tertio quoque idonee introducere curationes et remedia eorumdem.

CAPITULUM II.

Quod sicut causæ vitiorum omnibus insunt, ita ab omnibus ignorentur; et quod ad manifestandum eas indigeamus auxilio Dei.

QUEMADMODUM causæ passionum agnoscuntur statim ab omnibus, quum A fuerint patefactæ traditionibus seniorum; ita ab omnibus ignorantur priusquam manifestentur, quum tamen universi vastemur seu impugnemur ab ipsis, atque in omnibus nobis exsistant. Sed confidimus posse nos eas aliqualiter explicare, si intercessionibus vestris dirigatur ad nos sermo Domini per Isaiam prolatus : Ego ante *Is.* XLV, 2, 3. te ibo, et potentes terræ humiliabo; portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam, et aperiam tibi thesauros absconditos et arcana secretorum : quatenus B verbum jam allegatum, primo humiliet seu prosternat potentes terræ nostræ, id est easdem has noxias passiones quas cupimus expugnare, quæ vindicant sibi dominationem sævissimamque tyrannidem in mortali corpore nostro, et faciat eas nostræ investigationi et expositioni succumbere; sic quoque confringens in nobis ignorantiæ portas, et conterens vectes vitiorum excludentium nos a vera scientia, perducat nos ad arcana secretorum nostrorum, ac juxta Apostolum, revelet nobis I *Cor.* IV, 5. C illuminatis abscondita tenebrarum, manifestetque consilia cordium : ut sic penetrantes purissimis oculis ad obscuras vitiorum tenebras, possimus eas patefacere atque in lucem producere, causas quoque et naturas earum valeamus pandere his qui vel caruerunt eis, vel adhuc obligati seu aggravati sunt ipsis; et ita secundum Prophetam, transeuntes per ignem vitio- *Ps.* LXV, 12. rum nostras mentes dirissime exurentium, possimus etiam transire confestim illæsi per aquas virtutum exstinguentium vitia D ipsa, ac spiritualium remediorum rore perfusi, mereamur puritate cordis perduci ad refrigerium perfectionis.

CAPITULUM III.

Quod primo sit nobis pugna adversus concupiscentiam gulæ.

ITAQUE primo nos oportet inire certamen contra gulæ concupiscentiam. Atque in primis dicturi de modo jejuniorum et qualitate escarum, rursus recurremus ad traditiones et statuta Ægyptiorum, in quibus esse sublimiorem continentiæ disciplinam perfectamque discretionis rationem nullus ignorat.

CAPITULUM IV.

Testimonium abbatis Antonii, quo docet unamquamque virtutem esse addiscendam ab illo qui eam specialius ac excellentius possidet.

VETUS namque admirabilisque sententia est abbatis Antonii, quod monachus qui post conversionem et perfectionem claustralem nititur fastigia sublimioris perfectionis attingere, atque ad arcem vitæ anachoreticæ pervenire, nequaquam debet universas virtutes ab uno homine, quamvis perfectus sit, velle addiscere. Alius namque scientiæ floribus adornatur, alter virtute discretionis fortius communitur; alius gravitate patientiæ stabilitur, alter humilitate ; alter continentia magis fulcitur ; alter præfulget simplicitate, alius magnanimitate ; ille transcendit alios in vigilando, hic silentium observando, iste in laborando. Ideo monachus spiritualia mella colligere cupiens, debet tanquam prudentissima apis unamquamque virtutem velut flores accipere ab his qui eam familiarius seu eminentius habent, eamque in pectore suo diligenter recondere. Nec debet discutere in quo alter deficiat, sed tantum considerare ac studiose imitari virtutes quas habet. Si enim voluerimus omnes virtutes ab uno colligere et sectari, difficulter aut nunquam invenire poterimus idonea exempla ad imitandum. Nam
A licet nondum videamus ipsummet Christum in omnibus, qui secundum Apostolum, omnia factus est nobis; tamen hoc (*Coloss.* III, 11.) modo, id est per partes, possumus eum in omnibus invenire. De Christo etenim dicitur : Qui factus est nobis a Deo sapientia, justitia, sanctitas et redemptio. (I *Cor.* I, 30.) Dum ergo in alio reperitur sapientia, in alio justitia, in alio sanctitas, in alio mansuetudo, in alio castitas, in alio humilitas, Christus per unumquemque sanctorum nunc membratim divisus est ; concurrentibus
B vero universis in unitatem fidei ac virtutis, crescit in virum perfectum, perficiens scilicet plenitudinem mystici corporis (*Ephes.* IV, 13.) sui in compage seu unione et proprietate singulorum membrorum. In præsenti igitur vita potest Deus esse omnia in omnibus modo quo diximus, id est per partes virtutum (hoc est per diversos gradus et participationes earum), licet nondum sit omnia in omnibus per plenitudinem earumdem, quousque veniat tempus illud quo Deus erit perfecte omnia in omnibus. (I *Cor.* XV, 28.)
C Quoniam quamvis sit unus finis nostræ religionis, diversæ tamen sunt professiones et vocationes quibus itur ad Deum, sicut plenius ostendetur in Collationibus seniorum. Ideoque forma discretionis et continentiæ requirenda est nobis singularius ab his a quibus videmus virtutes has per gratiam Spiritus Sancti uberius emanare : non quod quisque possit solus acquirere omnia dona quæ in multis divisa sunt; sed ut in his donis quorum possumus esse capaces, tendamus ad imi-
D tationem eorum qui ea peculiarius obtinuerunt.

CAPITULUM V.

Quod non possit ab omnibus uniformis jejuniorum regula custodiri.

ITAQUE non faciliter observari potest uniformis regula jejunandi ab omnibus, quia nec etiam corpora æque robusta sunt, nec jejunia exercentur solo vigore

animi, sicut ceteræ virtutes. Quumque non in sola mentis virtute consistant, sed juxta possibilitatem corporis fiant, talem accepimus informationem circa jejunia observandam, ut juxta dissimilem corporum statum, ætatem, aut sexum, diversum sit tempus et modus ac qualitas jejunandi. Omnibus tamen unus est finis corporalis castigationis, pro continentia mentis animique virtutibus. Neque enim omnibus possibile est per integram hebdomadam protelare seu continuare jejunium : imo nec omnes possunt sumptionem cibi differre per duos aut tres dies. A multis quoque ægritudine senioque confectis, jejunium tolerari non potest sine afflictione usque ad solis occasum. Denique non omnibus convenit enervatus infusorum leguminum esus, nec parsimonia purorum olerum omnibus apta est. Nec universis conveniens est refectio sicci panis determinata : alius enim quantitate duarum librarum non saturatur, alius vero gravatur manducatione unius libræ, sive sex unciarum. Attamen omnibus his unus est sobrietatis seu continentiæ finis, videlicet ne quis oneretur ingluvie saturitatis juxta mensuram suæ capacitatis. Non enim sola qualitas, sed etiam quantitas escarum obscurat aciem cordis, et noxium vitiorum fomitem atque ignem succendit, mente et carne pariter impinguatis.

CAPITULUM VI.

Quod non solum vino mens inebrietur.

VENTER quibuscumque cibis refectus seminaria parit luxuriæ, nec mens prægravata cibis aut potibus valet moderate tenere gubernationem atque judicium discretionis. Non sola superfluitas vini solet mentem inebriare, sed cunctarum escarum immoderantia facit eam vacillantem et instabilem, omnique contemplatione integritatis ac puritatis privat eamdem. Audi Dominum, quemadmodum per

A Prophetam reprehendit Jerusalem : Quid peccavit soror tua Sodoma, nisi quia panem suum in saturitate et abundantia comedebat? Et quia per saturitatem panis accensi fuerunt ardore inexstinguibili carnis, justo Dei judicio concremati sunt cœlitus igne et sulfure. Quod si illos sola superfluitas panis impulit vitio satietatis ad tantam flagitiorum profunditatem, quid æstimandum de his qui carnes et vinum cum immoderata libertate accipiunt corpore vegetato seu sano, usurpantes sibi
B non quantum imbecillitas expetit, sed quantum animi concupiscentia suggerit?

Ezech. XVI, 49.

CAPITULUM VII.

Quare infirmitas corporis puritatem mentis impedire non possit.

INFIRMITAS enim corporis a puritate mentis non impedit, si ea nunc* accipiantur quæ fragilitas exigit, non quæ vo-
C luptas. Imo facilius vidimus viros* qui penitus abstinuerunt ab opulentioribus seu abundantioribus cibis, quos usus moderate concedit pro necessitate naturæ, et qui totum sibi pro amore continentiæ subtraxerunt, quam qui eos sumendo sub occasione infirmitatis, mensuram sufficientiæ custodierunt. Habet quippe infirmitas corporis palmam continentiæ suæ, dummodo cibis debilitati carnis concessis utendo, a refectione se frenet quum adhuc indiget ea, et tantam refectionem sibi indulgeat,
D quantum rigida discretio temperantiæ judicaverit sufficere ad usum vivendi, non quantum exposcit desiderii appetitus. Esculentiores enim cibi sicut procurant corpori sanitatem, ita non auferunt castimoniæ puritatem, si cum moderatione sumantur. Quidquid enim fortitudinis esu eorum percipitur, hoc ægritudinis labore ac defectione consumitur. Quamobrem sicut nulli statui virtus parcitatis aufertur, ita nec virtutum consummatio integritati negatur.

* modo

* victos

CAPITULUM VIII.

Quod esca sumenda sit secundum exigentiam perfecti finis ipsius continentiæ.

VERISSIMA itaque ac probatissima Patrum sententia est, modum jejuniorum ac continentiæ tantum consistere in mensura parcitatis castigationeque corporis, et hunc omnibus esse finem perfectæ virtutis, hujus videlicet sobrietatis, in communi, ut temperemus seu refrenemus nos a cibis quos pro sustentando corpore B compellimur sumere, dum adhuc eos appetimus. Quamvis enim quis corpore sit infirmus, perfectam tamen virtutem et robustis ac sanis æqualem in omnibus possidebit, si mentis rigore castiget ac reprimat desideria quæ adimpleri fragilitas carnis non exigit. Denique Apostolus ad Romanos ait : Curam carnis ne feceritis in desideriis. Non igitur curam carnis omnimode interdixit, sed in desideriis eam fieri prohibuit ; voluptuosam diligentiam abstulit, gubernationem carnis necessariam non exclusit. Illud prohibuit, ne per diligentiam carnis ad noxias occupationes desideriorum carnalium corruamus ; istud concessit, ne corpus nostrum vitio nostro destructum, explere non queat spirituales ac necessarias actiones.

Rom. XIII, 14.

CAPITULUM IX.

De mensura castigationum corporis assumendarum, et de remedio jejunii.

MENSURA ergo atque perfectio continentiæ non est colligenda aut accipienda ex sola temporis diuturnitate, neque escarum qualitate dumtaxat, sed ante omnia debito judicio conscientiæ. Tantam enim castigationem debet unusquisque fragilitati suæ imponere, quantam deposcit impugnatio corporeæ delectationis. Utilis quidem est et omnino servanda canonica seu regularis jejuniorum institutio ; sed nisi hanc temperantia ciborum fuerit sub- A secuta, ad integritatis sinceritatem ac punctum non poterit pervenire. Longorum namque jejuniorum afflictio, si eam sequatur saturitas corporis, magis acquirit lassitudinem corporalem, quam castimoniæ puritatem. Integritas quippe mentis cohæret inediæ ventris. Non enim habet castitatis perpetuæ puritatem, qui tenere non satagit jugem temperantiæ æqualitatem, quamvis sint districta jejunia : quia a suo fructu evacuantur, quando superflua rigoris remissio eis succedit, atque in gulæ vitium protinus dilabuntur. Melior est enim rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quam per intervalla dierum longum arduumque jejunium. Immoderata namque inedia non solum debilitat mentis constantiam, sed orationum quoque efficaciam lassitudine corporis impedit et enervat.

CAPITULUM X.

C *Quod abstinentia a cibis ac potibus non possit sufficere ad conservandam puritatem mentis et corporis.*

AD integritatem mentis et corporis conservandam abstinentia ciborum et potuum sola non sufficit, nisi ceteræ quoque virtutes fuerint ei adjunctæ. Primitus igitur humilitas est discenda virtute obedientiæ, operisque afflictione, et corporis fatigatione. Pecuniarum quoque non solum est vitanda possessio, sed desiderium earum est radicitus exstirpandum. Non D enim sufficit eas non habere (quod frequenter ex necessitate contingit), sed oportet nec ipsam voluntatem habendi admittere, si forsitan offerantur. Furor iræ est conterendus, dejectio tristitiæ est vincenda, vana gloria contemnenda, fastus superbiæ conculcandus. Instabiles quoque et vagi discursus distractionesque mentis, sunt per assiduam Dei memoriam refrenandi ; totiesque lubrica cordis evagatio reducenda est nobis ad Dei contemplationem, quoties hostis subtilis a Dei intuitu mentem

captivare atque abducere tentans, ingeserit A se recessibus seu distractionibus nostri cordis.

CAPITULUM XI.

Quod concupiscentiæ corporis non exstinguantur nisi cum exstirpatione omnium vitiorum.

IMPOSSIBILE namque est exstingui in nobis ignita corporis incentiva seu fervida desideria carnis, nisi ceterorum quoque B principalium vitiorum passiones ac fomites radicitus evellantur : de quibus, Deo donante, infra dicemus singulatim distinctis libellis. Nunc autem propositum nostrum est disputare contra concupiscentiam gulæ, contra quam nobis est primus conflictus. Nunquam igitur poterit ardentes concupiscentiæ stimulos refrenare, qui desideria gulæ nequit reprimere : quoniam castitas interioris hominis consummatione refrenationis gulæ cognoscitur. Nunquam contra robustiores æmulos confidas C posse luctari eum, quem videris in leviori conflictu a parvis et infirmioribus adversariis superari. Omnium namque virtutum una natura est, quamvis in multas species atque vocabula dividantur : sicut et auri una substantia est, licet juxta ingenia ac voluntatem artificum dividatur per diversa et varia ac distincta monilium genera. Hinc nullam virtutem perfecte possidet, qui in una earum fuerit superatus, et eam amiserit. Quomodo enim credendus est exstinxisse ferventes concupiscentiæ D æstus (qui succenduntur non solum instigatione corporis, sed etiam vitio mentis, puta ex cogitationibus pravis), qui mitigare non potuit aculeos iræ prorumpentes ex intemperantia cordis solius? Aut qualiter putandus est repressisse lascivientes stimulos carnis et animæ, qui simplex peccatum superbiæ non potuit superare? Aut quomodo æstimandus est conculcasse luxuriam carni insertam, qui abdicare non valuit concupiscentiam pecuniarum forinsecus advenientem ac positam, atque a nostra substantia alienam? Denique, qualiter vincet pugnam carnis et animæ contra se invicem, qui curare nequivit passionem ac morbum tristitiæ? Quantalibet sublimitate murorum et firmitate portarum clausarum urbs muniatur, tamen apertione unius postis, quamvis parvissimi, destruetur. Quid enim differt utrum perniciosus hostis intret penetralia civitatis per excelsa mœnia et ampla portarum foramina, an per modicas aperturas?

CAPITULUM XII.

Quod juxta agonem seu concertationem carnalem, imitatio spiritualis agonis seu pugnæ assumenda sit.

QUI in agone contendit, non coronatur nisi legitime certaverit. II Tim. II, 5. Qui naturales appetitus carnis appetit refrenare, prius festinet vitia extra naturam posita superare. Si enim vim apostolicæ sententiæ volumus experiri, primo debemus agnoscere quæ sint leges ac disciplina mundani agonis, ut sic harum comparatione scire possimus deinceps quid beatus Apostolus hoc exemplo voluerit nos docere qui spirituali agone pugnamus. In certaminibus namque mundanis, quæ secundum eumdem Apostolum, conferunt corruptibilem coronam victoribus, mos iste servatur, ut is qui intendit se præparare ad obtinendam victoriosam coronam immunitatis privilegio decoratam, atque perfecta agonis certamina cupit elaborare, prius ostendat habilitatem ac indolem suæ juventutis et robur exordiorum in Olympiacis ac typicis* seu præambulis certaminibus. In his enim probantur juniores qui cupiunt mancipari his artibus, tam judicio ejus qui præest certaminibus istis, quam totius populi, an mereantur vel debeant admitti ad eas. Quumque post diligentem examinationem repertus quis fuerit nulla diffamia maculatus, nullo servitutis jugo ignobilitatus, propter quæ reddatur indignus hac ar-

* Pythiis

te, vel congressu cum eis qui disciplinam (A) hanc profitentur; inventus etiam fuerit habere digna indicia hujus artis ac roboris, et certans cum junioribus et coætaneis, monstraverit peritiam ac fortitudinem propriæ juventutis; atque proficiens de certamine epheborum, permissus fuerit examine præsidentis congredi seu luctari cum viris perfectis experientia longa probatis, se quoque assidua colluctatione probaverit non solum parem fortitudini illorum, verum etiam inter hos obtinuerit frequentem victoriam : tunc merebitur (B) pervenire ad præclara agonis certamina, in quibus facultas certandi conceditur non nisi victoribus tantum, et his qui decorati sunt stipendiis triumphorum multorum. Si intelleximus exemplum corporalis agonis, ex comparatione ejus debemus agnoscere quæ sit disciplina, ars vel ordo spiritualis certaminis.

CAPITULUM XIII.

Quod nisi expurgati fuerimus a vitio gulæ, nequaquam pervenire poterimus ad interioris hominis pugnas.

OPORTET nos primo monstrare libertatem nostram spiritualem, subjiciendo carnem nostram spiritui. A quo enim quis vincitur, ejus et servus est; et omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Quumque examinatio præsidentis certamini, id est discussio patris spiritualis, invenerit nos nulla fœditate turpis concupiscentiæ (D) inquinatos, nec fuerimus judicati ab eo ut servi carnis, atque ignobiles et indigni Olympiacis colluctationibus vitiorum; tunc poterimus inire certamen contra coævos nostros, id est contra concupiscentias carnis, et motus perturbationesque animæ. Impossibile namque est ventrem saturatum pugnas interioris hominis experiri; nec dignum est robustioribus pugnis tentari eum qui potest conflictu dejici leviori.

(II *Petr.* II, 19. *Joann.* VIII, 34.)

CAPITULUM XIV.

Quomodo possimus gulæ concupiscentiam superare.

PRIMO ergo concupiscentiam gulæ conculcare debemus, et mentem eousque extenuare (non solum jejuniis, verum etiam vigiliis, lectione quoque, et frequenti cordis compunctione in his in quibus mens reminiscitur se forsan illusam aut victam, nunc horrore vitiorum suorum ingemiscens, nunc desiderio perfectionis et integritatis accensa), donec talibus spiritualibus curis ac meditationibus occupata atque omnino possessa, recognoscat corporalem refectionem non tam pro jucunditate sibi concessam, quam pro onere quodam impositam, sentiatque eam datam magis ut necessariam corpori, quam ut desiderabilem animæ. Quo mentis studio et jugi compunctione detenti, retundemus lasciviam carnis quæ sumptione escarum vehementius insolescit, et noxios ejus acu- (C) leos : sicque poterimus exstinguere ubertate lacrimarum et fletu cordis fornacem corporis nostri, id est concupiscentiæ ignem, quæ inflammatur a rege Babylonis, (*Dan.* III, 19.) puta diabolo jugiter subministrante nobis occasiones peccatorum ac vitia quibus tanquam naphtha et pice acrius exuramur; donec rore gratiæ Dei instillante cordibus nostris, ardores carnalis concupiscentiæ valeant penitus infrigidari. Hoc ergo nobis est primum certamen, hæc nostra prima probatio velut in Olympiacis pugnis : exstinguere concupiscentiam gulæ ac ventris, desiderio perfectionis. Ob hoc ergo non solum superfluus appetitus ciborum contemplatione virtutum calcandus est, sed etiam cibus naturæ necessarius non sine cordis anxietate sumendus est, tanquam castitati contrarius. Et ita deinceps instituendus est cursus vitæ nostræ, quod nunquam magis sentiamus nos avocari et impediri a spiritualibus exercitiis, quam dum compellimur descendere ad necessariam corporis curam propter ipsius fra-

gilitatem. Quumque ad hanc necessariam curam descendimus, famulantes usui vitæ magis quam desiderio cordis, festinemus quantocius retrahere nos ab ea, tanquam ab impediente nos a spiritualibus studiis. Nequaquam enim poterimus spernere voluptates escarum præsentium, nisi mens contemplationi divinæ infixa, potius delectetur amore virtutum, quam pulchritudine rerum. Et ita quis despiciet universa præsentia tanquam caduca, quum defixerit mentis intuitum ad immobilia et æterna, jam corde contemplans beatitudinem mansionis futuræ positus adhuc in carne.

CAPITULUM XV.

Quomodo monachus semper debeat esse intentus ad custodiendam puritatem proprii cordis.

SIC igitur contemplationi æternorum oportet insistere monachum, velut si quis festinet contingere perspicacissimis oculorum adspectibus cum directione teli tendentibus, immania virtutum præmia parvis quibusdam indiciis in sublimi monstrata seu designata, sciens in eorum contemplatione et contactu consistere immensam gloriæ palmam remunerationisque præmia. Idcirco aciem oculorum avertens ab aliis, necesse est ut eam dirigat illuc ubi plenitudinem remunerationis ac præmii conspicit esse repositam, amissurus etiam palmam peritiæ et remunerationem virtutis, si quantumcumque modice acies suæ inspectionis deviarit.

CAPITULUM XVI.

Quod monachus non possit perficere spirituales pugnas juxta morem Olympiaci certaminis, nisi superaverit bella carnalia.

ITAQUE concupiscentia ventris et gulæ intuitu spiritualium profectuum superata, quum non fuerimus servi carnis, nec vitiorum infamia inquinati, erimus digni conflictu superiorum certaminum, sicut fit in Olympiacis disciplinis; et talibus
A præmissis victoriis, idonei erimus certare contra spirituales nequitias, contra quas non conceditur facultas certandi, nisi victoribus tantum, et his qui merentur in spirituali agone contendere. Illud enim est velut solidissimum fundamentum omnium spiritualium præliorum, ut primo superentur desideriorum incentiva carnalium. Nullus enim certat legitime, non domata ac victa propria carne; nec talis poterit in agone confligere, neque coronam gloriæ neque victoriæ gratiam obtinere. Quod
B si in certamine contra propriam carnem fuerimus superati, protinus repellemur, non sine nota confusionis, a spiritualium conflictu pugnarum, tanquam carnalis concupiscentiæ servi, et ob hoc non præferentes insignia spiritualis libertatis ac roboris. Omnis enim qui facit peccatum, *Joann.* VIII, 34.
servus est peccati. Diceturque nobis ab Apostolo cum his in quibus fornicatio invenitur : Tentatio vos non apprehendit *I Cor.* X, 13.
nisi humana. Non enim meremur experiri graviores nequitiarum cœlestium pugnas
C acquisito robore mentis, qui subjugare nequivimus fragilem carnem nostram nostro spiritui resistentem. Quod Apostoli testimonium quidam non intelligentes, posuerunt pro indicativo optativum modum, id est : Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Quod manifestum est ab Apostolo dici non affectu optantis, sed pronuntiantis aut exprobrantis.

CAPITULUM XVII.

D *Quod basis seu fundamentum spiritualis agonis consistat in pugna contra gulam.*

VIS audire verum Christi athletam ineuntem legitime pugnam agonis? Ego, *Ibid.* IX, 26, 27.
inquit, sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Vides quod in semetipso, id est in carne sua, tanquam in base firmissima statuerit summam colluctationum, et profectum pugnæ posuerit in sola castigati-

one et subjectione propriæ carnis? Ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum. Non currit quasi in incertum, quoniam concupiscens cœlestem Jerusalem, fixum habet quo inflexibiliter figat ac dirigat sui cordis intentionem. Non currit in incer- *Philipp.* III, 13, 14. tum, qui obliviscens posteriora, ad priora extendit se ipsum, ad destinatum seu intentum persequens bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Ad quod bravium semper dirigens mentis suæ intuitum, atque ad illud toto cordis fervore *II Tim.* IV, 7. festinans, fiducialiter exclamavit : Bonum agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Et quia se noverat infatiga- *Cant.* I, 3. biliter cucurrisse veloci devotione conscientiæ suæ post odorem unguentorum Christi, atque vicisse certamen spiritualis agonis castigatione propriæ carnis, cum *II Tim.* IV, 8. fiducia infert dicendo : De cetero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus judex. Et ut nobis similem retributionis spem aperiret, si eum imitari in agone cursus istius *Ibidem.* velimus, adjecit, Non solum autem mihi, sed omnibus qui diligunt adventum ejus : pronuntians nos fore participes suæ coronæ in die judicii, si acquirimus victoriam certaminis castigatione proprii corporis, diligentes Christi adventum, non illum dumtaxat adventum qui et nolentibus apparebit, sed etiam istum qui quotidie in sanctis fit animabus. De quo Christus in *Joann.* XIV, 23. Evangelio ait : Ego et Pater meus veniemus ad eum, et mansionem apud eum *Apoc.* III, 20. faciemus; et iterum : Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.

CAPITULUM XVIII.

Per quæ genera certaminum atque palmarum ascenderit Apostolus ad coronam summi agonis.

NEC tamen Apostolus tantummodo describit se consummasse sui cursus ago-

A nem, dicendo, Sic curro, non quasi in incertum : *I Cor.* IX, 26. quod specialiter refertur ad suæ mentis intentionem, suique cordis fervorem quo Christum toto sequebatur ardore, cum Sponsa decantans, Post te in odorem *Cant.* I, 3. unguentorum tuorum curremus; et cum Propheta, Adhæsit anima mea post te. *Ps.* LXII, 9. Sed etiam protestatur se vicisse aliud genus certaminis, dicens : Sic pugno, non quasi aerem verberans ; sed castigo corpus *I Cor.* IX, 26, 27. meum et servituti subjicio. Quod proprie pertinet ad labores continentiæ et ad cor-

B porale jejunium, atque ad carnis afflictionem : per quam describens se esse strenuum pugilem carnis suæ, nec exercuisse se contra eam inaniter ictus continentiæ, triumphum quoque pugnæ per sui corporis mortificationem se acquisivisse, contulit, promeruit sive obtinuit immortalitatis coronam incorruptionisque palmam spiritui suo carnis suæ victori, ipsa carne verberibus continentiæ castigata, jejuniorumque cæstibus edomata. Vides legitimum colluctationis ordinem, spiritualium

C quoque pugnarum eventum, quemadmodum ipse Christi athleta adeptus victoriam de carne rebelli, ea pedibus suis subjecta, efficitur triumphator sublimis? Et idcirco non currit in incertum, quoniam confidebat se protinus ingressurum sanctam cœlestem Jerusalem. Sic pugnat jejuniis et afflictione carnis, non quasi aerem verberans, id est, non inaniter ictus continentiæ porrigens, per quos percutiebat non vacuum aerem, sed spiritus illos qui in eo versantur castigatione sui corporis

D affligebat. Qui enim dicit, Non quasi aerem verberans, ostendit se aliquos in aere verberare, quamvis non ipsum aerem vacuum, inanem. Et quoniam ista certaminum genera susceperat, et multarum coronarum ditatus stipendiis seu meritis incedebat, non immerito cœpit subire robustorum luctamina hostium ; ac prioribus adversariis superatis, cum fiducia clamat et dicit : Jam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, *Ephes.* VI, 12. sed adversus principatus et potestates, adver-

sus rectores mundi tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

CAPITULUM XIX.

Quod athletis seu militibus Christi non desit pugna quamdiu in corpore demorantur.

MILITI Christi in corpore commoranti nunquam deest certamen, sed quanto plus creverit triumphorum successibus, tanto robustior colluctationum ordo ei succedit ac advenit. Carne etenim subjugata et victa, quam multa invisibilium hostium agmina, instigata triumphis victoris, insurgunt adversus eumdem Christi athletam : ne otio torpens, incipiat oblivisci gloriosa colluctationum suarum certamina, sicque dissolutus securitatis inertia, defraudetur præmiorum suorum stipendiis triumphorumque meritis. Itaque si cupimus per incrementa virtutum ascendere ad gradus hos triumphorum, eodem ordine nos oportet inire certamina prælio-
1 Cor. IX, 26, 27. rum : et primo cum Apostolo dicere, Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et servituti subjicio; ut hoc superato conflictu, rursus cum eo
Ephes. VI, 12. dicere valeamus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc. Aliter namque cum illis pugnare nequaquam poterimus, nec pugnas spirituales experiri merebimur, carnali conflictu dejecti et colluctatione ventris elisi; sed merito nobis ab Apostolo cum exprobratione dicetur :
1 Cor. X, 13. Tentatio vos non apprehendit nisi humana.

CAPITULUM XX.

Quod monachus non debeat excedere tempus sumendi cibum, si vult pervenire ad pugnas interiorum certaminum.

IGITUR monachus ad interiorum pugnas certaminum cupiens pervenire, imponat sibi in primis observantiam istam : ut nequaquam de cibo aut potu aliquid accipiat ulla delectatione devictus ante legitimam stationem et horam refectionis communem, aut extra mensam, nec etiam

A refectione peracta; similiter quoque custodiat regulare tempus atque mensuram somni. Eadem namque diligentia amputandæ sunt istæ lasciviæ mentis, qua resecandum est meretricationis peccatum. Qui enim superfluos gulæ appetitus refrenare non potuit, quomodo valebit exstinguere carnalis concupiscentiæ æstus? Et qui nequivit compescere passiones manifestas ac parvas, qualiter poterit debellare discretionis moderamine passiones occultas, et nullo hominum teste prurientes? Idcirco
B in singulis motibus et in quolibet desiderio robur animæ comprobatur : quæ si in apertis minimisque cupiditatibus superatur, quid in maximis et fortioribus atque occultis sustineat, propria conscientia unicuique testis est.

CAPITULUM XXI.

De interiori pace monachi et abstinentia spirituali.

NON enim adversarius formidandus est
C nobis extrinsecus, quia in nobis ipsis hostis inclusus est, et intestinum in nobis quotidie geritur bellum : quo devicto, omnia quæ foris impugnant, reddentur infirma, et universa illa erunt militi Christi pacata ac subdita. Nec habemus adversarium nobis extrinsecus metuendum, si ea quæ intra sunt, subjiciantur spiritui tanquam victa ab eo. Nec credamus posse sufficere nobis solum istud corporale jejunium ad cordis perfectionem ac corporis puritatem, nisi jejunium animæ fuerit
D ei adjunctum. Habet namque et anima suos noxios cibos, quibus impinguata, devolvitur ad prærupta luxuriæ, etiam sine abundantia escarum carnalium. Detractio cibus est animæ, qui et dulcis est ei. Ira quoque cibus est ejus, quamvis non levis*, tamen ad horam infeliciter eam pascens, ac simul letali sapore prosternens. * lenis
Sic et invidia cibus est mentis, eam venenatis succis corrumpens, miseramque prosperitate alieni successus jugiter excruciare non desinens. Insuper vana glo-

ria cibus est animæ, qui delectabiliter eam ad tempus permulcet, ac postmodum reddit eam omni virtute privatam, nudam ac vacuam, cunctis spiritualibus fructibus sterilem et inanem dimittens eamdem : ita ut non solum faciat deperire merita maximorum laborum, verum etiam graviora acquirat supplicia. Omnis quoque concupiscentia et evagatio cordis instabilis, est quædam refectio animæ, noxiis escis nutriens eam, atque in posterum derelinquens eam cœlestis panis ac solidi cibi inanem.

Ab his itaque vitiis sacratissimo spirituali jejunio abstinentes quantum valemus, habebimus observantiam corporalis jejunii fructuosam ac utilem. Labor enim corporalis contritioni cordis conjunctus, exhibet sacrificium Deo gratissimum, dignumque sanctitatis habitaculum per puros ac mundos recessus a rebus carnalibus. Ceterum, si corporaliter jejunantes, implicemur perniciosissimis animæ vitiis, corporalis afflictio nihil proderit nobis, pretiosiori animæ parte polluta, atque peccantibus nobis per illam substantiam, utpote animam rationalem, qua effici possumus habitaculum Spiritus Sancti. Non enim corruptibilis caro tantum efficitur habitaculum Dei ac templum Spiritus Sancti, quantum cor mundum. Oportet ergo exteriori homine jejunante, interiorem quoque a noxiis cibis seu vitiis continere : quem beatus Apostolus hortatur exhiberi præcipue purum Deo, ut Christum mereatur in se suscipere hospitem, dicens : In interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris. *Ephes.* III, 16, 17.

CAPITULUM XXII.

Quod ideo oporteat nos exercere continentiam corporalem, ut perveniamus ad jejunium spirituale.

SCIAMUS itaque ob hoc nos debere assumere laborem corporalis jejunii, ut per ipsum ad cordis puritatem perve- A nire possimus. Ceterum inaniter laboramus, si infatigabiliter sustinemus laborem corporalis jejunii intuitu finis præfati, videlicet puritatis internæ, et ipsum finem propter quem tantas toleramus afflictiones, non obtinemus. Laudabilius quoque est a prohibitis cibis animæ (utpote vitiis) abstinuisse, quam a voluntariis et minus noxiis escis corporis jejunasse. In his namque corporalibus eduliis, est simplex atque innoxia perceptio creaturæ Dei, puta visibilis cibi, per se nihil habens peccati; B in illo vero, utpote esu noxiorum ciborum animæ, seu vitiorum perceptione, est primo perniciosa devoratio fratrum, de qua ait Scriptura : Noli diligere detrahere, ne eradiceris. *Prov.* XX, 13, juxta LXX. Et de ira atque invidia in libro Job legitur : Etenim stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. *Job* V, 2. Ubi pensandum, quod is qui irascitur, dicitur stultus; qui autem invidet, parvulus. Irascens namque non immerito stultus vocatur, quoniam voluntario provocatu inducit sibi mortem animæ per stimulos iræ; in- C videns vero parvulum et minorem se esse ostendit, quia dum invidet, testatur illum esse majorem cujus prosperitate affligitur.

CAPITULUM XXIII.

Qualis debeat esse monachi cibus.

ELIGENDUS ergo est cibus qui non solum temperet ac minus inflammet ardentes concupiscentiæ æstus, verum etiam qui ad parandum sit facilis, et qui viliori D pretio valeat emi, qui etiam conversationi ac esui Fratrum exstet communis. Triplex quippe est species gulæ : una, quæ prævenit horam refectionis legitimam; alia, quæ tantummodo gaudet ingluvie ventris et saturitate escarum; tertia, quæ delicatioribus et comestibilioribus epulis delectatur. Ideo contra gulam oportet monachum tria servare. Primum est, ut legitimum manducandi tempus exspectet; secundum, ut satietati resistat; tertium, ut qualibuscumque vilioribus contentus sit cibis.

Quidquid autem extra consuetudinem et contra communem Fratrum usum quisquam præsumit, hoc antiquissima Patrum doctrina notavit tanquam pollutum morbo vanitatis, et ostentationis vanæque gloriæ. Denique non cognovimus quemquam eorum quos vidimus ceteris præfulsisse merito discretionis atque scientiæ, vel quos gratia Christi præposuit omnibus tanquam splendidissima luminaria ad sequendum, abstinuisse a pane, qui apud eos vilis ac facilis habebatur. Nec unquam conspeximus quemquam eorum qui præfatam regulam declinantes, sectati sunt refectionem olerum seu leguminum, aut pomorum, usu panis relicto, habitum inter probatissimos Patrum, nec etiam gratiam discretionis sive scientiæ consecutum. Nam docuerunt monachum non solum non debere requirere cibos aliis inusitatos, ne conversationis suæ cursus tanquam in manifesto cunctis expositus, pereat morbo gloriæ vanæ inanis factus ac vacuus; sed insuper dicunt communem jejuniorum afflictionem non oportere alicui faciliter propalari, sed quantum fieri potest, abscondi ac tegi. Virtuosius quoque asseruerunt offerre sive impendere virtutem humanitatis ac dilectionis advenientibus Fratribus, quam manifestare eisdem abstinentiæ districtionem atque propositi quotidiani rigorem; et ne attendamus quid nostra voluntas, sive utilitas, aut proprii desiderii fervor exposcat, sed præparemus et gratanter impleamus quod exigit requies aut infirmitas Fratris advenientis.

CAPITULUM XXIV.

Quod viderimus in Ægypto indifferenter solvi quotidiana jejunia in nostro adventu.

QUUM de partibus Syriæ intrassemus Ægyptum, cupientes statuta discere seniorum, et miraremur nos cum tanta cordis alacritate suscipi ibi, ita ut usque ad præfixam jejunii horam nulla prorsus servaretur regula refectionis (sicut era- A mus in monasteriis Palæstinæ edocti), sed quocumque venissemus, quotidiana jejunatio solveretur, legitimis quarta ac sexta feriis demptis; quum sciscitaremur cur quotidiana jejunia indifferenter sic solverent, quidam seniorum sic respondit: Jejunium semper est mecum; vos autem quos statim dimittam, non possum mecum jugiter tenere. Et quamvis jejunium utile necessariumque consistat, voluntaria tamen oblatio est; opus autem caritatis impleri exigit præcepti necessitas. Idcirco in B vobis suscipiens Christum, reficere debeo eum; vos vero deducens, potero districtiori jejunio recompensare in me ipso humanitatem, seu jejunii relaxationem, quam Christi amore vobis exhibeo. Non enim *Luc.* v, 34, 35. possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus; sed quum discesserit sponsus, licite jejunabunt.

CAPITULUM XXV.

De sobrietate senis qui ita sexies sumpsit cibum in die uno, quod adhuc mansit esuriens.

QUODAM sene me manducantem exhortante ut adhuc modicum manducarem, quum respondissem, Non possum; ille adjecit: Ego jam sexies diversis Fratribus advenientibus posui mensam, universosque hortans, cum singulis sumpsi escam, adhuc tamen esurio: et tu nunc primo reficiens, dicis te amplius jam non posse?

D

CAPITULUM XXVI.

De sene qui nunquam accepit escam solus in cella sua.

VIDIMUS alium senem in solitudine commorantem, qui testabatur se nunquam comedisse solum in cella; imo si nullus Fratrum ad cellam suam venisset per quinque dies continuos, refectionem suam jugiter distulit, donec sabbato aut dominica die procedens ad ecclesiam pro-

pter congregationem devotam, reperit aliquem peregrinorum, quem inde secum ad cellam suam perducens, refectionem corporis sumpsit Fratre illo consorte, non tam desiderio necessariæ sibi refectionis, quam gratia humanitatis causaque Fratris. Itaque, sicut Ægyptii monachi solvunt quotidiana jejunia propter Fratrum adventum, ita recedentibus Fratribus recompensant abstinentia acriori refectionem propter Fratres illos assumptam : perceptionem cibi parvissimi durius exigentes et recuperantes graviori corporis castigatione, et non sola diminutione panis, sed etiam somni.

CAPITULUM XXVII.

De fructu laborum suorum quem confessi sunt se obtinuisse abbas Phesius et abbas Joannes.

DUM senex Joannes grandi cœnobio et multitudini Fratrum præsidens, visitasset senem nomine Phesium, et ab eodem Phesio tanquam ab antiquissimo socio quæreret, quidnam egisset in solitudine per quadraginta annos quibus ab eo separatus, non erat a Fratribus molestatus, respondit : Nunquam interim vidit me sol comedentem. Et Joannes : Nec me, inquit, irascentem.

CAPITULUM XXVIII.

De finali doctrina quam abbas Joannes quum esset moriturus reliquit suis discipulis.

PORRO quum idem senex ageret in extremis, et alacer esset tanquam ad propria migraturus, circumsteterunt eum anxii Fratres, rogantes ut relinqueret eis aliquod memoriale mandatum, tanquam hereditarium quoddam legatum per quod tanquam quodam præcepti compendio, possent ad perfectionis culmen facilius pervenire. Ingemiscens ille respondit : Nunquam feci propriam voluntatem, nec aliquem docui quod prius non feci.

A

CAPITULUM XXIX.

De abbate Machete, qui inter spirituales collationes nunquam obdormivit, et inter terrenas fabulas semper dormivit.

VIDIMUS senem nomine Machetem, a multitudine Fratrum remote morantem, qui gratiam istam a Deo diuturnis precibus impetravit, ut quotquot diebus ac noctibus fieret collatio spiritualis, nunquam somno opprimeretur. Si autem quis B introduxit verbum detractorium aut otiosum, protinus resolvebatur in somnum, ita quod virus obloquii non potuit usque ad inquinationem aurium ejus pertingere.

CAPITULUM XXX.

Doctrina ejusdem senis de nemine judicando.

HIC idem senex quum instrueret nos C ut nullum judicaremus, adjecit tria esse in quibus ipse aliquando Fratres judicavit aut reprehendit. Primum est, quod quidam eorum patiebantur sibi uvam abscindi; secundum, quod sagum habebant in cellulis suis; tertium, quod oleum benedicentes, dabant illud sæcularibus postulantibus ipsum : atque in hæc tria incidisse se dixit. Nam ægritudinem uvæ contraxit, et ea tamdiu consumptus est, donec compulsus tam necessitate doloris quam exhortatione omnium seniorum, D eam abscindi permisit. Ejusdem quoque infirmitatis occasione sagum habere coactus est. Ita etiam coarctatus est, circumdantibus eum repente sæcularibus multis, oleum benedicere ac supplicantibus dare (quod præ ceteris exsecrabatur, utpote judicans illud descendere ex ingenti cordis præsumptione), ut aliter eos nequaquam posset evadere, nisi prius summa vi et obtestationibus extorsissent ab ipso ut vasculo olei ab eis accepto manum suam superponeret, et crucis signaculum

imprimeret ei. Itaque credentes se benedictionis oleum impetrasse, tandem dimiserunt senem. Per quod eidem seniori manifeste innotuit, quod monachus eisdem causis vitiisque subjaceat in quibus alios judicare præsumpserit. Oportet enim unumquemque tantummodo judicare se ipsum, atque in omnibus circumspecte et caute se custodire; non aliorum vitam et actus discutere, secundum illud præceptum Apostoli : Tu quis es, qui judicas fratrem tuum? suo domino stat, aut cadit. Et : Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Nam et præter causam prædictam, etiam ob hoc periculosum est judicare de aliis : quoniam ignorantes necessitatem vel causam qua illi agunt recte aut culpabiliter et veniabiliter coram Deo hæc in quibus eos judicamus, invenimur eos temere judicasse; et per hoc committimus non leve peccatum, sentientes aliquid de fratribus aliter quam oportet.

Rom. xiv, 4. — *Matth.* vii, 1, 2.

CAPITULUM XXXI.

Increpatio ejusdem senis quum vidisset Fratres inter spirituales collationes dormientes, et eosdem ad narrationem fabulæ otiosæ expergefactos.

DECLARAVIT idem senex diabolum esse otiosarum fabularum fautorem, spiritualium quoque collationum impugnatorem, his signis. Nam quum sermocinaretur quibusdam Fratribus de necessariis ac spiritualibus rebus, videretque eos gravissimo quodam demergi sopore, nec posse eos gravitatem somni ab oculis suis repellere; introduxit repente fabulam otiosam. Ad cujus auditionem quum vidisset eos confestim evigilasse, et aures erectas cum delectatione habere, ingemuit dicens : Nunc usque de rebus cœlestibus loquebamur, et omnium vestrum oculi deprimebantur dormitatione letali; quum vero fabula otiosa proposita est, omnes mox expergefacti, excussistis torporem somni prædominantis. Vel ex hoc ergo perpendite quis fuerit impugnator spiritualis illius collationis, quis etiam auctor atque suggestor infructuosæ fabulæ hujus exsistat. Ille utique manifestissime deprehenditur esse, qui malis congaudens, non desiit infructuosam fabulam confovere, et fructuosam collationem impugnare.

CAPITULUM XXXII.

De epistolis combustis antequam legerentur.

NECESSARIUM reor valde, commemorare hoc opus Fratris valde solliciti circa cordis sui munditiam et contemplationem divinam. Quum enim ei de provincia Ponti missæ ac delatæ fuissent quamplures epistolæ, accipiens grandem litterarum fasciculum, et diu apud se ipsum deliberans, ait : Quantarum cogitationum causa erit mihi harum lectio litterarum, quæ inducent me ad inanem lætitiam, vel ad infructuosam tristitiam? Quam multis diebus revocabunt intentionem pectoris mei ab intenta contemplatione, per recordationem eorum qui mihi scripserunt? Post quantum tempus dirimetur concepta hæc mentis confusio, et quanto labore recuperandus est status tranquillitatis istius in qua nunc sum : si animus meus semel permotus fuerit affectu litterarum istarum, reminiscendo sermones ac vultus eorum quos tanto tempore dereliquit; et cœperit eos corde revisere, et mente ipsis cohabitare, ac spiritu interesse? Quos certe nihil proderit corporaliter deseruisse, si corde eos incipiat intueri, et eadem rursus admiserit quorum memoriam quisque huic sæculo vere renuntians, tanquam mundo mortuus abdicavit. Hæc in pectore suo revolvens, decrevit non solum nullam epistolam aperire, sed nec ipsum fasciculum disligare, ne eorum qui scripserant, nomina intuendo, aut facies recordando, impediretur a spirituali sua intentione; sed sicut fasciculum accepit constrictum, sic igni tradidit concreman-

dum : Ite, inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me revocare tentetis ad ea quæ fugi.

CAPITULUM XXXIII.

De absolutione quæstionis quam abbas Theodorus orando promeruit.

VIDIMUS quoque abbatem Theodorum summa sanctitate atque scientia decoratum, non solum in actuali vita, sed in Scripturarum notitia, quam ei contulerat sola puritas cordis, magis quam litteratura mundi aut studium lectionis : siquidem perpauca verba Græcæ linguæ potuit loqui, aut intelligere. Hic quum elucidationem cujusdam obscurissimæ quæstionis inquireret, septem diebus ac noctibus in oratione infatigabilis mansit, quousque ejus solutionem, Deo revelante, cognovit.

CAPITULUM XXXIV.

Doctrina ejusdem senis, qualiter monachus possit acquirere scientiam Scripturarum.

SIC senex dixit Fratribus admirantibus tam præclarum lumen scientiæ ejus, et inquirentibus ab eodem sensus aliquos Scripturarum : Monachus ad Scripturarum notitiam pertingere cupiens, non debet labores suos impendere circa libros expositorum, sed potius totam mentis suæ intentionem atque industriam circa emendationem apponere vitiorum : quibus expulsis, mox oculi cordis, sublato velamine passionum, naturaliter contemplabuntur abdita Scripturarum. Nam Scripturarum abdita, nobis sunt per gratiam Spiritus Sancti promulgata, ut non exstent incognita, sed nostro vitio redduntur obscura, peccatorum velamine oculos nostri cordis obtenebrante. Quibus oculis per vitiorum expulsionem sanatis, sola sanctarum lectio Scripturarum abundanter sufficiet ad veræ scientiæ intellectum, nec expositorum informationibus indigent : quemadmodum oculi corporales nullius instructione indigent ad videndum, dummodo fuerint a caligine et cæcitate immunes. Ideo quippe inter exponentes tanta expositionum et errorum diversitas est exorta, quod plerique prosilientes ad exponendum eas, non adhibita diligentia circa purgationem propriæ mentis, lumen veritatis comprehendere nequiverunt, sentientes diversa atque contraria fidei aut sibimetipsis juxta pigritiam aut immunditiam sui cordis.

CAPITULUM XXXV.

Increpatio ejusdem senis quum de nocte venisset ad cellam meam.

QUUM idem senex ad meam cellam de nocte inopinate venisset, paterna curiositate occulte explorans quidnam solus agerem rudis adhuc anachoreta, meque illico reperisset psiathio incubantem seu reclinatum ad dormiendum, et incipientem lassum corpus somno reficere, finita vespertina solennitate; ex intimo cordis suspirans, et nomine meo me vocans, ait : Quam multi, o Joannes, in hac hora cum Deo loquuntur, et eum in suis præcordiis tenent ac contemplantur, et tu lumine tanto privaris, inerti resolutus sopore ?

Præterea, quoniam gratia et virtutes Patrum provocaverunt nos ad talem narrationem descendere, necessarium reor in volumine isto describere memorabile opus caritatis summi viri Arthebii* (quod ejus humanitate sumus experti), ut puritas abstinentiæ operi caritatis admixta, copiosius resplendescat pulchra hac varietate distincta. Tunc enim jejunium efficitur Deo gratum, quum fuerit caritatis fructibus consummatum.

* *alias* Archebii

CAPITULUM XXXVI.

Descriptio eremi in qua anachoretæ morantur.

ITAQUE quum de monasteriis Palæstinæ venissemus ad urbem Ægypti quæ Diolcos appellatur, adhuc admodum rudes, et videremus ibi plurimam monachorum turbam cœnobii disciplina arctatam, ac opti-

mo ordine, qui etiam primus est, mirifice A institutam; festinavimus sagacissimo corde videre et alium ordinem monachorum excellentiorem, utpote anachoretarum, instigati ad hoc præconiis omnium illos laudantium. Hi namque anachoretæ in cœnobiis primo diutissime commorati, atque in omni regula ac virtute patientiæ ac discretionis diligenter edocti, humilitatis quoque et paupertatis virtutem adepti, universisque vitiis pure consumptis, intrant ac penetrant profunda deserti secreta, contra dæmones durissimis præliis pugnaturi. Viros B igitur hujus propositi reperientes circa Nilum fluvium commorantes, in loco qui ab uno latere circumdatus eodem flumine, et ab alio latere mari, insulam reddit solis habitabilem monachis eremi secreta intrantibus (nam salsitas maris et arenarum sterilitas facit eam omni culturæ ineptam): ad hos, inquam, viros summo desiderio festinantes, admirati sumus ultra modum labores eorum, quos contemplatione virtutum et amore solitudinis patiuntur. Tantam namque sustinent aquarum penuriam, C ut tali diligentia ac scrupulo eam accipiant, quali nemo frugalissimorum conservat et partitur pretiosissimum vinum.

CAPITULUM XXXVII.

Qualiter abbas Arthebius tradiderit nobis cellulam suam cum utensilibus ejus ac necessariis.

HIS itaque viris visis, quum ardor imitandi eos nos inflammaret, et præfatus Arthebius inter eos probatissimus, ad suam D nos cellulam humanitatis gratia pertraxisset, nostrumque desiderium explorasset, finxit se de eodem loco velle recedere, et cœpit nobis cellulam suam offerre, tanquam inde mox discessurus, affirmans se istud facturum quamvis nos illuc non venissemus. Quamobrem nos desiderio habitationis illius accensi, tantique viri assertionibus indubitanter credentes, cellam libenter amplexi sumus, et eam cum omni supellectili et utensilibus ejus accepimus. Sicque Arthebius pia fraude de loco discedens paucis diebus, quibus pararet necessaria pro alia cella construenda, reversus post hæc, aliam sibi cellam cum summo labore construxit: quam simili caritatis circumventione, post aliquantulum tempus tradidit cum omnibus necessariis quibusdam Fratribus advenientibus, atque ibidem habitare optantibus. Ipse vero circa opera caritatis infatigabilis perseverans, tertiam sibi cellam exstruxit in qua demoraretur.

CAPITULUM XXXVIII.

De debito quod abbas Arthebius solvit pro patre suo ex labore manuum suarum.

DIGNUM mihi videtur aliud ejusdem viri sancti caritativum opus memoriæ tradere, quo monachi terrarum nostrarum doceantur non solum rigorem continentiæ retinere, sed sincerissimum quoque caritatis affectum habere, unius et ejusdem viri exemplo. Hic namque nobili progenie ortus, a puerilibus annis fugit ad monasterium quod fere quatuor milliaribus distat a præfata urbe Ægypti, affectione hujus mundi ac parentum contempta. In quo omnem vitæ suæ ætatem ita expendit, ut per totos quinquaginta annos quibus ibi moratus est, nunquam vidit neque ingressus est locum natalem, nec vultum alicujus feminæ, imo nec matris suæ, adspexit. Interea pater ejus morte præventus, debitum centum solidorum reliquit. Quumque Arthebius esset ab omni inquietudine penitus alienus, utpote ab universis paternis facultatibus nudus, matrem suam percepit a creditoribus vehementer vexari. Tunc pietatis consideratione mollitus ab evangelico illo rigore quo non novit se patrem aut matrem habere in terra, quando parentes sui in prospero erant statu, ita se habere credidit matrem, sicque festinavit subvenire oppressæ, ut districtionem monasticam in nullo minueret. Nam in monasterio manens, solitum opus petiit sibi triplicari, et

in eo per totum annum diebus noctibusque desudans, debitum illud labore manuum procuratum persolvit, et matrem suam ab inquietudinis molestia liberavit; ita eruens eam a debiti sarcina, ut nihil pateretur sibi imminui de religionis rigore propter opus necessariæ pietatis implendum. Sic quoque districtionem solitam custodivit, ut opus pietatis nequaquam negaret maternis visceribus.

CAPITULUM XXXIX.

Qua simulatione cujusdam senis provisum sit opus manuum abbati Simeoni quum esset otiosus.

QUUM Frater nobis optime carus, Simeon nomine, Græci sermonis prorsus ignarus, venisset ab Italia, senior quidam cupiens ei tanquam peregrino opus caritatis impendere sub quodam redditionis colore, quæsivit ab eo cur otiosus sederet in cella : per hoc conjiciens Simeonem diu in cella durare non posse, tam ex otiositatis distractione, quam ex necessariarum rerum inopia; certus senior ille neminem posse tentationes solitudinis tolerare, nisi eum qui propriis manibus acquireret sibi victum. Porro Simeone respondente nihil se posse aut scire operari ex iis quæ ibi agebantur a Fratribus, nisi quod Latinam litteram scribere posset, si tamen aliquis in Ægypto codice indigeret Latino; senior ille nactus occasionem qua posset desideratum opus perficere pietatis sub colore redditionis : Ex Deo, inquit, inventa est ista occasio. Nam olim quærebam qui mihi Apostolum scriberet manu Latina : habeo enim fratrem militiæ actibus obligatum, optime in Latina lingua instructum, cui cupio aliquid de Scripturis transmittere ad legendum pro sua ædificatione. Tunc Simeon occasionem et actionem istam tanquam a Deo oblatam gratanter suscepit. Senex quoque libentius est amplexus hunc colorem, cujus apparentia seu prætextu posset libere adimplere opus pietatis optatum. Unde A confestim attulit Simeoni non solum necessaria omnia sub specie mercedis totius anni, verum etiam membranas et instrumenta ad scribendum necessaria apportavit. Recepitque postea codicem scriptum, ibi ad nihil penitus utilem (quum universi in regione illa essent ignari sermonis Latini), præter hoc, quod senior ille hac industria prolixiorique sumptu hoc practicavit, ut Simeon ille absque verecundia promereretur necessarium sibi victum labore manuum suarum, et senior pietatem B munificentiæ suæ sub colore et specie debitæ remunerationis compleret : eo abundantiorem sibi mercedem acquirens, quo affectu majori contulit Fratri peregrino non solum necessaria victus, sed etiam instrumenta operis sui et occasionem agendi.

CAPITULUM XL.

De pueris qui portabant ficus ad ægrotantem, et fame defecerunt in via ficubus non gustatis.

C SED quia in loco isto ubi proposuimus loqui de rigore jejuniorum et continentiæ, aliqua jam admixta sunt de affectu atque operibus caritatis, rursus ad propositum redeuntes, inseremus huic opusculo quoddam opus puerorum ætate, non sensu, dignum memoria. Quum enim quidam de partibus Libyæ detulisset ficus abbati Joanni dispensatori in eremo Scythi (tanquam rem valde miram, et illo in loco ante non visam), qui rexit dispensationem ecclesiæ constitutæ in Scythi, tem- D poribus S. Paphnutii sibi ab eodem commissam, iste Joannes easdem ficus mox misit cuidam seni in interioribus eremi graviter infirmanti, per adolescentulos duos. Qui senex longe per decem et octo milliaria ab ecclesia mansit. Quumque adolescentes ad cellam pergerent senioris, dispersa repente densissima nebula, rectam semitam perdiderunt : quod ibi facillime solet etiam senibus evenire ex solitudinis vastitate. Quumque tota die ac nocte per inviam eremum discurrentes, nequaquam

potuissent invenire cellam senis infirmi, A confecti tam lassitudine viæ, quam fame et siti, spiritum suum Domino reddiderunt, genibus in orationis officio fixis. Qui post hæc diutissime inquisiti per suorum indicia vestigiorum (quæ in locis illis arenosis impressa tenentur quasi in nivibus, donec levis arena vento mota rursus operiat ea), inventi sunt reservasse ficus intactas, sicut acceperunt eas : eligentes potius exponere animam morti, quam infringere fidem depositi, et corporalem magis amittere vitam, quam dispensatoris B violare mandatum.

CAPITULUM XLI.

Sententia abbatis Macarii de observantia monachi et tanquam diu victuri et tanquam mox morituri.

ADHUC unum describam salutare documentum abbatis Macarii, quo tanti viri sententia claudat finiatque libellum de continentia atque jejuniis. Dixit enim : Ita debet monachus jejunare ac abstinere, utpote tam discrete, quasi centum annis victurus in corpore; ita quoque debet motus animi refrenare, injurias oblivisci, tristitiasque abjicere, et dolores ac damna contemnere, velut quotidie moriturus. In illo namque est utilis ac prudens discretio, faciens monachum semper incedere æquali districtione, nec permittens eum sub occasione aut specie corporalis debilitatis, ab arduis ad perniciosissimam relaxationem corruere; in hoc vero est magnanimitas salutaris, qua valeat non solum despicere ea quæ videntur esse prospera mundi præsentis, verum etiam adversis ac tristibus non superari, et ea velut parva ac nulla suscipere, habens jugiter illuc defixum mentis suæ intuitum, quo quotidie singulisque momentis perducendum se credit.

LIBER VI

DE SPIRITU FORNICATIONIS SEU LUXURIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

De duplici pugna adversus spiritum fornicationis.

JUXTA doctrinam Patrum, est nobis secundum certamen contra fornicationis spiritum, præ ceteris pugnis longum ac diuturnum, atque a valde paucis pure devictum : quod est immane bellum. Quod quamvis incipiat impugnare genus humanum a principio pubertatis, non tamen exstinguitur, nisi prius cetera vitia superentur. Duplex namque est impugnatio ista, et duplici vitio ornata consurgit ad impugnandum : idcirco duplici acie resistendum est ei. Nam vires acquirit ex morbo seu infectione carnis ac animæ, tanquam concretum quid seu generale eis : ideo superari non potest, nisi carne ac anima dimicantibus contra ipsum. Non enim solum corporale jejunium sufficit ad acquirendum aut possidendum puritatem castitatis perfectæ, nisi præcesserit contritio spiritus atque oratio perseverans adversus immundissimum spiritum istum; deinde meditatio assidua Scripturarum, labor etiam opusque manuum, evagationes cordis instabiles revocans et coercens : ante omnia quoque radicata et fixa humilitas, sine qua nullum vitium poterit superari.

CAPITULUM II.

De principali correctione adversus spiritum fornicationis.

PRINCIPALITER quippe correctio vitii hujus procedit de cordis perfectione, de quo etiam corde venenum hujus pec-
A cati prodire monstratur voce Christi dicentis : De corde exeunt cogitationes ma- *Matth.* xv, 19.
læ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, etc. Cor ergo primum purgandum est, de quo fons vitæ ac mortis emanat, Salomone dicente : Omni cu- *Prov.* iv, 23.
stodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Caro etenim famulatur arbitrio atque imperio cordis : idcirco parsimonia jejuniorum cum summo studio est sectanda, ne caro repleta abundantia escarum, salutaribus animæ jussionibus adversetur,
B et spiritum suum rectorem insolescens dejiciat. Porro, si perfectionem studii nostri in sola corporis castigatione ponamus, utpote anima nostra a ceteris peccatis non jejunante, seque meditatione divina et spiritualibus studiis non occupante ; nequaquam poterimus ascendere ad illud altissimum veræ integritatis aut castitatis fastigium, principali quod in nobis est, scilicet corde, puritatem corporis infestante seu inquinante. Ideo, juxta sententiam Christi, oportet nos mundare prius *Matth.* xxiii, 26.
C quod intus est calicis atque paropsidis, ut mundum fiat quod deforis est.

CAPITULUM III.

Quantum remedii conferat ad superandum vitium fornicationis solitudo cum continentia.

DEINDE cetera vitia solent purgari exercitatione quotidiana et ex humana præsentia : quemadmodum ira, tristitia,
D impatientia, sanantur meditatione atque pervigili sollicitudine cordis, ex Fratrum quoque frequentia et collatione assidua; et dum sæpius manifestantur, ac crebrius

arguuntur, citius ad curationem perveniunt. Morbus vero seu concupiscentia fornicationis, ultra corporis afflictionem et cordis contritionem, indiget etiam solitudine et remotione ab hominibus, ut valeat pervenire ad statum integrum sanitatis seu castitatis, deposita omni febre perniciosa æstus carnalis. Denique, sicut plerumque utile est laborantibus certa infirmitate, ne cibi eis nocivi præsententur eorum adspectui, ne ex ipso intuitu oriatur in eis desiderium noxium; ita ad debellandum hoc vitium, plurimum ac specialiter confert solitudo et quies : quatenus mens infirma diversis imaginibus nullatenus mota, ad puriorem contemplationem perveniens, possit facilius exstirpare radicitus pestiferum concupiscentiæ fomitem.

CAPITULUM IV.

Quid intersit inter continentiam et castitatem, et an utræque simul habeantur.

NEMO tamen putet ex hoc, quod negemus eos esse continentes qui in congregatione Fratrum commorantur. Aliud enim est esse continentem; aliud castum, et ut sic loquar, in affectum integritatis et incorruptionis transire. Quæ virtus illis solis tribuitur maxime, qui virgines carne et mente perdurant : sicut uterque Joannes in novo Testamento, in veteri quoque Elias, Jeremias Danielque fuerunt. In quorum gradu non immerito reputantur, qui post corruptionis experientiam perveniunt ad similem puritatis statum per longum laborem atque industriam, et carnis stimulos sentiunt non tam ex impugnatione turpis concupiscentiæ, quam solo motu naturæ. Quem statum dicimus difficillime posse acquiri inter hominum turbas; an vero et impossibile hoc sit, unusquisque exspectet cognoscere non nostra sententia, sed perscrutetur id examine conscientiæ suæ. Ceterum multos esse continentes non dubitamus, qui impugnationem carnis, quam vel raro vel quotidie sen-

A tiunt, metu gehennæ aut desiderio regni cœlestis exstinguunt atque compescunt. Et sicut seniores affirmant illos posse non penitus obrui incentivis seu concupiscentiis vitiorum, ita testantur eos non posse semper esse illæsos ac tutos : quia necesse est unumquemque in certamine positum, interdum turbari, quamvis adversarium vincat frequenter et superet.

CAPITULUM V.

B *Quod impugnatio fornicationis solo humano studio vinci non possit.*

QUAPROPTER, si cordialiter cupimus spiritualem agonem cum Apostolo legitime decertare, festinemus tota mentis intentione immundissimum istum fornicationis spiritum superare auxilio Dei, non confidentes viribus nostris. Hoc enim non valet humana industria : imo tamdiu necesse est unumquemque impugnari hoc vitio, donec agnoscat hoc bellum esse C supra proprias vires, nec suo labore ac studio se posse victoriam obtinere, nisi Omnipotentis protectione atque auxilio fulciatur. II Tim. II, 7.

CAPITULUM VI.

De peculiari et speciali gratia Dei in virtute castitatis.

ET revera, quum gratia Dei et ejus victoria adsit homini in omni profectu virtutum et universorum expugnationibus D vitiorum, in expugnatione tamen fornicationis valde peculiare beneficium Dei est, et speciale donum ipsius : sicut declaratur et apertissime innotescit his qui castitatem possidere promeruerunt, ex sententia Patrum et experimento suæ purgationis. Siquidem commorantem in corpore et fragili carne circumdatum, non sentire stimulos carnis, est quodammodo exire de carne, et supra naturam. Idcirco impossibile est hominem suis pennis volare ad tam excelsum cœlesteque præmium, nisi gratia

Dei erexerit eum de cœno seu luto terræ, castitatis virtute. Nulla namque virtute carnales homines tam prope æquantur spiritualibus angelis imitatione conversationis, quam gratia ac merito castitatis, per Philipp. III, 20. quam municipatum et conversationem, secundum Apostolum, habent in cœlis, adhuc in terra degentes : hic jam in carne fragili possidentes quod Sanctis promittitur in futuro, corruptibilitate carnis deposita.

CAPITULUM VII.

Exemplum de agone seu certamine mundiali secundum sermonem Apostoli.

I Cor. IX, 25. AUDI quid dicat Apostolus : Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. A quibus omnibus dicat hoc inquiramus, quatenus spiritualis agonis instructionem acquirere valeamus comparatione carnalis agonis. Qui enim in carnali visibilique agone student legitime decertare, non habent facultatem utendi omnibus cibis quos libido desiderio suggerit, sed illis tantummodo quos disciplina seu ars eorumdem certaminum statuit esse sumendos. Nec solum eos abstinere oportet a cibis prohibitis, et ebrietate omnique crapula, verum etiam ab omni inertia, otio atque desidia, ut virtus eorum crescere possit exercitiis quotidianis, et jugi consideratione propriæ artis et actionis. Sicque alieni efficiuntur ab omni sollicitudine ac tristitia, a sæcularibus quoque negotiis, et ab affectu ac opere conjugali, ut nil aliud noverint præter suæ exercitium disciplinæ, nec ulli mundiali curæ penitus implicentur, sperantes victum quotidianum ab eo tantum qui certamini præsidet, a quo et coronæ gloriam præmiaque condigna laude victoriæ suæ confidunt acquirere. Atque in tantum ab omni coitu se mundos custodiunt, ut quum se disponunt ad agonis certamen, laminis plumbeis tegant proprios renes, ut rigor metalli genitalibus membris applicitus, valeat cohibere humores obscenos, ne forsan per illusionem nocturnam et pollutionem in somno fallacem, vires eorum longo tempore acquisitæ, debilitentur : scientes indubitanter se esse vincendos, nec posse certamen propositum adimplere viribus minoratis, si fallax imago noxiæ voluptatis in somno corruperit firmitatem continentiæ seu pudicitiæ præintentam.

CAPITULUM VIII.

De comparatione purificationis eorum qui in terreno agone sunt habituri certamen.

ITAQUE si intelleximus disciplinam mundani agonis, cujus exemplo beatus Apostolus nos voluit erudire, docens quanta in istis agonistis sit observatio, quanta diligentia, quanta custodia, ut sciamus quid nos conveniat facere; pensemus qua puritate oporteat nos custodire castitatem corporis nostri ac animæ, quos necesse est quotidie vesci sacrosanctis carnibus Agni, quas etiam præcepta veteris Testamenti ab immundis prohibent tangi. In Levitico namque ita præcipitur : Omnis mundus Lev. VII, 19, 20, juxta LXX. manducabit carnes; et anima quæcumque comederit de carnibus sacrificii salutaris quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino. Quanta est igitur virtus puritatis, sine qua et illi qui erant sub veteri Testamento non poterant sacrificiis typicis interesse, et sine qua nequeunt coronari qui cupiunt coronam hujus mundi corruptibilem adipisci ?

CAPITULUM IX.

Quantam cordis puritatem debeamus semper exhibere oculis Dei.

OMNI ergo custodia emundandæ sunt primitus tenebræ ac abdita nostri cordis. Quod enim certantes in agone cupiunt obtinere in corporis puritate, nos debemus in cordium nostrorum secreto etiam possidere. In quibus Dominus residens arbiter atque agonotheta (id est judex et præses nostri certaminis), pugnam cursus et certaminis nostri jugiter intuetur et

præstolatur : quatenus nequaquam patiamur per cogitationem incautam ea intra nos crescere, quæ horremus in manifesto admittere; et de quibus ex hominum cognitione verecundamur, ne occulta quidem libidine inquinemur : quæ licet possit evadere notitiam hominum, latere tamen non poterit scientiam angelorum sanctorum omnipotentisque Dei, quam nulla secreta subterfugere queunt.

CAPITULUM X.

Quod sit indicium perfectæ ac integræ puritatis.

EVIDENS autem signum ac plena probatio perfectæ et integræ puritatis, hoc est : si dormientibus et quiescentibus nobis nulla occurrat imago decipiens, vel certe si occurrerit, nullos tamen valeat motus concupiscentiæ excitare. Nam quamvis talis commotio non reputetur plene in culpam, tamen indicium est mentis nondum perfectæ, et signum vitii necdum pure excocti, quum per fallaces imagines fit talis illusio.

CAPITULUM XI.

Ex quo vitio procedat nocturna illusio.

NOCTURNA namque quiete monstratur qualibus distractionibus cogitationum negligentius evagemur in die. Idcirco, quum intervenerit aliqua talis illusio, non culpa somni credenda est, sed negligentia temporis præcedentis, et manifestatio morbi seu passionis intus latentis : quem non peperit primitus hora noctis, sed latens morbus per somni refectionem produxit ad superficiem cutis humorem reconditum intimis animæ fibris, arguens et propalans occultas concupiscentiarum seu æstuum febres quas tota die contraximus, pravis cogitationibus pasti. Quemadmodum corporum infirmitates solent contrahi seu hauriri, non tunc quando videntur oriri et apparere, sed per negligentiam præter-

A iti temporis sunt acquisitæ, quando cibis sibi contrariis quis refectus, contraxit humores sibimet noxios ac letales.

CAPITULUM XII.

Quod carnis puritas nequeat obtineri sine munditia cordis.

HINC generis humani creator et conditor omnium Deus, cognoscens creaturæ suæ naturam, et emendationem ipsius præ omnibus cupiens, illic curam medi-
B cinæ adhibuit, unde noverat causas morbi seu vitii principaliter emanare, dicendo : Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* v. 28. Unde petulantes oculos notans, non tam arguit eos, quam interiorem sensum qui oculorum officio male utitur ad videndum. Cor namque quod ad concupiscendum videt, ægrum est et telo libidinis sauciatum, vitio suo retorquens naturale beneficium visus sibi a Creatore recte concessum, ad pravorum ministeria
C operum, atque reconditum in semetipso concupiscentiæ morbum producens per adspectum in publicum. Ideo huic interiori sensui adhibetur salutare mandatum, a cujus abusu procedit et oritur pessimus languor per exterioris visus occasionem. Non enim dicitur : Omni custodia serva oculos tuos (quos utique oporteret principaliter custodiri, si affectus concupiscentiæ ex ipsis procederet) : nil etenim amplius oculi præbent, quam simplex officium visionis animæ. Sed dicit, Omni
D custodia serva cor tuum : *Prov.* iv. 23. ei potissime medicinam imponens, quod potest abuti ministerio oculorum.

CAPITULUM XIII.

Quæ sit prima custodia purgationis carnalis.

ERIT ergo hæc prima purgationis nostræ custodia, ut quando memoria sexus feminei occurrerit menti nostræ per

subtilem diabolicæ suggestionis callidita- A tem, immissa primo recordatione matris aut sororum sive parentum, aut certe feminarum sanctarum, festinemus eam celeriter extrudere de cordibus nostris : ne si in ea diutius immoremur, etiam nil læsionis perpessi occasione sexus propinquarum sanctarumve personarum, tamen exinde devolvat subtiliter atque præcipitet mentem ad eas personas per quas possit inserere cordi cogitationes nocivas. Quamobrem debemus jugiter reminisci præce-
Prov.IV,23. pti illius, Omni custodia serva cor tuum; B
Gen. III.15, juxta LXX. et secundum Dei præceptum, sollicite observare noxium caput serpentis, id est principia cogitationum pravarum quibus diabolus tentat in nostram serpere animam : ne si caput ejus, id est principium malæ cogitationis, introierit cor nostrum per negligentiam nostram, reliquum corpus ejus, hoc est consensus delectationis iniquæ, labatur in mentem. Qui serpens si fuerit intromissus, interimet procul dubio morsu venenato mentem captivam.
Ps. C, 8. Oportet quoque nos exstinguere exsurgen- C tes peccatores terræ, id est carnales sensus,
Ps. CXXXVI, 9. in principio sui ortus; et filios Babylonis, quando adhuc parvuli sunt, ad petram allidere, id est motus ac impetus passionum consideratione Christi reprimere statim dum oriuntur. Qui nisi necati fuerint quando adhuc teneri exstant, adulti validiores insurgent in nostram perniciem, aut certe non sine grandi gemitu ac labo-
Luc. XI,21, 22. re vincentur. Dum enim fortis armatus, videlicet spiritus noster rationalis, custodit domum suam, cogitationes suas muniens D Dei timore, in pace erit omnis substantia ejus, id est virtutes et actus atque labores earum longo tempore congregati. Si autem fortior superveniens vicerit eum, puta diabolus cogitationum pravarum consensu ipsum dejecerit : arma spiritus nostri diripiet, in quibus confidebat, id est, memoriam Scripturarum vel Dei timorem ab eo tollet; et spolia ejus dividet, id est, virtutum suarum merita disperget per vitia eis contraria.

CAPITULUM XIV.

Quod non studeamus laudem describere castitatis, sed exponere ejus effectum.

ET ut cuncta prætaream quæ de præconiis castitatis in sanctis continentur Scripturis, ponam tantummodo unam B. Pauli auctoritatem, qua patet qualiter ipse Thessalonicensibus scribens, prætulerit castitatem universis virtutibus. Non enim propositum meum est laudem castitatis conscribere, sed Patrum traditionibus explicare de qualitate ipsius, et qualiter acquiri custodirique debeat, quis item sit finis ejus. Hanc ergo Apostolus hoc nobili verbo commendat.

CAPITULUM XV.

Quod castitas ab Apostolo specialiter sanctimonia appelletur.

HÆC est, inquit, voluntas Dei, sancti- I Thess. IV, 3.
ficatio vestra. Et ne forte relinqueret nobis ambiguum aut obscurum quid per sanctificationem significaret, an scilicet justitiam, an caritatem, an humilitatem, an patientiam (in omni namque virtute sanctificatio quædam acquiritur), infert et manifeste designat quid sanctificationem voluerit proprie appellare. Hæc est volun- Ibid. 3-5.
tas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos, inquit, a fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione, non in passione desiderii, sicut gentes quæ Deum ignorant. Vides quibus eam laudibus prosequatur, appellans eam honorem et sanctificationem vasis seu corporis nostri. Econtrario ergo, qui est in passione desiderii, et in ignominia ac immunditia, alienus a sanctificatione probatur. Tertio quoque post pauca infert, eam rursus sanctimoniam nuncupans, dicendo : Non enim vocavit Ibid. 7, 8.
nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem; igitur qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam

dedit Spiritum Sanctum suum in nobis. A Per quod auctoritatem immobilem suo adjunxit præcepto : Qui hæc (inquiens) spernit, quæ scilicet de sanctimonia dixi, non hominem spernit, id est non me qui ista præcipio, sed eum qui in me loquitur, qui etiam mentem nostram deputavit ac fecit habitaculum Spiritui suo Sancto. Vides quibus ac quantis laudibus extollat Apostolus castitatem puris atque simplicibus verbis : primo, ei attribuendo sanctificationem; deinde asserens corpus nostrum per eam ab immunditia eruendum ; tertio, B quod per eamdem sit in honore et sanctificatione mansurum, ignominia et contumelia omni abjecta. Postremo designavit Spiritum Sanctum esse habitatorem pectoris nostri per istam virtutem : quod est summa remuneratio beatitudinis præmiique perfecti.

CAPITULUM XVI.

De alio testimonio Apostoli de eadem sanctimonia castitatis.

LICET autem ad finem libelli tendat sermo, adhuc tamen ponam aliud testimonium ejusdem Apostoli huic consimile. Ad Hebræos etenim scribens, ait :
Hebr. XII, 14. Pacem sectamini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Hic quoque evidenter pronuntiavit Deum penitus videri non posse sine sanctimonia, quam appellare solet mentis integritatem, aut corporis puritatem. Unde et hic eumdem sensum explanans, similiter D
Ibid. 16. infert : Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau.

CAPITULUM XVII.

Quod spes sublimioris præmii debeat augere custodiam castitatis.

QUANTUM itaque sublime atque cœleste est præmium castitatis, tanto gravioribus hostium insidiis impugnatur. Idcirco intensius adhibere debemus non solum continentiam corporis, verum etiam cordis contritionem assiduis orationum gemitibus : quatenus clibanus carnis nostræ, quem rex Babylonis succendere non *Dan.* III, 19.
desistit incentivis suggestionum carnalium, id est concupiscentia carnis quam inflammat diabolus, exstinguatur rore Spiritus Sancti descendente in corda nostra.

CAPITULUM XVIII.

Quod sicut castitas obtineri non potest sine humilitate, ita nec scientia sine castitate.

ASSERUNT etenim seniores castitatem obtineri non posse, nisi humilitatis fundamenta fuerint prius in corde locata. Ita rursus affirmant neminem posse ad fontem veræ scientiæ pervenire, quamdiu interioribus animæ ejus inest radix incontinentiæ. Et dicunt possibile esse integri- C tatem corporis sine gratia scientiæ reperiri, impossibile vero spiritualem scientiam sine integritatis castimonia possideri : quia diversa sunt dona, nec eadem gratia Spiritus Sancti tribuitur omnibus, sed illa ad quam se unusquisque præbuerit dignum et aptum studio aut industria sua. Denique, quum in omnibus sanctis Apostolis credatur fuisse virtus integritatis perfecta, donum tamen scientiæ abundavit magis in Paulo, quia ad eam præparavit et dedit se aptum solerti studio atque industria.

CAPITULUM XIX.

Sententia S. Basilii de qualitate virginitatis suæ.

FERTUR fuisse sententia S. Basilii episcopi Cæsariensis districta, qui dixit : Mulierem ignoro, et virgo non sum. In tantum intellexit incorruptionem carnis consistere non tam in continentia a femi-

nis, quam in integritate puritateque cor- A dis, quæ vere custodit perpetuo incorruptam castimoniam corporis, Dei timore, aut castitatis amore.

CAPITULUM XX.

Quis sit finis veræ integritatis ac puritatis.

HIC itaque finis est atque perfecta probatio integritatis, si quiescentibus aut dormientibus nulla subrepserit titillatio B voluptatis, et obscenæ humoris superfluitates egerantur pro necessitate naturæ, ignorantibus nobis. Quas sicut omnino abscidere et in perpetuum amputare, est supra naturam; ita revocare sive reducere eas ad inevitabilem rarissimamque naturæ necessitatem, maximæ est virtutis. Quæ titillatio sive necessitas, pulsare monachum solet infra menses duos semel. Quod tamen dictum sit secundum experientiam nostram, non secundum seniorum sententiam, a quibus tempus duorum mensium C judicatur nimium breve ad sustinendum id semel : ne si voluerimus illud exprimere quod ab ipsis didicimus, videamur his qui forte ex negligentia sua remissiorive studio puritatem hanc minus experti sunt, incredibilia aut impossibilia descripsisse.

CAPITULUM XXI.

Qualiter conservare possimus statum puritatis perfectæ.

STATUM illum puritatis perfectæ ita poterimus incessanter tenere, et naturalem modum ac tempus jam præfatum nunquam excedere, si cogitemus Deum esse inspectorem non solum nostrorum actuum secretorum, sed etiam cogitationum cunctarum; et reddituros nos esse rationem ita pro omnibus quæ in corde nostro versantur, sicut pro universis operibus nostris.

CAPITULUM XXII.

Usque ad quem modum possit perduci integritas cordis nostri, et quid sit indicium mentis ad plenum excoctæ.

HUCUSQUE igitur festinare debemus, et eo usque pugnare adversus animæ motus incentivaque carnis, donec ista carnis conditio expleat necessitatem naturæ, non suscitet voluptatem, naturalem abundantiam sine ullo pruritu et noxa expellens, non pugnam castitati voluntatique suscitans. Ceterum, quando mens adhuc in somno imaginatione formarum illuditur, sciat se nondum pervenisse ad integram et excoctam castitatis perfectionem.

CAPITULUM XXIII.

Remedia curationis, quibus puritas cordis ac corporis nostri possit perfecta manere.

UT ergo illusiones istæ dormientibus nobis subrepere seu accidere nequeant, tenendum est semper æquale ac moderatum jejunium. Quicumque enim excesserit rigoris mensuram, necesse est ut etiam modum relaxationis excedat. Per quam inæqualitatem sine dubio impedietur a planissimo statu tranquillitatis prædictæ : nunc nimia evacuatione et fame debilitatus, nunc vero abundantiori cibo distentus. Cum variatione namque refectionis, necesse est variari animæ puritatem. D Deinde adhibenda ac conservanda est jugis humilitas et incessabilis patientia cordis, atque intenta cautela adversus iram ac ceteras passiones. Nam ubi fuerit virus furoris, necesse est et libidinis incendium introire. Ante omnia quoque necessaria est pervigil sollicitudo in nocte. Quemadmodum enim custodia puritasque diei ad castitatem disponit nocturnam, ita nocturnæ vigiliæ præparant ac impendunt robur et solidissimum statum cordi, conversationi et observationi diurnæ.

LIBER VII

DE SPIRITU PHILARGYRIÆ SIVE AVARITIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod alienum sit avaritiæ bellum; et quod avaritia non sit homini naturalis.

TERTIUM habemus conflictum contra avaritiam, quam appellare possumus amorem pecuniarum. Est iste conflictus, bellum alienum et extra naturam, nec aliunde in monacho sumens principium, nisi de ignavia corruptæ ac tepidæ mentis, et frequenter de principio abrenuntiationis male arrepto seu inchoato, ac tepido circa Deum amore fundato. Cetera namque vitiorum incitamenta, naturæ humanæ insita et quasi ingenita, videntur in nobis habere principium, et carni quodammodo inviscerata, et nativitati pene coæva, discretionem boni aut mali prævenientia. Et quamvis hominem prima impugnent, longo tamen labore vincuntur.

CAPITULUM II.

Quam perniciosus sit morbus seu vitium avaritiæ.

PORRO avaritia postmodum superveniens, et animæ ab extra accedens, quanto facilius caveri potest ac respui, tanto perniciosior fit vitiis cunctis, difficiliusque expellitur, si semel per negligentiam cordi intromittatur. Omnium namque malorum efficitur radix, varios nutriens fomites vitiorum.

CAPITULUM III.

Quæ utilitas nobis sit in naturalibus vitiis.

NONNE videmus non solum in pueris, in quibus adhuc innocentia prævenit seu præcedit discretionem boni et mali, A imo etiam in parvulis atque lactentibus, quod motus carnis ostendunt sibi inesse naturali incitamento, quum necdum habeant in semetipsis initium ullius libidinis? Similiter quoque videmus in parvulis esse feroces iracundiæ motus, et antequam virtutem patientiæ noscant, cernimus eos moveri injuriis, et sentire verborum contumelias etiam per jocum irrogatas. Interdum quoque, ira instigante, voluntas ultionis eis non deest, quum vires desint. Nec hoc dico ut naturam B creationis notem de culpa, sive accusem; sed ut asseram quosdam motuum horum qui procedunt ex nobis, insitos nobis esse causa nostræ utilitatis, quosdam vero extrinsecus introductos negligentiæ vitio, aut pravæ voluntatis arbitrio. Nempe præfati motus carnales sunt corpori nostro utiliter insiti ex providentia Creatoris, propter sobolis procreationem, atque ob suscitandam propaginis posteritatem, non ad perpetranda diversa luxuriæ genera, quæ etiam legis auctoritate damnantur. Aculei C quoque seu motus iræ sunt nobis saluberrime dati, ut propriis vitiis et erroribus indignantes, fortius occupemur virtutibus ac spiritualibus studiis, omnem caritatem ac patientiam nostris fratribus exhibentes. Præterea quanta sit utilitas tristitiæ novimus : quæ in contrarium affectum mutata, inter cetera vitia numeratur. Tristitia namque quæ est secundum timorem Dei, est necessaria valde; quæ autem secundum sæculum est, perniciosa est prorsus, sicut docet Apostolus dicens : D Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur. II Cor. vii, 10.

CAPITULUM IV.

Quod sine Creatoris injuria dicamus nobis inesse quædam naturalia vitia.

NON Creatorem ergo judicamus esse culpabilem, dum dicimus nobis hos motus ab ipso esse insertos, et nequiter eis abutimur, eosque ad noxia retorquemus ministeria : ut si velimus tristari non pro pœnitentia salutari et vitiorum correctione, sed pro infructuosis causis et sæcularibus rebus ; vel si irascamur non jam utiliter nobismetipsis peccantibus, sed contra præceptum Dei fratribus nostris. Nam et si quis voluerit ferrum, quod ad necessaria atque utilia ministeria est collatum, retorquere ad interitum innocentium, non diffamabit ex hoc ferri creatorem, eo quod ipse ad nocendum ferro utatur, quod Deus ad aptum ac necessarium præstitit usum.

CAPITULUM V.

De vitiis quæ extra naturalem motum nostra culpa contrahuntur.

DICIMUS tamen quædam vitia crescere seu oriri in nobis sine ulla naturali præcedenti occasione seu causa, ex solo corruptæ ac pravæ voluntatis arbitrio : ut sunt avaritia atque invidia, quæ extrinsecus contrahuntur, quum nulla habeant in nobis principia ex naturali instinctu. Quæ tamen quam faciliter præcaventur, et quam congrue declinantur, tam miseram faciunt mentem quam occupant ac semel possident, eamque vix permittunt ad curationis remedia pervenire : vel quod hi qui ab ipsis sunt læsi, non sunt digni celeri medicina curari a vitiis istis, quæ potuerunt facillime cognoscere, vel vitare, aut vincere ; vel certe quoniam male fundati, indigni sunt adipisci structuram virtutum et culmen perfectionis.

A

CAPITULUM VI.

Quod avaritiæ morbus semel admissus difficulter curetur.

QUAMOBREM nullus putet avaritiæ morbum esse parvi pendendum, aut tanquam parvum peccatum faciliter admittendum : quoniam sicut faciliter evitatur, ita si quemquam possederit, vix permittet eum ad remedia pertingere sanitatis. Est namque receptaculum vitiorum, B et omnium radix malorum, fitque inenarrabilis fomes nequitiæ, dicente Apostolo : Radix omnium malorum philargyria est, id est amor pecuniæ. I Tim. vi, 10.

CAPITULUM VII.

Ex quibus avaritia generetur, et quantorum malorum sit procuratrix.

AVARITIA ergo quum negligentem ac tepidam monachi mentem possederit, C primo eum in re parva seu exigua summa sollicitans, excogitat ei quasi justos quosdam rationabilesque colores propter quos debeat sibi aliquid pecuniæ reservare aut congregare. Nam et ea quæ in monasterio dantur, insufficientia esse conqueritur, et vix robusto ac sano sufficere corpori. Quid ergo agendum si oriatur infirmitas, et nihil peculiare aut proprium fuerit repositum, quo infirmitas sustentetur? Persuadet quoque præstationem seu administrationem esse permodicam, et circa D ægrotantes fieri negligentiam maximam : idcirco si nil proprium reservetur quo corpori provideatur, moriendum esse miserabiliter fame. Vestimentum quoque quod sibi datur, non sufficere sibi causatur, nisi procuraverit necessaria ex quibus valeat sibi aliud exhibere. Insuper non se posse diu in eodem monasterio commorari, nec etiam posse se ad loca alia, quum voluerit, transmigrare, nisi paraverit sibi sumptum viatici atque mercedem transmarinæ navigationis : sicque

ex necessitate inopiæ, toleraturum se jugiter vitam laboriosam, miserabilem, et absque ullo profectu; imo et inopem se ac nudum, ex aliena substantia semper non sine vituperio sustentandum. Itaque quum avaritia talibus cogitationibus captivaverit mentem, cogitat qualiter unum saltem denarium acquirere possit. Tunc sollicita mente perquirit aliquod speciale opus quod faciat, nesciente abbate: quod vendens occulte, et optatum nummum adeptus, acrius vehementiusque torquetur, excogitando qualiter duplicet eum; ambiguus etiam ubi reponat vel cui credat eumdem. Deinde graviori cura affligitur quid cum illo emat denario, aut quali commercio eum valeat duplicare. Quem quum duplicaverit, avidius incipit aureum appetere nummum, et tanto ad hoc vehementius inflammatur, quanto exinde majus sibi lucrum accrescit. Cum incremento namque pecuniæ rabies cupiditatis augetur. Deinde longævam sibi vitam talis promittit, et cogitat quod secutura senectus curva infirmitatesque variæ ac prolixæ tolerari non poterunt, nisi major summa pecuniæ fuerit in juventute collecta.

Istis itaque serpentinis vinculis infelix anima captivata, dum pecuniam male acquisitam cupit nequiori cura augere, pariens sibi pestem qua durius inflammetur, et cogitatione appetituque lucri totaliter occupata, nil aliud respicit oculo cordis quam unde valeat sibi congregare pecuniam, per quam possit celerius evolare de monasterii disciplina, nullam habens fidem ubi spes aliqua nummi poterit refulgere. Hinc pro nummo non pertimescit admittere crimen mendacii, perjurii, furti, nec fidem frangere, noxiumque iracundiæ motum implere. Denique, si venerit quis spe quæstus, non pertimescit modum honestatis ac humilitatis transcendere; et
Philipp. III, 19. sicut aliis venter, ita ei aurum et spes lucri est pro deo. Unde beatus Apostolus perspiciens noxia hujus morbi venena, vocavit eum non tantum omnium vitiorum radicem, verum etiam idolorum servitutem, dicendo: Et avaritia, quæ est simulacrorum servitus. Colos. III, 5. Avaritia autem in Græco φιλαργυρία dicitur. Cernis itaque ad quantam impietatem rabies cupiditatis per singulos crescat gradus, ita ut etiam ab Apostolo idolorum servitus nuncupetur: eo quod prætermissa imagine et similitudine Dei (quam debuit in semetipso custodire immaculatam, Deo devote ministrando), maluit figuras hominum auro impressas, pro deo intueri atque diligere.

CAPITULUM VIII.

Quod avaritia omnes virtutes impediat.

TALIBUS igitur aversionum ac vitiorum incrementis avaritia* in deterius crescens, nec ullam de cetero virtutem, nec umbram humilitatis, caritatis aut obedientiæ retinens, indignatur ad omnia, atque ad singula opera sibi injuncta murmurat ac suspirat. Nec aliquam jam reverentiam servans, fertur ad præcipitium absque freno tanquam equus indomitus; nec contentatur victu quotidiano, nec solito indumento. Testatur quoque se hæc non esse diutius toleraturum; et clamat Deum non esse ibi tantummodo, neque salutem suam esse conclusam in illo loco: imo periturum se protinus graviter ingemiscit, nisi a loco illo celerius asportetur aut abeat.

* avarus

CAPITULUM IX.

Quod monachus habens pecuniam in cœnobio perseverare non possit.

HABENS ergo instabilitatis suæ viaticum, puta nummos repositos, per quos tanquam per alas se parat ad recedendum, jamque ad recedendum paratus, ad omnia quæ sibi jubentur, insolenter respondet. Se quoque tanquam peregrinum et extraneum gerens, negligit et contemnit quæcumque indigentia correctione

seu culpabilia viderit. Quumque possideat A repositam furtim pecuniam, conqueritur se nec calceamenta habere, nec vestimenta, et ea sibi tardius tribui indignatur. Et si forte aliquid horum fuerit prius a præsidente aut dispensatore collatum ei qui multum indiget ejus, majoribus iræ stimulis inardescit, et se tanquam extraneum despici arbitratur; nec ulli operi manus suas apponens, reprehendit omnia quæ utilitas monasterii necessario fieri exigit. Deinde studiose quærit occasiones quibus quasi merito offendi debeat vel irasci, ne B leviter motus videatur exire de cœnobii disciplina. Nec contentus est solus recedere, ne credatur propriæ voluntatis vitio deservire; sed depravare occultis susurrationibus non desistit quantos potuerit. Denique, si asperitas temporis impedierit processum sui itineris aut navigationis, per omne illud tempus suspenso et anxio corde residens, non cessat seminare et excitare tristitias : credens se non aliter reperturum discessionis suæ solatium levitatisque suæ excusationem, quam mona- C sterii nota aut macula, qua illud diffamet.

CAPITULUM X.

Quod laborem avaritiæ subeat desertor monasterii, qui ante pro levissimis murmurabat laboribus.

AGITATUR itaque magis ac magis accensus suarum affectione pecuniarum, quæ nunquam permittunt monachum diu in monasterio residere, aut sub D institutione regulæ vivere. Quumque proprietas tanquam bestia ferox eum de cœtu separaverit Fratrum, et destitutione sodalium fecerit errabundum, atque privatione contubernii seu monasterii sui exposuerit eum facili devorationi inimicorum, compellit eum die ac nocte spe quæstus infatigabiliter laborare, qui prius despexerat levissima monasterii opera exercere. Insuper non permittit eum custodire orationum solennia, jejuniorum mensuram, vigiliarumve regulam, nec sinit eum explere honestarum intercessionum officia, dummodo valeat avaritiæ rabiem satiare, aut suis quotidianis usibus providere : ignem cupiditatis accendens, dum credit eum exstinguere plus acquirens.

CAPITULUM XI.

Quod occasione pecuniæ acquirendæ contubernia feminarum quærantur.

HINC jam quidam per vitiosum præcipitium lapsi, feruntur irrevocabili lapsu ad mortem. Non contenti soli possidere pecunias quas vel ante nunquam habuerant, vel initio malo servaverunt, inquirunt habitacula feminarum, quæ male collecta aut vitiose retenta custodiant; et tantis involvunt se occupationibus perniciosis ac noxiis, ut devoluti ad profundum inferni, dum acquiescere renuunt apostolicæ illi sententiæ, ut habentes vi- I Tim. vi, 8.
ctum et vestitum, contenti sint his quæ frugalitas monasterii exhibet, sed volen- Ibid. 9, 10.
tes divites fieri, incidant in tentationem laqueumque diaboli, atque in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix namque omnium malorum est cupiditas (id est philargyria) : quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.

CAPITULUM XII.

Exemplum cujusdam tepidi monachi laqueis avaritiæ irretiti.

SCIO quemdam, qui semetipsum reputat monachum, et quod pejus est, de perfectione sibi blanditur : qui receptus in cœnobio, quum a suo moneretur abbate ne rediret ad ea quæ renuntians abdicavit, seque emundaret ab omnium vitiorum radice avaritia, et a laqueis periculisque terrenis, si vellet a pristinis passionibus expurgari, quibus videbat eum

gravissime omni momento moveri, cessaret quoque ea appetere quæ nec ante in sæculo possidebat, quorum si vinculis caperetur, pervenire non posset ad purgationem vitiorum suorum; tunc ille truculento vultu respondere non timuit : Si tu habes plurimos nummos quibus te sustentas, cur prohibes similiter me habere?

CAPITULUM XIII.

Quid seniores conferant junioribus in denudatione vitiorum.

HÆC autem non videantur alicui superflua aut molesta. Nisi enim genera vitiorum fuerint prius exposita, et morborum causæ atque origines inquirantur, non poterit infirmis adhiberi congrua spiritualis curatio, nec fortibus conferri valebit perfecta virtutum custodia. Unde seniores solent hæc et multo plura sermocinando proponere ad juniorum doctrinam : qui utique seniores experti sunt innumerabiles diversorum ruinas et casus. Quorum vitiorum multa sæpe in nobis ipsis agnoscentes ex collatione et informationibus seniorum, utpote qui eisdem passionibus pulsabamur, absque nostra confusione et verecundia curabamur, quum taciti disceremus causas atque remedia vitiorum nos impugnantium. Quæ nos celavimus ac præterivimus, ea non describendo, non ex timore communitatis Fratrum, sed ne forte liber iste deveniens in manus eorum qui in religionis exercitatione minus perfecti sunt, patefaciat ea inexpertis quæ cognita esse non debent nisi solis fortiter laborantibus, ac festinantibus culmen perfectionis attingere.

CAPITULUM XIV.

Quibus exemplis morbus avaritiæ triplex esse monstretur.

TRIPLEX itaque est avaritiæ hujus morbus, qui ab universis Patribus detestatione reprobatur æquali. Unus est, quem A modo descripsimus, qui miserabiles quosque decipiens monachos, persuadet eis illa congregare in claustro, quæ nec ante possidebant in sæculo. Alius, qui instigat eos rursus desiderare atque resumere ea quæ in exordio suæ renuntiationis abjecerant. Tertius, qui malo ac vitioso initio est contractus, qui ab imperfectione incipiens, non permittit se a cunctis mundi facultatibus denudare eos quos semel infecerit suo tepore : imo timore paupertatis ac diffidentiæ facit eos esse con- B cussos, nec unquam permittit eos ad evangelicam perfectionem pertingere, qui sibi reservant pecunias sive substantias quas in principio suæ renuntiationis debuerunt abjicere. Quarum trium cupiditatum exempla seu opera invenimus in sanctis Scripturis non parva pœna esse damnata. Nam Giezi volens acquirere ea quæ nec ante possederat, non solum non meruit obtinere gratiam prophetiæ, quam per successionem quasi hereditariam habuit a magistro suo Eliseo suscipere, verum etiam C econtrario æterna perfusus est lepra maledictione sanctissimi Elisei. Porro Judas volens resumere pecunias quas ante abjecerat Christum sequendo, non solum ad Christi traditionem est lapsus, et gradum amisit apostolatus, sed etiam meruit vitam suam communi exitu non finire, eamque laquei morte conclusit. Ananias quoque et Saphira, reservantes sibi partem aliquantulam ex his quæ ante possederant, apostolico ore puniti sunt morte.

IV *Reg.* v, 27. — *Matth.* xxvi, 48; xxvii, 5. — *Act.* v, 3, 10.

D

CAPITULUM XV.

Quomodo male renuntians differat a non renuntiante.

DE his igitur qui dicentes se renuntiare huic mundo, rursus incredulitate seu diffidentia victi, timent opibus terrenis nudari, in Deuteronomio mystice ita præcipitur : Si quis est homo formidolosus et corde pavidus, non egrediatur ad bellum; vadat et revertatur in domum suam, *Deut.* xx, 8.

ne pavere faciat corda fratrum suorum, A sicut ipse timore perterritus est. Quid, quæso, evidentius testimonio isto? Nonne Scriptura manifeste potius vult eos nec initium neque nomen professionis monasticæ sibimet usurpare, quam prava exhortatione et exemplo corrupto etiam alios infectos a perfectione evangelica revocare, et eos infideli terrore debilitare? Jubetur itaque eis ut recedentes a pugna, revertantur in domum suam, quia non potest quis duplici corde bella Domini præliari
Jacob. I, 8. (vir enim duplex animo inconstans est in B omnibus viis suis); et cogitantes, secun-
Luc. XIV, 31, 32. dum evangelicam illam parabolam, eum qui cum decem millibus venit, non posse confligere cum eo qui cum viginti millibus venit ad se, illo adhuc longe posito postulent pacem, hoc est, ut non arripiant renuntiationis initium, potius quam eam postmodum tepide exsequentes, ma-
Eccle. V, 4. jori periculo se involvant. Melius est enim non vovere, quam vovere et non reddere. Pulchre autem describitur iste venire cum decem millibus, et ille cum viginti milli- C bus : major namque est numerus vitiorum nos impugnantium, quam virtutum
Matth. VI, 24. pro nobis bellantium. Non enim potest
Luc. IX, 62. quis Deo servire et mammonæ; nec potest quis manum suam super aratrum ponens, et retro respiciens, aptus esse regno Dei.

CAPITULUM XVI.

Cujus testimonii colore se tueantur, qui omnia sua relinquere nolunt.

HIC igitur quidam cónantur occasionem pristinæ avaritiæ sibi assumere auctoritate sacræ Scripturæ : quam vitiosiori intellectu exponentes, cupiunt depravare doctrinam Apostoli, imo et Christi, et juxta desideria sua eam corrumpere. Non coaptantes suam vitam aut intelligentiam sensui Scripturarum, sed juxta desiderium suæ libidinis vim inferentes Scripturis, retorquere et trahere eas volunt ad suas opiniones, et asserunt scriptum esse : Beatius est magis dare, quam accipere. Act. XX, 35. Cujus auctoritatis expositione falsissima putant esse evacuatam illam Salvatoris sententiam : Si vis perfectus esse, vade, Matth. XIX, 21. vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veniens sequere me. Et hoc colore arbitrantur se non debere divitias suas abjicere, affirmantes se esse beatiores, si pristinis opibus abundantes, largiantur aliis de copia earumdem; quumque erubescunt pro Christo gloriosam assumere nuditatem cum Apostolo, neque de opere manuum, neque de parsimonia monasterii volunt esse contenti. Quibus incumbit ut vel sciant se decipere semetipsos, et nequaquam renuntiasse huic mundo, eo quod divitiis inhæreant pristinis; aut si cupiunt professionem monachalem re et opere adimplere, cum Apostolo glorientur in fa- II Cor. XI, 27. me et siti, in frigore et nuditate, dispersis abjectisque omnibus, nec aliquid reservantes ex his quibus renuntiaverunt.

CAPITULUM XVII.

De renuntiatione Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ.

NAM et ipse Apostolus poterat utique pristinis facultatibus sustentari, qui se testatur non fuisse ignobilem etiam a nativitate, juxta sæculi hujus conditionem, sed dignitate civilitatis Romanæ præ- Act. XXII, 27. ditum esse, si judicasset commodius esse ad perfectionem abundare divitiis, atque ex eis aliis dare.

D Et illi qui in Jerusalem erant posses- Ibid. IV, 34, 35. sores agrorum et domorum, vendentesque omnia et ex eis nil penitus sibi servantes, afferebant et ponebant pretia venditorum ante pedes Apostolorum, potuerunt sua corpora ex propriis facultatibus sustentare, si Apostoli docuissent hoc esse perfectius sive utilius; ipsi vero simul abjicientes universas suas substantias, maluerunt sustentari proprio ex labore, aut eleemosynis gentium. De quorum sumptu sanctus Apostolus ad Romanos scribens, et

suum in hoc ministerium prædicans, eosque ad talem eleemosynam faciendam
Rom. xv, 25-27. subtiliter provocans, ait : Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis; probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem; placuit enim eis, et debitores sunt eorum : nam si spiritualium eorum participes factæ sunt gentes, debent et in carnalibus ministrare eis. Ad Corinthios quoque horum sollicitudinem similiter gerens, monet eos ut ante suum adventum sollicite præparent collationem quam pro sustentatione pauperum in Jerusalem mittere eis disposuit :
I Cor. xvi, 1-4. De collectis, inquiens, quæ fiunt in sanctis, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Unusquisque vestrum per unam sabbati thesaurizet, apud semetipsum recondens quod ei bene placuerit, ut non quum venero, tunc collectæ fiant. Quum autem venero, quoscumque probaveritis per epistolas, hos transmittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt : id est, si talis fuerit oblatio vestra, quæ et me prosequente et comitante digna sit deportari. Ad Galatas quoque quum describeret qualiter divisum sit prædicationis officium inter ipsum et alios quosdam Apostolos, testatur hoc idem inisse pactum cum Jacobo, Petro et Joanne : ut licet susciperet officium prædicandi gentilibus, nequaquam tamen relinqueret curam et sollicitudinem pauperum qui Jerosolymis erant, qui universis rebus suis propter Christum renuntiantes, spon-
Galat. ii, 9, 10. taneam assumpserunt egestatem : Quum vidissent, inquit, gratiam Dei quæ data est mihi, Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos inter gentes prædicaremus, ipsi autem in circumcisione; tantum ut pauperum memores essemus. Quod cum omni sollicitudine se implesse testatur, dicendo : Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Qui ergo sunt beatiores, an illi qui nuper ex

A gentilitate conversi, nec valentes adhuc evangelicam perfectionem ascendere, reservabant sibi suas substantias (inter quos Apostolus duxit seu reputavit se multum fructificasse, si revocati saltem ab idolo- Act. xv, 29. latria et fornicatione, et suffocatis et sanguine, acciperent fidem Christi, manentes cum facultatibus suis), an illi qui evangelicis obtemperantes consiliis, voluerunt sibi nihil de suis opibus remanere, por- Luc. ix, 23. tantes Christi crucem quotidie?

Denique sanctus Apostolus quum non
B potuisset sibi ipsi propriis manibus ac- I Cor. iv, 12. quirere victum quotidianum, ut solitus erat, eo quod fuerit vinculis carceribusque detentus, aut labore itineris impeditus, asserit se suscepisse supplementum suæ necessitatis a fratribus qui de Macedonia venerant, dicens : Quod mihi deerat II Cor. xi, 9. suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia. Atque ad Philippenses ipsemet refert : Scitis enim et vos, Philippenses, Philipp. iv, 15, 16. quia in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ec-
C clesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli, quia et Thessalonicam mihi misistis in usum et semel et bis. Itaque secundum prædictorum opinionem, quam mente tepida conceperunt, isti qui de suis substantiis communicaverunt Apostolo, erunt beatiores eodem? Quod nec amens aliquis audebit asserere.

CAPITULUM XVIII.

Quod non debeamus secundum proprias sen-
D *tentias vivere, si Apostolos cupimus imitari, sed debeamus sequi ipsorum vestigia.*

QUAMOBREM si evangelico præcepto volumus obedire, et imitatores exsistere primitivæ Ecclesiæ illius, aut Patrum qui nostris temporibus successerunt virtutibus ac perfectioni illorum : non acquiescamus adinventionibus nostris, promittendo nobis evangelicam perfectionem de hoc tepido ac miserabili statu in quo proprium aliquid in claustro servatur; sed

illorum sectantes vestigia, nequaquam studeamus A decipere nosmetipsos : sicque pariter expetamus et amplectamur monasterii institutionem ac disciplinam, ut renuntiemus huic mundo in veritate ; et nihil ex his quæ contempsimus reservantes trahente nos quadam infidelitate, acquiramus victum quotidianum proprio opere, non ex reposita seorsum pecunia.

CAPITULUM XIX.

Sententia S. Basilii Cæsariensis episcopi prolata adversus Syncleticum.

DUM quidam Syncleticus nomine, torpens præfato tepore, diceret se huic sæculo renuntiasse, et tamen quædam de propriis facultatibus sibimet reservasset, nolens labore suarum manuum sustentari, nec veram humilitatem, paupertatem et operis contritionem acquirere monastica subjectione ; dixit ad eum S. Basilius : Et senatorem Syncleticum perdidisti, et monachum C non fecisti.

CAPITULUM XX.

Quod ignominiosum sit ab avaritia superari.

ITAQUE si spiritualem agonem certare legitime cupimus, hunc quoque avaritiæ perniciosissimum hostem a nostris cordibus extrudamus. Quem superare quantum D non magnæ virtutis est, tantum ab eodem vinci ignominiosum est ac plenum dedecoris. Nam quamvis sit labor ac gemitus in dejectione et amissione victoriæ, quando quis vincitur a potente ; victo tamen oritur consolatio quædam de adversarii robore. Porro si inimicus sit debilis, et colluctatio ipsa in se infirma, infertur confusio turpior et ignominia gravior detrimento ex prostratione secuto, ultra dejectionis dolorem.

CAPITULUM XXI.

Qualiter avaritia sit vincenda.

DE hoc avaritiæ vitio erit hæc summa victoria, perpetuusque triumphus : ut quemadmodum dicitur, non permittat monachus maculari conscientiam suam nummo quantumlibet parvo. Impossibile namque est eum qui victus in exigua materia, concupiscentiæ et cupiditatis radicem in suo conceperit corde, non continenter in- B flammari majori incendio desiderii pravi. Etenim tamdiu miles Christi erit victor atque securus, et ab omni impugnatione cupiditatis immunis, quamdiu nequissimus iste avaritiæ spiritus non seminaverit in corde ipsius initia concupiscentiæ ejus. Quapropter quum necesse sit in cunctis vitiorum generibus observari caput serpentis, in hoc tamen peccato præcipue convenit caput ejus diligentius præcaveri. Quod si fuerit intromissum, ex sua materia invalescet, et vehementiora sibimet suscitabit incendia. Ideoque non solum cavenda est pecuniarum possessio, verum etiam affectio voluntatis ad eas extrudenda est prorsus ab animo. Non est tam vitandus avaritiæ effectus, quam radicitus amputandus ejus affectus. Nihil quippe proderit pecunias non habere, si voluntas possidendi eas in nobis exstiterit.

CAPITULUM XXII.

Quod possit etiam aliquis non habens pecunias, avarus judicari.

POSSIBILE namque est etiam eum qui non habet pecunias, nequaquam carere avaritiæ morbo, nec aliquid ei prodesse beneficium nuditatis, quoniam vitium cupiditatis abscindere non curavit : utpote delectatus bono cujus est in eo penuria seu paupertas, non merito ipso virtutis spontaneæ paupertatis, et sustinens onus necessitatis non sine languore seu tædio cordis. Quemadmodum evange-

Matth. v, 28. licus sermo pronuntiavit corde mœchatum etiam corpore non pollutum, ita quoque possibile est non oneratum pecuniæ pondere, cum avaris damnari affectu et mente. Occasio namque habendi defuit ei, non voluntas, quæ solet a Deo semper præmiari, magis quam ipsa necessitas. Itaque festinandum est nobis, ne emolumenta et fructus laborum nostrorum inaniter pereant : miserabile namque est tolerasse executiones et exitus seu labores paupertatis ac nuditatis, et fructus paupertatis perdidisse vitio voluntatis inanis ac cassæ.

CAPITULUM XXIII.

Exemplum de Juda.

VIS scire quam perniciose ac noxie fomes avaritiæ, nisi fuerit diligenter excisus, fructificet ad interitum ejus qui ipsum corde conceperit, et omnifariis pullulet ramusculis vitiorum ? Respice Judam inter Apostolos computatum, qualiter eum suo veneno peremerit. Quia non voluit mortiferum caput hujus serpentis conterere, ideo Judam illum laqueis concupiscentiæ irretitum, ad tantum præcipitii crimen detrusit, ut persuasus sit vendere Redemptorem mundi et humanæ salutis auctorem pro triginta argenteis. Qui nequaquam prolapsus esset ad tam vitiosum scelus proditionis, nisi infectus avaritiæ morbo, fuisset solitus creditos sibi loculos inique ac furtim augere.

Ibid. xxvi, 15; xxvii, 5.

CAPITULUM XXIV.

Quod avaritia vinci non possit nisi nuditate.

IMMANE satis ac evidens est exemplum seu opus hujus tyrannidis, utpote cupiditatis, quæ (ut diximus) si semel captivaverit animam, non permittit eam custodire honestatis regulam aliquam, nec ulla lucri additione satiari. Nam finis vitii hujus acquiritur nuditate, non opulentia. Denique, quum Judas accepisset loculos dispensationi subventionique pauperum deputatos, ob hoc suæ potestati creditos ut saltem pecuniarum abundantia satiatus, imponeret modum suæ cupiditati ; ex earum copia exarsit in fomitem avaritiæ in tantum majorem, ut non solum præsumpserit loculos clam furari, sed Christum quoque venundare. Nam furor hujus cupiditatis universas divitiarum superat quantitates et copias.

CAPITULUM XXV.

De exitu Ananiæ, Saphiræ, ac Judæ.

DENIQUE princeps Apostolorum his eruditus exemplis, sciens eum qui aliquid habet, non posse faciliter cupiditatis impetum moderari, nec avaritiæ finem consistere in summa parva, aut magna : morte punivit Ananiam ac Saphiram, quorum superius fecimus mentionem, quoniam aliquid sibi de sua servaverunt facultate, ut interitum, quem Judas sibi sponte intulerat pro reatu dominicæ proditionis, isti pro mendacio suæ cupiditatis acciperent. Ecce quanta in hoc concurrit similitudo facinoris atque supplicii. Ibi proditio, hic falsitas avaritiam est secuta ; ibi Veritas proditur, hic mendacii crimen admittitur. Licet enim dissimilis videatur esse effectus operis eorum, unus tamen finis in utrisque concurrit. Judas quippe refugiens paupertatem, concupivit resumere quæ abjecit ; Ananias vero et Saphira ne fierent pauperes, tentaverunt sibi aliquid retinere de substantia sua, quam debuerant totam Apostolis fideliter præsentare, aut fratribus communicare. Idcirco utrisque infligitur punitio mortis, quoniam crimen eorum de avaritiæ radicibus emanavit.

Act. v, 2, 5, 10. cap. xiv.

Itaque si tam severa sententia processit in eos qui non cupierunt alienas substantias, sed propriis rebus parcere tentaverunt, aliquid sibi inde servando, nec ha-

buerunt desiderium plura acquirendi, sed A tantummodo voluntatem aliquid retinendi : quid censendum est de his qui pecunias ante nunquam possessas cupiunt congregare, et nuditatem coram hominibus ostendentes, coram Deo divites demonstrantur cupiditatis affectu? Qui instar Giezi leprosi sunt mente ac spiritu : qui transitorias concupiscens divitias hujus mundi, contagione immundissimæ lepræ perfusus est. Per quam evidens nobis reliquit exemplum, quod omnis anima cupiditate polluta, spirituali vitiorum lepra B mox respergatur, atque perenni maledictione reputetur apud Deum immunda.

IV *Reg.* v, 27.

CAPITULUM XXVI.

Testimonia de Scripturis, quibus perfectionem desiderans edocetur non resumere quod reliquit.

SI ergo perfectionis desiderio cuncta relinquens, secutus es Christum tibi di- C centem, Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni et sequere me : cur manu super aratrum missa respicis retro, ut voce ejusdem Domini pronuntieris non esse aptus regno Dei? Stabilitus quoque super tectum evangelici culminis, quid descendis tollere aliquid de domo tua ex his quæ antea contempsisti? Insuper constitutus in agro et operatione virtutum, quid conaris reverti ad substantiam mundi, quam renuntians, te eadem spoliasti? Si vero paupertate præventus, nil habuisti D quod possis dimittere, multo minus debes acquirere quod nec antea possedisti. Ob id enim Deus tibi paupertatem concessit, ut ad ipsum expeditior curras, nullis pecuniarum laqueis impeditus. Verumtamen in hoc nullus pauper frangatur : nemo est enim qui non habeat quod dimittat; imo universis mundi facultatibus renuntiavit, quicumque radicitus amputavit affectum ad eas.

Matth. XIX, 21. *Luc.* IX, 62. *Ibid.* XVII, 31.

CAPITULUM XXVII.

Quod victoria contra avaritiam obtineri non possit, nisi per nuditatem.

HIC est igitur de avaritia perfectus triumphus, ut non sinamus residere in corde nostro igniculum cujuscumque parvissimæ rei : certi quod non habebimus facultatem restringendi illum, si quantulamcumque foverimus in nobis materiam hujus scintillæ. Quam virtutem vincendi cupiditatem non valebimus aliter illibatam tenere, nisi in monasterio consistentes, et juxta Apostolum, victum atque vestitum habentes, his contenti fuerimus. I *Tim.* VI, 8.

Damnationem ergo Ananiæ ac Saphiræ memoriter retinentes, perhorrescamus aliquid reservare ex his quæ renuntiantes, vovimus penitus abdicare. Pertimescamus quoque exemplum plagamque Giezi, qui propter avaritiæ culpam, æternæ lepræ supplicio est percussus. Demeritum etiam atque interitum Judæ timentes, tota vitemus virtute resumere quidquam pecuniæ quam semel a nobis abjecimus. Insuper, super hæc omnia consideremus conditionem incertam fragilis nostræ naturæ; caveamus ne dies Domini sicut fur in nocte veniens, deprehendat conscientiam nostram vel uno obolo maculatam, quo omnes fructus nostræ renuntiationis dirimantur, et dicatur ad nos voce dominica quod in Evangelio dictum est diviti : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem præparasti, cujus erunt? Hinc nihil de crastino cogitantes, nunquam patiamur nos evelli a disciplina cœnobii. In quo sine dubio nequaquam permanere poterimus, neque sub regula institutionis monasticæ perseverare, nisi prius virtus patientiæ fuerit in nobis forti soliditate firmata : quæ patientia non aliunde quam de fonte humilitatis procedit. Illa namque, puta humilitas, non novit aliis commotiones aut perturbationes inferre; hæc vero, utpote patientia, novit sibi illatas magnanimiter tolerare.

Act. v, 2, 5, 10. IV *Reg.* v, 27. *Matth.* XXVII, 5. I *Thess.* v, 2. *Luc.* XII, 20.

LIBER VIII

DE SPIRITU IRÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod quartum certamen sit nobis contra iram, et quanta mala generet passio ista.

QUARTO certamine debemus de interioribus animæ nostræ funditus eradicare mortiferum virus iræ : qua in cordibus nostris manente, et oculum mentis tenebris noxiis excæcante, non poterimus acquirere rectæ examinationis judicium, neque honestæ contemplationis intuitum. Nec poterimus maturitatem possidere con- B silii, nec veri ac spiritualis luminis esse capaces, nec vitæ participes, sed nec justitiæ esse tenaces, quum et Propheta pro-
Ps. xxx, 10. testetur : Turbatus est præ ira oculus meus. Nec etiam poterimus effici sapientiæ participes, etiamsi omnium æstimatio-
Eccle. vii, 10. ne sapientes dicamur : quoniam ira in sinu insipientium requiescit. Sed nec vitam immortalem poterimus consequi, quamvis judicio hominum appellemur prudentes :
Prov. xv, 1, juxta LXX. quoniam ira perdit etiam sapientes. Nec valebimus perspicaci cordis discretione C obtinere moderamen justitiæ, licet cunctorum opinatione æstimemur perfecti et
Jacob. i, 20. sancti : quia ira viri justitiam Dei non operatur. Nullo etiam modo poterimus possidere gravitatis honestatem, quæ solet familiaris exsistere viris etiam sæculi hujus, quamvis ex natalium prærogativa
Prov. xi, 23, juxta LXX. reputemur nobiles ac honesti : quia vir iracundus inhonestus est. Præterea nullatenus obtinere valebimus maturitatem consilii, quamvis videamur graves esse ac
Ibid. xiv, 17, juxta LXX. summa scientia præditi : quoniam vir ira- D cundus agit sine consilio. Nec poterimus esse quieti a perturbationibus noxiis, nec immunes ac liberi a peccatis, quamvis in-

A quietudines non inferantur nobis ab aliis : quia vir animosus parit rixas, vir autem *Prov.* xxix, 22, juxta LXX.
iracundus effundit peccata.

CAPITULUM II.

De iis qui dicunt iram non esse nocivam seu culpabilem, si delinquentibus irascamur, eo quod et Deus dicatur irasci.

AUDIVIMUS quosdam volentes hunc perniciosissimum animæ morbum, videlicet iram, taliter excusare, ut eum detestabiliore Scripturarum interpretatione extenuare seu alleviare optarent : dicentes non esse nocivum, si fratribus peccantibus irascamur, quum et Deus dicatur furere ac irasci contra eos qui eum cognoscere nolunt, vel eum cognoscentes contemnunt : ut ibi, Et iratus est furore *Ps.* cv, 40.
Dominus populo suo; et quum orat Propheta, Domine, ne in furore tuo arguas *Ps.* vi, 2; xxxvii, 2.
me, neque in ira tua corripias me : non intelligentes quod dum volunt hominibus dare occasionem pestiferi vitii, admisceant majestati divinæ ac fonti totius puritatis turbulentiam passionis carnalis.

CAPITULUM III.

De his quæ Deo attribuuntur ex consuetudine nostræ naturæ.

SI enim quum ista de Deo dicuntur, intelligenda sunt secundum litteralem significationem sensu carnali et pingui; ergo et Deus dormit, quum dicitur : Ex- *Ps.* xliii, 23.
surge, quare obdormis, Domine? De quo iterum legitur : Ecce non dormitabit ne- *Ps.* cxx, 4.
que dormiet, qui custodit Israel. Stat quo-

Is. LXVI, 1. que et sedet, quum dicat : Cœlum mihi est sedes, terra autem scabellum pedum
Ibid. XL, 12. meorum. Qui tamen metitur cœlum palmo, et terram suo pugillo concludit. Inebriatur quoque vino, quum scriptum sit :
Ps. LXXVII, 65. Et exsurrexit tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Deinde si secundum vilem litteræ sonum voluerimus admittere omnia quæ in Scripturis sanctis frequenter legimus introducta, utpote lineamenta membrorum quæ describuntur de Deo tanquam de homine figurato atque composito ex capite, naribus, oculis, facie, manibus, brachiis, digitis, utero, pedibus et capillis; necesse erit putare quod Deus in sua natura compositus sit ex lineamentis membrorum corporeaque figura : quod dictu etiam nefas est, quod et absit a nobis.

CAPITULUM IV.

Qualiter sentiendum sit de membris affectibusque humanis quæ immutabili et incorporeo Deo adscribuntur.

ITAQUE, sicut hæc non possunt sine nefando sacrilegio secundum litteram de Deo intelligi, qui auctoritate Scripturarum asseritur esse invisibilis, ineffabilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, simplex et incompositus; ita nec perturbatio iræ aut furoris poterit sine ingenti blasphemia invariabili Deo adscribi. Hinc præfatam significationem membrorum intelligere debemus operationes et efficientias Dei, quæ nobis insinuari non possunt nisi per hæc usitata membrorum vocabula : ut per os Dei intelligamus allocutionem Dei quæ solet clementer infundi in arcanos seu interiores animæ sensus, vel quod in patribus nostris atque Prophetis locutus est. Porro per oculos Dei intelligere possumus immensam perspicaciam aut claritatem suæ notitiæ, qua universa illustrat ac perspicit, et item quod nihil lateat eum ex his quæ cogitamus, gerimus aut geremus. Per manum Dei accipimus providentiam et operationem ipsius, et quod ipse omnium sit creator; per brachium vero, insignia virtutis et gubernationem ejus, qua omnia moderatur, sustentat, regitque. Et ut de ceteris taceam, canities capitis quid aliud in Deo significat, nisi deitatis longævitatem et æternitatem, qua absque ullo principio et ante omnia tempora est creaturas universas excedens ?

Ita de ira et furore Dei sentire debemus non secundum qualitatem humanæ perturbationis, sed spiritualiter ac digne Deo, qui ab omni perturbatione est alienus : quatenus per furorem et iram quæ ei attribuuntur, intelligamus quod ipse sit judex et ultor omnium quæ in mundo hoc inique geruntur, atque terribilis retributor actionum nostrarum; sicque ex horum verborum significationibus formidantes, timeamus contra ipsius voluntatem quidquam admittere. Homines namque solent eos timere, eosque formidant offendere, quos norunt indignari atque irasci : quemadmodum ultrix ira æquissimorum judicum solet timeri a reis sibi de malo consciis; non quod ira in animis talium judicum qui juste judicaturi sunt, sit perturbatio cordis, sed quia effectus ejus, videlicet rigor vindictæ, ita sentitur a metuentibus eam : qui effectus procedit ab ea secundum legum exsecutionem, et examinationem justitiæ et æquam librationem ipsius; quæ tamen exsecutio legum quantacumque magna mansuetudine lenitateque animi fiat, videtur gravis furor ac severissima ira his qui pro suo demerito puniuntur.

Longum est, si voluerimus omnia explanare quæ in Scripturis figuraliter de Deo dicta sunt significatione humana, nec hoc præsentis est operis. Hæc dixisse sufficiat, quantum necesse fuit dicere contra vitium furoris ac iræ, ut nullus per ignorantiam habeat sibi occasionem morbi ac mortis perpetuæ inde (videlicet ex Scripturis) unde sanctitas et immortalitas vitæ ac salutis remedia acquiruntur.

CAPITULUM V.

Quam placidum ac tranquillum conveniat esse monachum.

MONACHUS ergo ad perfectionem tendens, et spiritualem agonem decertare legitime cupiens, alienus exsistat ab omni iræ furorisque vitio, et audiat quid (Ephes. IV, 31.) Vas electionis sibi præcipiat, dicens : Omnis ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia, tollatur a vobis cum omni malitia. Quum dicit, Omnis ira tollatur a vobis, nullam penitus excipit tanquam necessariam aut utilem nobis. Et ita festinet fratrem curare peccantem, quando oportet, ut dum conatur inferre medelam laboranti leviori forsan febricula, non involvat se ipsum deteriori morbo cæcitatis per iram. Oportet enim illum qui alterius vulneri cupit mederi, sanum esse ac alienum ab omni morbo peccati, ne ei dicatur (Luc. IV, 23.) evangelicum illud : Medice, prius cura te (Matth. VII, 3, 4.) ipsum; et illud : Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Et quomodo valebit ejicere festucam de oculis fratris sui, qui trabem furoris gestat in oculo suo ?

CAPITULUM VI.

De justa vel injusta commotione iracundiæ.

QUACUMQUE ex causa motus iræ erumpens, oculos cordis excæcat, atque acumini visus interioris periculosam seu exitialem ingerens trabem morbi validioris seu culpæ majoris, non permittit mentem intueri justitiæ Solem. Nihil differt utrum aurea vel plumbea lamina, sive alterius metalli materia, oculis imponatur.

CAPITULUM VII.

In quo ira sit nobis tantummodo necessaria.

HABEMUS sane insitum nobis iræ motum aut ministerium, ad quod solum nobis utile est ac salubre eam recipere : A utpote dum indignamur contra lascivientes nostri cordis aut corporis motiones, et quando irascimur ea nos coram Deo cogitasse, quæ verecundamur coram hominibus agere aut effari; tota formidine expavescentes præsentiam angelorum ac Dei omnia penetrantis, atque intuitum ejus quem secreta conscientiæ nostræ nequaquam possunt latere. Vel certe dum commovemur adversus hanc ipsam iram, eo quod nobis exorta est contra fratrem : sicque irati, extrudimus instigationes iræ B mortiferas, nec permittimus eam habere nociva latibula intra cordium nostrorum secreta.

CAPITULUM VIII.

Quibus beati David exemplis ira salubriter assumatur.

TALITER nos irasci docet etiam ille Propheta qui iram a suo sensu in tantum abjecerat, quod non voluit ultionem C inferre propriis inimicis et sibi a Deo traditis : Irascimini (inquiens) et nolite peccare. (Ps. IV, 5.) Ipse etenim dum optasset aquam de puteo Bethlehem, accepissetque eam sibi (II Reg. XXIII, 15, 16.) a fortibus viris per medios hostes allatam, protinus fudit eam in terram; et ita voluptuosam concupiscentiæ passionem iratus exstinguens, obtulit eam Domino, nec implevit cupiditatis suæ affectum, dicens : Propitius sit mihi Dominus ne faciam (Ibid. 17.) hoc; num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt et animarum periculum D bibam ?

Denique quum Semei filius Jemini jactaret maledicta ac lapides in regem hunc David coram omnibus, ipsomet audiente, velletque Abisai filius Sarviæ, miles præcipuus et princeps inter tres, inju- (I Par. XI, 20.) riam regis ulcisci amputando Semei caput; beatus David pia indignatione commotus contra severam suggestionem Abisai, servavit mititate invicta humilitatis modum et patientiæ firmitatem : Quid (inquiens) mihi est et vobis, filii Sarviæ ? (II Reg. XVI, 10-12.)

Dimittite eum ut maledicat. Dominus enim A præcepit ei ut malediceret David : et quis est qui audeat dicere quare sic faciat? Ecce filius meus qui egressus est de utero meo, quærit animam meam : quanto magis filius Jemini? Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.

CAPITULUM IX.

De ira contra nos ipsos assumenda.

JUBEMUR itaque irasci salubriter, sed nobismetipsis et suggestionibus pravis in cor nostrum ascendentibus; et non peccare, suggestiones tales ad effectum noxium perducendo. Denique hunc eumdem sensum explanat apertius sequens versi-
Ps. IV, 5. culus : Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini : id est, quæcumque in cordibus vestris cogitatis, C incidentibus in vos instigationibus repentinis ac lubricis, emendate atque corrigite saluberrima compunctione, amoventes moderatione consilii omnem strepitum ac perturbationem furoris, tanquam positi in cubili quietis.

Præterea beatus Apostolus testimonio hujus versiculi usus, quum dixisset, Ira-
Ephes. IV, 26, 27. scimini, et nolite peccare; subjunxit : Sol non occidat super iracundiam vestram, neque locum detis diabolo. Si noxium est Solem justitiæ super iracundiam nostram D occidere, et irascendo damus mox locum diabolo : quomodo superius præcipit ut irascamur, dicens : Irascimini, et nolite peccare? Nonne evidenter vult dicere : Irascimini vitiis et vestro furori, ne aliter vobis agentibus, Christus sol justitiæ incipiat propter iracundiam vestram occidere sive occumbere, seque retrahere vestris mentibus obscuratis, atque illo sic recedente, præbeatis in cordibus vestris locum diabolo?

CAPITULUM X.

De quo sole dicatur, ut sol non occidat super iracundiam nostram.

DE quo sole Deus per Prophetam loquitur evidenter : Timentibus autem no- *Malach.* IV, 2.
men meum orietur Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Qui rursus dicitur in medio die occidere peccatoribus, id est pseudoprophetis, ac eis qui irascuntur, dicente Propheta : Occidit eis sol in me- *Amos* VIII, 9.
B ridie. Vel certe secundum tropicum seu figuratum sensum, mens, id est νοῦς seu ratio, quæ merito sol vocatur pro eo quod universas cogitationes et discretiones cordis illustrat, non occidat, id est, non exstinguatur vitio iræ : ne ea occidente, seu per iram exstincta, tenebræ perturbationum cum auctore suo diabolo occupent omnem animi nostri sensum; sicque tenebris iræ possessi et excæcati, velut in nocte tenebrosa positi, ignoremus quid nos oporteat agere. Tali ergo sensu protulimus (quamvis longiori sermone id factum sit) apostolicam illam sententiam traditam nobis institutione seu informatione seniorum nostrorum : quia necesse fuit ostendere qualiter ipsi de ira sentirent, qui nec ad momentum permittunt eam penetrare cor suum, illud Evangelii omnimode observantes : Qui irascitur fra- *Matth.* V, 22.
tri suo, reus erit judicio. Ceterum si usque ad occasum solis liceat irasci, poterunt noxiæ perturbationes seu passiones explere satietatem furoris, ac satisfacere commotioni iræ se vindicantis, anteaquam sol iste visibilis declinet ad locum sui occasus.

CAPITULUM XI.

De iis quorum iracundiæ nec solis occasus modum imponit.

QUID vero dicendum de his (quod sine confusione mea dicere nequeo) quorum implacabilitati seu iræ nec hic sol

occidens finem imponit, sed iram suam A per dies plurimos protrahentes, atque rancorem animi reservantes adversus eos in quos commoti sunt, verbis se negant irasci, sed reipsa ac opere probantur indignari gravissime, quia nec aptis verbis eos appellant, nec solita affabilitate eis loquuntur? Et ob hoc se æstimant non peccare, quia aperte non quærunt vindictam. Quam quia manifeste exercere aut postulare non audent, aut certe non possunt, concoquunt iram suam in proprio corde, retorquentes virus iracundiæ suæ in perniciem pro- B priam; et taciti ac silentes, eam in semetipsis consumunt, non expellentes protinus amaritudinem suæ tristitiæ vera mentis virtute, sed digerentes eam processu dierum, et mitigantes eam qualitercumque longitudine temporum.

CAPITULUM XII.

Qui iram suam dissimulant, non secus peccant quam si eam proderent.

ILLI itaque ita se habent, quasi finis cujuslibet ultionis non sit, et quasi quis non satisfecerit abundanter suo furori, si ira instigante, compleverit id quod potest. Quod faciunt et hi qui cohibent motus suos non affectu mansuetudinis, sed impotentia ultionis : nihil enim amplius possunt inferre his quibus irascuntur, nisi ut eos solita affabilitate non alloquantur. Ira namque non solum est moderanda et refrenanda quantum ad ultionis ef- D fectum, sed eruenda est potius a pectoris nostri arcanis, ne obscurati tenebris ejus, nequeamus admittere lumen salubris consilii aut salutaris scientiæ, imo nec valeamus exsistere templum Spiritus Sancti, habitante in nobis spiritu nequam. Furor quippe in corde cohibitus et absconsus adstantes homines non offendit, sed æque excludit splendidissimum jubar Spiritus Sancti, ac si manifestaretur.

CAPITULUM XIII.

Quod non liceat ad momentum iram tenere.

DEUS etenim non vult iram ad momentum intus teneri, quia non permittit sibi offerri spiritualia sacrificia orationum nostrarum, si cognoscimus vel alium habere rancoris aliquid contra nos : Si offers (inquiens) munus tuum ad altare, et *Matth.* v, 23, 24. ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et sic veniens offeres munus tuum. Quomodo ergo permittimur tenere iram sive tristitiam contra fratrem, non dicam per plures dies, sed vel usque ad occasum solis visibilis, qui non permittimur orationes nostras Deo offerre, fratre aliquid contra nos habente? Quibus præcipitur ab Apostolo : Sine intermissione orate in omni loco, levantes puras *I Thess.* v, 17. *I Tim.* II, 8. manus sine ira et disceptatione. Superest C igitur ut retinentes virus iræ in cordibus nostris, aut nunquam oremus, et inobedientes simus apostolico huic evangelicoque præcepto quo jubemur ubique et indesinenter orare; aut si decipientes nos ipsos, præsumimus fundere precem contra Dei præceptum, sciamus non offerre nos Deo orationem, sed ex spiritu rebellionis elationem.

CAPITULUM XIV.

De reconciliatione fraterna.

ET quia frequenter contemnimus fratres a nobis læsos aut contristatos, vel despicimus eos dicendo eos non esse vitio nostro offensos : hinc medicus animarum omnia sciens occulta, volens radicitus a nostris cordibus ejicere occasiones et motus iræ, jubet ut ignoscamus et fratribus nostris reconciliemur, non solum si læsi sumus, et nullam teneamus memoriam

iræ aut læsionis adversus eos; sed etiam A si noverimus illos habere aliquid contra nos sive juste sive injuste, similiter præcipit Christus ut munus nostrum relinquentes, id est, orationes nostras suspendentes aut compescentes, festinemus prius accedere ad satisfaciendum illis, sicque fratre curato, offerre Deo sacrificia orationum nostrarum immaculata.

CAPITULUM XV.

Quod et vetus lex iram prohibuerit non solum ab opere, sed etiam a cogitatione.

SED cur immoramur diutius evangelicis apostolicisque præceptis, quum etiam vetus lex, quæ videtur quodammodo remissior esse, prohibeat hæc eadem, di-
Lev. xix, 17. cens, Ne oderis fratrem tuum in corde
Ibid. 18. tuo; et iterum, Non eris memor injuriæ civium tuorum? Ecce ira abscidi præcipitur non ab opere tantum, sed etiam a cogitationibus abditis, quum non solum C odium atque injuriæ ultio, sed ejus quoque memoria jubetur radicitus de corde evelli.

CAPITULUM XVI.

De superflua recessione locali eorum qui a pravis moribus non recedunt.

INTERDUM autem superati superbia aut impatientia propria, dum emendare no- D lumus incircumcisos inordinatosque mores nostros, conquerimur atque asserimus nos eremum desiderare, quasi ibi virtutem patientiæ reperturi, nullo nos concitante ad iram : excusantes negligentiam nostram, et affirmantes causas iracundiæ generari non ex impatientia nostra, sed vitio fratrum. Dumque in alios vertimus causas erroris, nunquam ad culmen patientiæ ac perfectionis pervenire valemus.

CAPITULUM XVII.

Quod tranquillitas cordis nostri consistere debeat non in aliorum arbitrio, sed in nostra potestate.

SUMMA ergo seu plenitudo emendationis tranquillitatisque nostræ est collocanda non in aliorum arbitrio, quod nostræ potestati nullatenus subjacet; sed in nostra conditione ac potestate magis consistere debet. Unde ut non irascamur, B non debet ex perfectione aut voluntate alterius dependere, sed ex nostra virtute ac mititate descendere : quæ obtinetur non patientia aliena, sed longanimitate et tolerantia propria.

CAPITULUM XVIII.

Quo studio debeamus eremum introire, et qualis sit ibi profectus.

PORRO eremum ingredi pertinet ad perfectos et ab omni vitio expurgatos, atque in congregatione Fratrum a passionibus ad purum excoctos : non pusillanimitatis refugio, sed divinæ contemplationis amore, desiderioque sublimioris intuitus contemplativi, qui non nisi in solitudine a perfectis solummodo poterit apprehendi. Quæcumque enim vitia portaverimus in eremum incurata, manebunt in nobis operta, nec erunt abolita. Quemadmodum enim solitudo solet vitiis emendatis contemplationem purissimam reserare, spiritualium quoque sacramentorum scientiam sincerissimo revelare intuitu; ita consuevit vitia eorum qui minus emendati sunt, non tantummodo reservare, sed etiam augmentare.

CAPITULUM XIX.

Quales sint æstimandi, qui tunc tantum sunt patientes quando a nemine provocantur.

DENIQUE tamdiu sibi quis patiens humilisque videtur, quamdiu aliis non miscetur; sed ad pristinam mox rever-

titur naturam quando occasio cujuslibet commotionis occurrerit. Tunc enim confestim erumpunt ex eo passiones et vitia quæ latebant, et tanquam equi irrefrenati otio longiori nutriti ex suis repagulis certatim ferociusque exsurgunt ad aurigæ proprii detrimentum. Magis quippe efferantur in nobis usu exercitioque humano cessante, nisi fuerint ante purgata. Imo per desidiam securitatis amittimus umbram patientiæ quam imaginarie videbamur habere inter Fratres commorantes, propter eorum reverentiam, atque ut vitaremus publicam notam.

Unde et universa venenata serpentium ferarumve genera, quando in suis latibulis ac solitudine permanent, exstant innoxia; nec tamen ob hoc simpliciter dici possunt innoxia, quia nulli tunc nocent. Hoc etenim eis confert necessitas solitudinis, non bonitatis affectus : nam lædendi occasione adepta, protinus egerunt ac demonstrant virus in se ipsis reconditum et propriam feritatem. Idcirco perfectionem quærentibus non sufficit contra hominem non irasci. Recordamur enim quod quando in solitudine morabamur, ita interdum indignatione commovebamur et ira contra calamum, quando grossior fuit sive exilior quam placuit; aut contra scalpellum, quum præ hebetudine segniter desecaret; vel contra silicem, si forte scintilla ignis ex eo tardius gigneretur quum festinaremus ad lectionem : ut mentis perturbationem non aliter digerere atque evaporare possemus, quam maledictione prolata contra insensatas materias, aut certe contra diabolum. Quamobrem ad perfectionis veritatem non sufficit extra homines esse, quum iracundiæ motus similiter exerceri possit contra res mutas speciesque minutas, si patientia prius non fuerit acquisita : qui motus in nostro residens corde, non sinit nos jugem tranquillitatis statum habere, nec ceteris culpis carere ; nisi forte putemus in hoc lucrum sive remedium aliquod commotionibus nostris consistere, quod res ina-

A nimatæ ac mutæ nequaquam respondent maledictionibus ac iracundiis nostris, et turbulentiam cordis nostri non provocant ad majorem furoris insaniam.

CAPITULUM XX.

De amputanda ira juxta Evangelium.

QUAPROPTER si cupimus illam divini præmii plenitudinem adipisci de qua dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Matth. v, 8.
B Deum videbunt : ira non solum a nostris est actibus amputanda, sed de interioribus quoque animæ nostræ radicitus exstirpanda. Non enim multum proderit iræ furorem a verbis atque operibus cohibere, si Deus, quem cordium secreta non latent, viderit eum nostris pectoribus inhærere. Evangelicus etenim sermo potius præcipit excidi radices vitiorum, quam fructus eorum : quia evulsis fomitibus, seu radicibus exstirpatis, fructus seu actus procul dubio ultra non pullulant ; sic-
C que poterit mens in omni patientia et sanctitate jugiter permanere, quum fuerint vitia ista evulsa non solum de superficie operationis et actuum, sed etiam de secretis cogitationum. Idcirco ira non admittitur nec odium, ne perpetretur et homicidium, quod sine ira aut odio perpetrari non potest.

CAPITULUM XXI.

De eo quod in Evangelio scriptum est :
D *Qui irascitur fratri suo, etc.*

QUI enim irascitur fratri suo, reus erit judicio ; Qui odit fratrem suum, homicida est : quoniam corde appetit mortem illius cujus cruorem non effudit propria manu vel jaculo coram hominibus. Ab affectu iræ judicatur quis homicida a Deo, qui unicuique reddit gloriam aut tormentum, non solum pro operationis effectu, sed etiam voluntatis affectu ac desiderio voti, secundum quod asserit per

Ibid. 22. I Joann. iii, 15.

Is. LXVI, 18. Prophetam : Ego autem opera eorum et cogitationes venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis ; et rursus per Rom. II, 15, 16. Paulum : Cogitationibus inter se invicem accusantibus aut defendentibus, in die quando judicabit Dominus occulta hominum.

CAPITULUM XXII.

Utrum recipiendum sit quod adjectum est : Sine causa.

SCIENDUM tamen est circa id quód in quibusdam exemplaribus seu textibus invenitur, Qui irascitur fratri suo, sine causa : hoc quod dicitur, Sine causa, appositum esse ab his qui iram pro justis causis amputandam non æstimarunt ; quum tamen nullus, quantumlibet sine ratione commotus, dicat se sine causa irasci. Quamobrem apparet hoc esse adjectum ab his qui non intellexerunt Scripturæ propositum, quæ præcipit fomitem iræ omnimode amputare, nullamque penitus occasionem aut causam indignationis servare : ne dum jubemur irasci cum causa, intromittatur nobis occasio irascendi etiam sine causa. Quoniam patientiæ finis seu mansuetudinis consistit non in irascendo juste, sed in penitus non irascendo. Licet hoc ipsum quod dicitur, Sine causa, sciam a quibusdam ita exponi, quod scilicet is sine causa irascitur, cui irato non licet expetere ultionem. Melius tamen est ita tenere, sicut novella exemplaria multa A et antiqua omnia inveniuntur conscripta, videlicet sine additione hujus clausulæ, Sine causa.

CAPITULUM XXIII.

Remedia quibus iram eradicare de cordibus nostris possimus.

HINC athletam Christi legitime præliantem, oportet radicitus exstirpare iracundiæ motus. Cujus hæc erit medicina B perfecta : ut primo credamus nullo modo nobis licitum esse irasci, neque ex injustis neque ex justis causis, scientes nos protinus amissuros lumen discretionis, firmitatem recti consilii, honestatem atque justitiæ moderamen, si principalis vis nostri cordis fuerit tenebris iræ obscurata ; insuper puritatem mentis nostræ mox esse turbandam, nec eam effici posse templum Spiritus Sancti, commorante in nobis iracundiæ spiritu. Postremo remedia iræ sunt : cogitare quod non liceat C nobis iratis orare aut preces Deo offerre ; atque præ omnibus jugiter considerare incertum statum conditionis humanæ, et credere quod simus forsan quotidie de corpore migraturi, atque perpendere nihil præmii conferendum nobis esse pro continentia castitatis, pro abrenuntiatione omnium facultatum, pro divitiarum contemptu, pro jejuniorum ac vigiliarum laboribus, si ab ira vincamur, quibus propter iracundiam solam et odium prædicuntur a Judice universorum æterna supplicia.

LIBER IX

DE SPIRITU TRISTITIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod quintum certamen sit contra spiritum tristitiæ, et quæ bona per eam auferantur ab anima.

QUINTO certamine debemus reprimere mordaces tristitiæ stimulos. Quæ si habuerit facultatem passim obtinendi deprimendique animam per singulos incursus atque per incertos ac varios casus, separabit nos per singula momenta ab omni divinæ contemplationis intuitu; ipsamque mentem ab omni puritatis statu dejiciet ac lassabit, nec sinet eam cum solita cordis alacritate orare aut psallere, neque permittet eam insistere sacrarum remediis lectionum. Nec sinit monachum Fratribus esse mitem et tranquillum : imo ad cuncta religionis et operationum officia impatientem reddit ac asperum. Omni quoque salubri consilio perdito, ac perturbata cordis constantia, facit eum velut ebrium et amentem, sensumque frangit, et pœnali desperatione cor obruit.

CAPITULUM II.

Qua cautela morbus tristitiæ sit curandus.

QUAPROPTER si cupimus legitime decertare spiritualis agonis certamina, passio ista tristitiæ curanda est nobis cum diligentia magna. Nam sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Satis evidenter ac proprie expressit Spiritus Sanctus vim hujus noxii perniciosique vitii.

Prov. xxv, 20.

A

CAPITULUM III.

Quam comparationem habeat anima quæ tristitiæ morsibus devoratur.

VESTIMENTUM namque a tineis corrosum, non est de cetero alicujus honestatis aut pretii; lignum quoque a vermibus penetratum, non est ulterius aptum ad ædificii saltem mediocris ornatum, sed solum ad ignem. Sic anima quæ amarissimis tristitiæ punctionibus laceratur, inu-
B tilis erit vestimento illi pontificali, quod per vaticinium sancti David perhibetur solere suscipere unguentum Spiritus Sancti descendens de cœlo, prius in barbam Aaron, deinde in oram suam. Nec poterit pertinere ad structuram atque ornatum spiritualis templi illius, cujus Paulus sapiens architectus fundamenta posuit, dicens : Vos estis templum Dei, et Spiritus Sanctus habitat in vobis. Cujus templi qualia sint ligna, Sponsa descripsit in Cantico canticorum : Trabes (inquiens) nostræ
C cypressus, tigna domorum nostrarum cedrina. Idcirco talia lignorum genera eliguntur ad templum Dei, quæ sunt boni odoris imputribilisque naturæ, et quæ subjacere non possint vetustatis corruptioni, aut vermium læsioni seu esui.

Ps. cxxxii, 2. — *I Cor. iii, 16.* — *Cant. i, 16.*

CAPITULUM IV.

Unde et quibus modis tristitia generetur.

D INTERDUM tamen morbus tristitiæ generari solet ex præcedenti vitio iræ, aut ex concupiscentia lucri, quum quis viderit se privatum spe seu consecutione ha-

rum rerum, quam mente concepit. Quandoque etiam tanto mœrore repente deprimimur ex subtili instinctu diaboli, nullis exsistentibus causis quibus provocemur ad vitium istud, ut ne adventum carorum quidem ac necessariorum nostrorum valeamus solita affabilitate suscipere, et quidquid competenti sermocinatione protulerint, videatur nobis importunum atque superfluum; nulla quoque grata responsio reddatur eis a nobis, felle amaritudinis occupante universos angulos cordis nostri.

CAPITULUM V.

Quod commotiones et passiones excitentur in nobis vitio nostro, non aliorum; et quod nullus repentino corruat lapsu, sed paulatim per longam incuriam pereat.

UNDE manifestissime comprobatur stimulos passionum excitari in nobis, non semper vitio aliorum, sed potius et frequentius vitio proprio : quia habemus in nobis ipsis reconditas ac latentes causas offensionum ac seminaria vitiorum, quæ confestim prorumpunt in fructus ac germina mala, dum imber tentationum nostram irrigaverit mentem.

Nunquam enim compellitur quis peccare, alterius vitio impugnatus, si non habeat in corde suo repositam delictorum materiam. Nec quisquam credendus est tunc subito esse deceptus, dum visa specie mulieris corruerit in peccatum ac foveam concupiscentiæ turpis; sed potius est credendum morbos passionum occultos medullitusque latentes tunc fuisse productos in superficiem actus, occasione visus exterioris.

CAPITULUM VI.

Quod non sint deserenda fratrum consortia, ut perfectio acquiratur, sed patientia jugiter excolenda.

HINC creator omnium Deus agnoscens præ omnibus curationem creaturæ rationalis, quod item radices et causæ trans-
A gressionum consisterent non in aliis, sed in nobismetipsis : non præcepit deserenda esse fratrum consortia, nec vitari eos quos arbitramur læsos a nobis, vel a quibus putamus nos esse læsos; sed jubet eos
deliniri, sciens perfectionem cordis acqui- Luc. XXI,
ri magis virtute patientiæ, quam ab ho- 19.
minibus separatione. Quæ utique patientia
firmiter possessa, potest nos facere et con- Ps. CXIX, 7.
servare pacificos cum his qui oderunt pacem; si autem desit, facit nos jugiter discordare, etiam ab his qui meliores sunt
B nobis atque perfecti. In conversatione quippe humana deesse non poterunt occasiones commotionum, propter quas festinamus deserere eos inter quos conversamur. Ideo non evadimus, sed mutamus causas tristitiæ, propter quas ab aliis separamur.

Procurandum itaque nobis est, ut potius festinemus corrigere vitia nostra ac mores. Quæ si fuerint emendata, concordabimus procul dubio non cum hominibus tantum, sed cum feris quoque belluisque facillime, juxta illud in libro Job scri-
C ptum : Bestiæ terræ erunt tibi pacatæ. Job V, 23.
Denique non verebimur offendicula extrinsecus venientia, nec ulla scandala poterunt deforis nobis inferri, si radices eorum non fuerint intus in nobis ipsis
insitæ ac receptæ. Pax enim multa dili- Ps. CXVIII,
gentibus legem Dei, et non est illis scan- 165.
dalum.

CAPITULUM VII.

De alio genere tristitiæ, quod desperationem salutis inducit.
D

EST quoque aliud detestabilius genus tristitiæ, quod non parit correctionem vitæ ac morum, emendationemque vitiorum, sed perniciosissimam desperationem
generat delinquenti. Quod fecit Cain nec Gen. IV, 13.
post fratricidium pœnitere, nec Judam post Christi traditionem ad satisfactionis
remedia festinare, sed sua desperatione Matth.
pertraxit eum ad sui ipsius suspensionem XXVII, 5.
per laqueum.

CAPITULUM VIII.

Qualiter tristitia discernatur, et quæ sit tristitia diabolica atque mortifera.

TRISTITIA igitur tunc judicanda est esse utilis nobis, quum eam concipimus vel pœnitudine delictorum, vel desiderio perfectionis et de imperfectione nostra dolentes, vel contemplatione felicitatis futuræ, de ejus dilatione mœrentes, atque ad eam suspirantes. De qua ait beatus Apostolus : Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur. (II Cor. vii, 10.)

Porro tristitia ista obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis ac patiens, utpote ex Dei caritate descendens; semetipsam quoque indefesse extendens desiderio perfectionis ad omnem corporis afflictionem ac spiritus contritionem. Et quodammodo læta spe sui profectus, retinet suavitatem affabilitatis et longanimitatis, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus Sancti quos enumerat idem Apostolus : Fructus (inquiens) Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, benignitas, continentia. (Galat. v, 22, 23.) Hæc vero præfata inordinata tristitia asperrima est, impatiens, infructuosa, plena rancore et mœrore duro, et eum quem comprehendit, ab industria ac salutari dolore desperatione pœnali frangens ac revocans, utpote irrationabilis; nec solum efficaciam orationum impediens, verum etiam universos quos prædiximus spirituales fructus evacuans, quos bona tristitia confert.

A

CAPITULUM IX.

Quod omnis tristitia repellenda sit tanquam noxia, absque illa salutari tristitia, quæ tribus modis generatur.

OB hoc omnis tristitia repellenda est, tanquam tristitia sæculi et quæ inferat mortem, (II Cor. vii, 10.) atque de cordibus nostris penitus extrudenda sicut et spiritus fornicationis, et avaritiæ, sive iræ, absque illa tristitia quæ concipitur ex pœnitentia sa- B lutari, vel desiderio perfectionis, aut appetitu et contemplatione futuræ felicitatis.

CAPITULUM X.

Remedia contra tristitiam.

PERNICIOSISSIMAM ergo hanc tristitiæ passionem ita de nobis expellere possumus, si mentem nostram jugiter occupemus spirituali meditatione, futurorumque spe et repromissæ beatitudinis contempla- C tione, ad illa erigentes cor nostrum. Hoc etenim modo valebimus superare universa tristitiarum genera : sive quæ ex præcedenti ira descendunt, sive quæ veniunt ex lucri amissione, aut detrimenti seu damni illatione, vel quæ ex irrogata injuria generantur, sive quæ de irrationabili mentis confusione procedunt, sive quæ mortiferam desperationem nobis inducunt; quum scilicet intuitu rerum æternarum ac futurarum semper læti atque immobiles perdurantes, nec casibus adversis dejicimur, nec D prosperis elevamur, utraque contemplantes tanquam mox transeuntia et caduca.

LIBER X

DE SPIRITU ACEDIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod sextum certamen sit contra spiritum acediæ; et de ejus natura.

SEXTUM nobis certamen est contra vitium quod Græci ἀκηδίαν vocant, quod nos anxietatem seu tædium cordis possumus nuncupare. Denique acedia est affinis seu propinqua tristitiæ. Quæ acedia solitariis magis experta est, quæ etiam infestior hostis est ac frequens commorantibus in deserto, et monachum circa horam sextam maxime inquietans; atque ut febris quædam ingruens tempore præstituto, consuevit animæ ægrotanti inferre ardentissimos æstus inflammationum suarum horis solitis ac statutis. Denique quidam dicunt hanc esse dæmonem meridia-
Ps. xc, 6. num de quo in Psalmo legitur.

CAPITULUM II.

Expositio acediæ, et qualiter serpat in corde monachi, et quæ dispendia inferat ei.

QUUM miserabilem mentem acedia ista possederit, parit horrorem loci et cellæ fastidium, contemptum Fratrum secum aut remote manentium, tanquam negligenter viventium; desidem quoque facit et hebetem ad omne opus quod inter suum est habitaculum. Non eum sinit residere in cella, nec lectioni vacare, nec permittit eum ullo modo proficere. Crebro ingemiscit se in eadem cella tamdiu morari, conqueritur quoque suspirans, ac dicens se nullum spiritualem fructum ha-
A bere, quousque fuerit alii copulatus consortio; dolet se in loco suo consistere vacuum atque ab omni spirituali lucro inanem, utpote qui posset etiam alios regere plurimisque prodesse, et tamen nullum ædificavit, nec quemquam sua institutione ac doctrina lucratus est. Hinc magnificat monasteria absentia longeque posita, et imaginatur ea ad proficiendum utiliora ac congruentiora saluti, consortia quoque Fratrum ibidem suavia et spirituali conversatione repleta; econtrario om-
B nia quæ habentur in manibus aspera esse, nec solum nullam esse ædificationem in Fratribus qui secum morantur, sed etiam nec victum posse ibi sine ingenti labore haberi. Postremo conqueritur non se posse salvari in eodem loco morantem, nisi relicta cella, cum qua simul peribit si in ea diutius manserit, celeriter se exinde transtulerit. Insuper hora quinta et sexta tantam ei suscitat lassitudinem corporis atque esuriem, ut quasi confectus videatur ac lassus longo itinere gravissimoque la-
C bore, aut quasi infra duos aut tres dies nil prorsus comederit. Præterea huc illucque anxius circumspectat, et neminem ad se venire suspirat; sæpiusque ingreditur et egreditur cellam, et sæpius adspicit solem tanquam ad occasum tardius properantem; sicque impletur quadam irrationabili mentis confusione, tanquam tetra caligine. Ab omni quoque actu spirituali fit otiosus ac vacuus, ut in nulla re putet se posse suæ impugnationis invenire remedium, sed tantum solatio somni, aut
D alicujus se visitantis.

Deinde acedia ista suggerit velut hone-

stas ac necessarias salutationes aliis exhibendas, visitationesque infirmorum vel aliorum eminus seu longius positorum. Quædam etiam pia ac religiosa excogitat officia illis aut illis parentibus deberi impendi, atque ad eos salvandos crebrius festinare; magnum quoque opus pietatis esse frequenter invisere illam religiosam devotamque famulam, præsertim omni parentum subsidio destitutam : imo sanctissimum esse procurare eidem, si quid ei necessarium sit, quæ a propriis parentibus ita negligitur atque despicitur; magisque oportere in his pietatis opera exercere, quam infructuose et absque omni profectu in cellula residere.

CAPITULUM III.

Quibus modis acedia superet monachum.

MISERA itaque anima talibus inimicorum machinis impedita a spirituali profectu, undique agitatur, donec fatigata acediæ spiritu tanquam ariete validissimo, discat in somnum corruere, aut excussa e cellula sua, assuescat consolationem suæ impugnationis acquirere Fratrum visitatione; atque ad præsens utitur isto remedio, paulo post acrius expugnanda ac infirmanda. Adversarius namque de cetero tentabit frequentius ac durius eum, quem scit inito prælio præbiturum mox tergum, qui et elegit sibi sperare salutem ex fuga, non de victoria aut conflictu : donec paulatim tractus de cella, incipiat oblivisci actus suæ professionis, qui non sunt aliud quam intuitus et contemplatio divinæ et increatæ puritatis omnia transcendentis (quæ contemplatio non potest alibi obtineri nisi in silentio ac jugi permansione in cella et meditatione); sicque miles Christi effectus desertor suæ militiæ spiritualis ac fugitivus ab ea, implicet se negotiis sæcularibus, minime placiturus Deo, cui se obtulit ac probavit. (*II Tim.* II, 4.)

CAPITULUM IV.

Quod acedia mentem excæcet, et impediat ab omni contemplatione virtutum.

UNIVERSA incommoda ægritudinis hujus, puta acediæ, eleganter expressit Propheta uno versiculo, dicens : Dormitavit anima mea præ tædio, id est præ acedia. (*Ps.* CXVIII, 28.) Satisque proprie dixit dormitasse animam suam, non corpus. Vere enim dormitabit anima ab omni contemplatione virtutum atque intuitu spiritualium sensuum, quæ telo acediæ fuerit sauciata.

CAPITULUM V.

Quod duplex sit acediæ impugnatio; et qualiter dilabantur ii qui ab acedia cœperint vinci.

HIC itaque verus Christi athleta cupiens agonem perfectionis legitime decertare, morbum quoque acediæ festinet extrudere de latibulis animæ suæ, atque adversus nequissimum pigritiæ spiritum pugnet sic utrobique, ut nec somni gravamine victus labatur, neque monasterium suum sine rationabili causa egressus, abscedat fugitivus, quamvis sub prætextu pii coloris.

Quemcumque enim acedia cœperit in parte quacumque superare, faciet in cella sine ullo fructu spiritus commorari tanquam inertem et desidiosum, aut inde eum excutiet, et vagum atque instabilem reddet, desidem quoque ad omne monasticum opus; faciens eum jugiter circuire cellas ac monasteria Fratrum, nihilque aliud procurare quam ubi et quo colore refectionem acquirat. Mens etenim otiosi nil aliud novit excogitare quam de cibis ac ventre : donec tandem invento consortio viri aut feminæ eodem modo torpentis, involvatur et occupetur rebus necessitatibusque illius ; et ita paulatim noxiis occupationibus irretitus, et eis tanquam serpentinis sagittis transfixus, nun-

quam deinceps se valeat expedire et aptare ad perfectionem professionis antiquæ.

CAPITULUM VI.

Testimonia Apostoli contra passionem acediæ.

BEATUS Paulus, tanquam verus spiritualisque medicus, conspiciens hunc morbum de acediæ spiritu emanantem suo tempore serpere et intrare, vel revelante Spiritu Sancto prospiciens eventurum, festinavit eum per salutaria præceptorum suorum medicamina prævenire. Thessalonicensibus enim scribens, et primo infirmitatem eorum tanquam peritissimus perfectusque medicus per verba blanda ac pia demulcens, atque de caritate incipiens, et illos de ea collaudans, quousque letale vulnus acediæ leniori remedio delinitum et attrectatum, facilius sustineat medicamina austeriora, indignatione tumoris deposita, ita ait : *De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis; ipsi enim a Deo edocti estis ut diligatis invicem : etenim facitis illud in omnes fratres in universa Macedonia.* (I Thess. IV, 9. 10.) Ecce præmisit lenia laudis fomenta, per quæ fecit aures illorum placidas ac paratas ad curam verbi salubris. Quo facto subjungit, *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis,* (Ibid. 10.) adhuc eos demulcens blanda lenitate verborum, ne forte inveniat eos nondum dispositos ad susceptionem curationis perfectæ.

Quid est quod rogas, Apostole, ut scilicet magis abundent in caritate, de qua superius dixeras : « De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis » ? Et quid necesse est ut dicas eis, « Rogamus autem vos ut abundetis magis », qui nondum indigent ut aliquid eis inde scribatur ? præsertim quum causam adjicias ob quam hoc ipso non indigeant, dicens : « Ipsi enim a Deo edocti estis ut diligatis invicem ». Tertium quoque addis quod majus est, utpote quod non solum A ita edocti sint, sed etiam illud impleverint, dicens : « Etenim facitis illud », non in uno vel duobus, sed « in omnes fratres », nec tantum in vestros cives ac notos, sed « in universa Macedonia ». Dic igitur tandem, quid est quod tantopere hæc præmittis : Rogamus itaque vos, fratres, ut abundetis magis ? Et vix aliquando exprimit id quod intendebat, utpote :

Et operam detis ut quieti sitis. (I Thess. IV, 11.) Sicque causa prima cur illa præmisit expressa, tangit secundam, dicendo : *Et ut vestra* B *negotia agatis.* (Ibidem.) Subditque tertiam : *Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis;* (Ibidem.) deinde et quartam : *Et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt;* (Ibidem.) quintam quoque : *Et nullius aliquid desideretis.* (Ibidem.) Ecce, illa cunctatio seu mora qua differebat intentum exprimere præmittendo tam multa, quid parturiret in pectore ejus, agnoscitur. « Operam » (inquit) « detis ut quieti sitis », id est, in vestris cellulis permanentes, ne inquieti effecti diversis rumoribus qui generari solent otiosorum C peccatis aut fabulis, inferatis inquietudinem etiam aliis. « Et ut vestra negotia agatis », id est, non vana curiositate inquiratis facta mundi, nec aliorum conversationem exploretis, nec actiones vestras impendatis ad detractiones et temeraria judicia fratrum, sed ad propriam correctionem exercitiumque virtutum. « Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. » Per quæ verba insinuat cur seu ex qua radice fierent, quæ non fieri ante admonuit, scilicet, ne inquieti essent, vel D aliena curarent negotia, vel inhoneste ambularent ad eos qui foris sunt, ne quid ad alios pertinens affectarent. Unde evidenter edocuit otium esse causam vitiorum illorum. Nullus enim potest inquietus esse aut curare aliena negotia, nisi qui non vult operi manuum suarum insistere. Quartum quoque intulit morbum ex otio prodeuntem, qui est inhoneste ambulare, dicendo : « Et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt ». Nunquam enim potest honeste incedere monachus, etiam

apud homines sæculares, qui non satagit A in cella manere ac manibus operari; sed necesse est eum inhonestum consistere, dum necessaria victus requirit, adulationi quoque vacare ac novitates sectari rumorum, sed et occasiones quærere causarum ac fabularum, per quas facultatem ac aditum habeat accedendi ad alios. « Et nullius aliquid desideretis. » Non enim potest non inhiare alienis donis atque muneribus, qui non curat sibi procurare victum quotidianum proprio ac quieto sui operis labore. Vides tot culpas, tam graves ac B turpes ex otio generari.

Denique hos ipsos Thessalonicenses quos Apostolus in prima ad eos epistola foverat blandis verbis, aggreditur in secunda epistola curare austerioribus medicamentis, velut eos qui ex levioribus medelis non profecerunt. Nulla enim jam mitium verborum fomenta præmittit, nec blanda ac tenera utitur voce ut ante, dicendo : Rogamus vos, fratres, etc.; sed ait : *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab* C *omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.* (II *Thess.* III, 6.) Ibi rogat, hic denuntiat; in illa blandientis affectus, in hac severitas obtestantis et comminantis : « Denuntiamus vobis, fratres ». Quasi dicat : Quoniam sprevistis prius audire verba rogantis, saltem nunc obedite verbis denuntiantis. Ipsam quoque denuntiationem proponit non verbo nudo, sed terribiliter cum obtestatione Domini nostri Jesu Christi, ne forsan rursus contemnerent simplicem, tan- D quam humana voce prolatam, et æstimarent eam non magnopere observandam. Statimque ut peritissimus medicus, conatur mederi putridis membris ferri spiritualis incisione, quibus leniori medicamento remedium conferre nequivit : « Ut subtrahatis vos » (inquiens) « ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis ». Itaque jubet subtrahi seu recedere ab his qui vacare operi nolunt, et eos desecari tanquam membra otii putredine corrupta, ne morbus inertiæ tantus quasi mortale contagium inficiat etiam sana membra contagione serpentina.

Præterea dicturus Apostolus de his qui nolunt suis manibus operari, suumque panem cum silentio manducare, a quibus etiam præcepit discedere : attendite qualibus eos vituperiis in principio notet. In primis enim dicit eos esse inordinatos, neque secundum suam ambulare doctrinam : quos et aliis verbis designat esse contumaces, utpote qui juxta suam traditionem nollent incedere; et etiam inhonestos et inordinatos, id est, non sectantes congruam opportunitatem processionis, visitationis, locutionis ac temporis. Omnibus namque vitiis istis inordinatum subjacere oportet. Notat item eos esse rebelles quodammodo et contemptores, quum ait, Et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis : eo quod aspernati sint tenere traditionem ab ipso acceptam, nec imitari voluerint quod sciverunt tantum magistrum non solum verbo docuisse, sed et opere perfecisse. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos.* (II *Thess.* III, 7.) Per hoc exaggerat cumulum reprehensionis immanem, quum asserit eos non observare quod et memoriter sciunt, et ad imitandum didicerunt non solum verbo instruente, sed insuper acceperunt exemplo operum provocante.

CAPITULUM VII.

Quod necesse sit eum esse inquietum, qui opere manuum suarum non vult esse contentus.

Ait quoque Apostolus : *Quia non inquieti fuimus inter vos.* (*Ibidem.*) Quum per exercitium operis vult probare se non fuisse inquietum inter eos, abundanter insinuat eos qui operari non volunt, semper ex vitio otiositatis inquietos consistere. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo.* (*Ibid.* 8.) En per singula verba facit increpationis augmentum : et ecce Doctor gen-

tium, Evangelii prædicator, dicit se non A gratis panem ab aliquo manducasse, qui I Cor. IX, 14. novit Dominum admisisse ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant; et I Tim. V, 18. rursus, Dignus est, inquit, operarius mercede sua. Quum igitur Paulus, qui Evangelium prædicabat, tam sublime ac spirituale opus exercens, non sibi præsumeret cibum accipere gratis auctoritate divini sermonis, quid nos faciemus, quibus non solum nulla prædicatio verbi commissa est, sed nec ulla cura mandatur, nisi tantum animæ nostræ? Qua fiducia audebi- B mus panem comedere gratis manibus otiosis, quem vas electionis Paulus, evangelica sollicitudine et prædicatione undique occupatus, non præsumit comedere sine ma- II Thess. III, 8. nuum opere? *Sed in labore,* inquit, *et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Denique adhuc addit, castigationis suæ augmenta exaggerans. Non enim simpliciter dixit, Non comedimus gratis panem ab aliquo vestrum, et ibi stetit, nihil addendo (poterat namque quis æstimare eum fuisse sustentatum C sumptu otioso ac proprio, absconditaque pecunia, aut collatione sive muneribus aliorum, quanquam non istorum); « Sed in labore » (inquit) « et fatigatione, nocte et die operantes », id est nostro opere sustentati. Et hoc, ait, egimus non pro nostra voluntate, non pro delectatione, prout allicit requies aut exercitium corporis, sed sicut cogebat necessitas atque inopia victus, non sine grandi lassitudine carnis. Quoniam opus hoc manuum indesinenter agebat pro necessario victu, non solum per to- D tum diem, sed etiam tempore noctis, quod quieti corporis videbatur esse indultum.

CAPITULUM VIII.

Quod non solum Apostolus, sed etiam ii qui cum illo erant, operati sint manibus suis.

NEC tamen se solum testatur inter eos taliter conversatum, ne forsan hæc forma operandi videretur esse non generalis et magna, si traderetur tantum exemplo ipsius; sed etiam omnes qui erant secum ad ministerium seu prædicationem Evangelii deputati, videlicet Silvanum ac Timotheum, qui hæc eadem secum scri- II Thess. I, 1. bunt, asserit simili opere laborasse. In hoc quoque quod dixit, Ne quem vestrum gra- Ibid. III, 8. varemus, incutit eis verecundiam magnam. Si enim ille qui Evangelium prædicabat, et signis atque virtutibus id confirmavit, non audet gratis comedere panem, ne aliquem gravet : quomodo illi æstimant se alios non gravare, qui vagantes et otiosi præsumunt eum quotidie sumere?

CAPITULUM IX.

Quod Apostolus ideo operatus sit manibus suis, ut præberet nobis operandi exemplum.

PRÆTEREA ait : *Non quasi non habu-* Ibid. 9. *erimus potestatem, sed ut nos ipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Hic pandit causam cur sibi indixerit tantum laborem : « Ut » (inquit) « formam daremus vobis ad imitandum nos » : ut si forte oblivioni traderetis doctrinam verborum auribus vestris frequenter ingestam, memoriter retineretis saltem conversationis exempla sub oculorum certitudine vobis exhibita. Et in hoc est reprehensio eorum non parva, quum dicit se fecisse laborem hunc usque ad fatigationem die ac nocte, nulla alia causa quam exempli eorum gratia, ut eos aliter erudiri nolle innueret, propter quos sibi tantam fatigationem indixit, quum non indigeret. Tanquam dicat : Quum haberemus potestatem, et facultates atque substantiæ omnium vestrum nobis paratæ essent, et sciremus nos habere permissionem Domini nostri utendi eisdem; non tamen sum usus hac potestate, ne quod a me fieret bene ac licite, præberet aliis otii pravi exemplum : idcirco Evangelium prædicans, malui sustentari manuum mearum operibus, ut viam perfectionis aperirem vobis iter virtu-

tum ambulare volentibus, et meo labore ostenderem formam vivendi.

CAPITULUM X.

Quod non solum exemplo, sed etiam prædicatione seu verbo monuerit operari.

SED ne forte tacitus operans, et erudire eos exemplis volens, videretur illos non instruxisse etiam monitis præceptorum, adjecit : *Nam et quum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* (II Thess. III, 10.) Ubi adhuc illorum desidiam notat qui scientes eum tanquam bonum magistrum suis manibus operatum gratia documenti et institutionis intuitu, sequi eumdem contemnunt. Denique diligentiam et cautionem suam exaggerat, dicens non tantum se præsentem tradidisse eis exemplum, sed etiam idem verbis jugiter prædicasse, utpote : « si quis non vult operari, nec manducet ».

CAPITULUM XI.

De hoc quod dicit : Qui non vult operari, non manducet.

NON jam utitur ad eos consilio medici vel doctoris, sed districtione judiciariæ potestatis in eos invehitur, atque apostolica auctoritate resumpta, profert sententiam quasi de tribunali in contemptores. Illa utique potestate resumpta quam asseruit sibi datam a Domino, scribens cum imprecatione seu interminatione Corinthiis, quum illos in delicto positos admoneret ut ante suum adventum festinarent corrigere semetipsos : Rogo vos, (II Cor. X, 2.) inquiens, ne præsens compellar audere in quosdam potestate illa quæ data est mihi in vobis; et iterum, Si voluero gloriari (Ibid. 8.) de potestate quam dedit mihi Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam. Illa, inquam, potestate pronuntiat, Si quis non vult operari, nec manducet : (II Thess. III, 10.) non materiali gladio eos adjudicans, sed auctoritate Spiritus Sancti prohibens eis substantiam vitæ : ut si forte non formidantes pœnam damnationis futuræ, velint adhuc exsistere contumaces otiositatis amore, cogerentur salutaria præcepta suscipere saltem constricti naturali necessitate, ac mortis præsentis formidine.

CAPITULUM XII.

De eo quod dicit : Audivimus quosdam ambulantes inquiete.

POST tantum ergo evangelicæ districtionis rigorem jam ante descriptum, nunc aperit causam cur omnia illa præmiserit : *Audivimus* (inquiens) *quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.* (II Thess. III, 11.) Ubi eos qui operari non volunt, pronuntiat non uno tantum vitio esse corruptos. In prima* (* eadem) quippe ad Thessalonicenses epistola eos appellat inordinatos, (Ibid. 6.) nec ambulare secundum traditionem quam eis commisit servandam; dixerat quoque eos esse inquietos, (Ibid. 7, 8.) et panem comedere gratis. Nunc vero ait de eis : « Audivimus quosdam inter vos ambulare inquiete »; et statim subjungit morbum vitiumve secundum, qui inquietudinis hujus est radix, dicendo : « nihil operantes ». Tertium quoque peccatum, quod ex eo instar ramusculi oritur, pandit subdendo : « sed curiose agentes ».

CAPITULUM XIII.

Quod operatio manuum amputet vitia multa.

ITAQUE nunc festinat congruam conferre medelam tantorum fomiti vitiorum, videlicet otio, et quasi deposita illa auctoritate apostolica qua usus fuerat ante, rursus revertitur ad viscera pii patris medicique clementis, et eis tanquam filiis ac discipulis suis proponit remedia sanitatis salubri consilio, dicens : *His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecra-* (Ibid. 12.)

mus in Domino Jesu, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Sicque ut peritissimus medicorum, curavit uno salutari præcepto operandi, vitia tanta de radice otiositatis nascentia : sciens ceteras infirmitates seu culpas ex eadem radice manantes, protinus exstinguendas, exstirpata morbi principalis origine, utpote otiositate.

CAPITULUM XIV.

De humanitate etiam otiosis et negligentibus impendenda.

NIHILO minus tamen idem Apostolus, tanquam perspicacissimus ac providus medicus, non solum cupit mederi infirmorum peccatis, sed sanis quoque congruentia commendat præcepta, quibus eorum integritas possit jugiter custodiri, dicendo : *Vos autem nolite deficere benefacientes :* id est, qui sectando vias nostras, operis imitatione impletis exempla quæ vobis tradidimus, et nequaquam sectamini otiosorum desidiam atque inertiam, « nolite deficere benefacientes », id est, pietatem vestram illis impendite, quamvis neglexerint observare quæ diximus. Quemadmodum ergo corripuit eos qui erant infirmi, ne otio dissoluti, curiositati inquietudinique vacarent, sic admonet sanos de observanda humanitate, quam ex Dei præcepto exhibere jubemur bonis ac malis : si forte pravi aliqui converti noluerint ad sanam doctrinam, non abscindant pietatem ab ipsis, sed benefacere illis et eos fovere non desinant, tam verbo consolationis et correptionis, quam solitis beneficiis et consueta humanitate.

II Thess. III, 13.

CAPITULUM XV.

Quod eos qui delinquunt debeamus corripere, non ex odio, sed dilectione.

RURSUS tamen, ne quidam abutentes pietate ejus præfata, contemnant obedire præceptis ejus, apostolica severitate

A subjungit : *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum illo, ut confundatur.* II Thess. III, 14. Quumque propter communem utilitatem et debitam sui ipsius reverentiam admonuisset discipulos suos quid debeant observare, et cum quanta diligentia debeant sua custodire præcepta, confestim ostendit pietatem indulgentissimi patris, et tanquam filios erudit eos quem fraternitatis affectum debeant retinere ex caritate circa prædictos inobedientes aut otiosos, adjiciendo : *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Ibid. 15. Quibus verbis judiciariæ severitati admiscuit lenitatem, paternitatem, atque sententiam apostolica severitate prolatam temperavit mititate clementi. Nam et notari jubet eum qui contempserit suis obedire præceptis, et præcipit non commisceri cum illo : et tamen quod fieri ista mandaverit non odio, sed fraternæ dilectionis ac emendationis intuitu, pandit addendo, « ut confundatur », ut scilicet is qui non est emendatus mitibus meis præceptis, saltem confusus ex publica fratrum segregatione ab ipso, incipiat tandem revocari ad viam salutis.

B

C

CAPITULUM XVI.

De diversis testimoniis quibus Apostolus præcipit operari, et quibus ipse probatur esse operatus.

IN epistola quoque ad Ephesios de hoc ipso opere ita præcepit : *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Ephes. IV, 28. In Actibus quoque Apostolorum similiter invenimus eum non tantum hæc eadem docuisse, sed et opere perfecisse. Nam quum venisset Corinthum, non acquievit hospitari nisi apud Aquilam et Priscillam, quia erant ejusdem artis quam solebat exercere et ipse. Sic etenim habes : *Post hæc* Paulus *egressus ab Athe-* Act. XVIII, 1-3.

D

nis, venit Corinthum; et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, et Priscillam uxorem ejus, accessit ad eos, eo quod ejusdem essent artis, et manebat cum eis, et operabatur. Erant enim scenofactoriæ artis.

CAPITULUM XVII.

Quod tantum operatus sit Apostolus, quod non suffecerit ei dumtaxat, sed exsistentibus secum; et quomodo intelligendum sit illud: Beatius est magis dare quam accipere; atque exemplum de eo qui laborantes extraxit de monasterio.

DEINDE Paulus procedens Miletum, atque ab eo loco Ephesum mittens, et presbyteros Ephesiorum vocans ad se, et ipsis præcipiens qualiter se absente deberent Dei Ecclesiam regere, ait (Act. xx, 33-35.): *Argentum et aurum nullius concupivi, ipsi scitis; quoniam ad omnia ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quia sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini nostri Jesu Christi, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere.* Magnum et arduum nobis reliquit exemplum suæ conversationis, quum testatur se esse operatum non solum quantum necessarium fuit sustentationi corporis sui, sed etiam quod sufficere potuit usui eorum qui secum erant, his scilicet qui necessariis ministeriis spiritualibus quotidie occupati, non poterant sibi ipsis acquirere necessaria victui manibus suis. Denique sicut D ad Thessalonicenses (II Thess. III, 9.) dixit se operatum, ut illis daret formam ad imitandum se, ita et hic tale quid addidit (Act. xx, 35.): « Omnia » (inquiens) « ostendi vobis, quia sic laborantes, oportet suscipere infirmos », id est mente vel corpore debiles, ut eos festinemus reficere potius nostro labore, ac sumptu acquisito nostri operis sudore, et non de opulentia nostra, neque de pecunia reposita, sed nec de aliorum largitate sive substantia.

A Et hoc ipsum dicit esse Christi mandatum, « quoniam ipse » Dominus Jesus (Act. xx, 35.) « dixit, Beatius est magis dare quam accipere », hoc est, beatior est largitas impertientis seu dantis, quam penuria accipientis: quæ largitas impenditur non de pecunia per infidelitatem aut diffidentiam reservata, nec de reconditis avaritiæ thesauris, sed exhibetur de proprii operis fructu ac pio sudore. Et ideo beatius est magis dare quam accipere, quia quum iste qui tribuit, habeat paupertatem illius qui B accipit, festinat proprio labore ac pia sollicitudine procurare non solum sufficientiam suæ necessitatis, verum etiam quod præstet egentibus: utpote duplici gratia decoratus, quia perfectam Christi paupertatem possidet abjectione universarum rerum suarum, et liberalitatem divitis exhibet ex effectu sui laboris; sicque Deum honorat (Prov. III, 9, juxta LXX.) de justis suis laboribus, offerens ei de fructibus suæ justitiæ. Ille vero, puta accipiens, resolutus torpore atque inertia otii, ostendit se etiam indignum cibo pa- C nis quo vescitur, ex Pauli sententia (II Thess. III, 10.), contra cujus prohibitionem otiosus exsistens manducare præsumit, non sine reatu peccati.

Novimus Fratrem (quem nominatim exprimeremus, si ex hoc major nasceretur instructio) qui quum in monasterio habitaret, et ex commissione sibi facta compelleretur præfixum atque injunctum sibi opus quotidie adimplere, et œconomo seu dispensatori id tradere, vidissetque aliquem Fratrem intrasse cœnobium, qui ardore fidei vellet aliquid ultra injunctum opus laborare: persuadebat ei pravis consiliis ac susurrationibus, ut a claustro recederet, quando non poterat eum occultis susurrationibus revocare ab intentione laborandi tam fortiter, ne confunderetur exemplo illius, vel ne plus laborare ex hoc cogeretur. Denique, ut Fratrem talem faceret facilius a cœnobio transmigrare, confinxit se quoque jam olim offensum ex multis causis, velle a cella discedere, si habuisset solatium viæ aut socium.

Quumque occultis instigationibus eum inA duxisset ad exeundum, præfigens ei horam qua exiret, aut locum ubi præveniens exspectaret, ipse in monasterio substitit, tanquam illum protinus secuturus. Et dum ille ex verecundia sui recessus non auderet ad monasterium, de quo aufugit, redire, infelix auctor fugæ illius in monasterio mansit. Hoc unum exemplum sufficiat posuisse de genere hujusmodi hominum pro incipientium cautione : quo pateat [Eccli. XXXIII, 29.] evidenter quanta mala pariat otiositas, juxta Scripturas, vel quæ vitia in mente mo- [I Cor. XV, 33.] nachi gignat; vel quemadmodum prava colloquia bonos mores corrumpant.

CAPITULUM XVIII.

De diversis testimoniis Salomonis contra acediam.

QUOD otii vitium etiam sapientissimus Salomon evidentissime notat in mul- [Prov. XXVIII, 19.] tis locis, dicendo, *Qui sectatur otium, replebitur paupertate,* puta visibili, aut invisibili, quia necesse est omnem otiosum diversis vitiis implicari, et alienum semper exsistere a contemplatione divina spiritualibusque divitiis, de quibus ait beatus [I Cor. I, 5.] Apostolus : Quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia.

Porro de hac otii paupertate alibi quo- [Prov. XXIII, 21, juxta LXX.] que sic scriptum est : *Et vestietur conscissa veste et pannosa omnis somniculosus.* Nam absque dubio non merebitur adornari illo incorruptionis vestimento de [Rom. XIII, 14.] quo jubet Apostolus : Induite Dominum [I Thess. V, 8.] Jesum Christum; et iterum, Induti lorica justitiæ et caritatis. De quo etiam Dominus ad Jerusalem loquitur per Prophe- [Is. LII, 1.] tam : Exsurge, exsurge, Jerusalem, induere vestimentis gloriæ tuæ. Quicumque enim superatus somno otii sive acediæ, elegerit operiri non labore suæ industriæ, sed pannis seu vitiis suæ inertiæ, quos abscidit de plenitudine ac corpore Scripturarum, coaptabit ignominiæ suæ non vestimentum gloriæ ac decoris, sed ignominiosum excusationis velamen. Dissoluti vero segnitie ista, et sustentari renuentes manuum opere, quod Apostolus indesinenter exercuit et nobis exercere præcepit, solent uti quibusdam testimoniis Scripturarum, quibus apponant suæ inertiæ quoddam velamen, dicentes scriptum esse : Operamini [Joann. VI, 27.] non cibum qui perit, sed eum qui permanet in vitam æternam; et, Meus cibus est [Ibid. IV, 34.] ut faciam voluntatem Patris mei. Sed testimonia ista sunt panni de soliditate evan-
B gelicæ lectionis abscissi, qui ad hoc assumuntur, ut potius tegant ignominiam otiositatis et verecundiæ nostræ, quam ut calefaciant atque exornent nos pretiosa ac perfecta illa veste virtutum, quam sapiens illa mulier fortitudine ac decore induta, describitur in Proverbiis fecisse vel sibi, vel viro suo. De qua et ibi subjungitur : Fortitudine et decore induta est, et [Prov. XXXI, 25, juxta LXX.] lætata est in diebus novissimis.

Insuper de hoc inertiæ morbo Salomon ait : *Viæ nihil operantium stratæ sunt* [Ibid. XV, 19, juxta LXX.]
C *spinis,* id est illis ac consimilibus vitiis quæ Apostolus supra jam dixit de otio nasci. Et iterum Salomon : *In desideriis,* [Ibid. XXI, 25, juxta LXX.] inquit, *est omnis otiosus.* De quibus dixit Apostolus : Nullius aliquid desideretis. Et [I Thess. IV, 11.] iterum : *Multa mala docuit otiositas.* Quæ [Eccli. XXXIII, 29.] Apostolus evidenter enumerat in his quæ supra exposuimus, dicens : Nihil operan- [II Thess. III, 11.] tes, sed curiose agentes. Huic quoque vitio subjunxit et illud : Operam detis ut quieti [I Thess. IV, 11.] sitis; et deinde, Ut vestra negotia agatis, et honeste ambuletis ad eos qui foris sunt,
D et nullius aliquid desideretis. Quos etiam inordinatos ac rebelles vocavit, præcipiens studiosis quibusque ut segregent se ab illis : Subtrahatis vos, inquiens, ab omni [II Thess. III, 6.] fratre ambulante inordinate et inquiete, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.

CAPITULUM XIX.

Quod Fratres in Ægypto suis manibus operentur, ut non solum satisfaciant neces-

sitatibus suis, sed etiam incarceratis ministrent.

HIS itaque exemplis Patres in Ægypto edocti, nullo modo patiuntur monachos, et maxime juvenes, esse otiosos : metientes et intendentes in hoc exercitium cordis, et patientiæ ac humilitatis profectum, magis quam operis sedulitatem. Nec solum renuunt accipere aliquid pro sua sustentatione, imo etiam de laboribus suis reficiunt Fratres, non solum sibi supervenientes ac peregrinos, sed etiam per Libyæ loca quæ sterilitate et fame laborant. Maximam quoque alimoniæ substantiam mittunt per civitates his qui in carceribus detinentur squalentes : credentes se Deo offerre sacrificium verum ac rationabile tali oblatione.

CAPITULUM XX.

Quod otii causa fiant in partibus occidentis pauciora cœnobia.

HINC est quod in regionibus istis nulla videmus monasteria tanta Fratrum multitudine ac celebritate fundata, quia nec operum suorum fructibus fulciuntur ac sustentantur, ut possint in eis jugiter perdurare. Et quamvis ab aliis provideatur ac detur eis sufficienter, delectatio tamen otiositatis et evagatio cordis non patitur eos in loco suo diutius perseverare. Unde hæc est sententia ab antiquissimis Patribus in Ægypto prolata : quod monachus operans tentatur a dæmone uno, otiosus vero ab innumerabilibus devastatur dæmonibus.

CAPITULUM XXI.

De abbate Paulo, qui omni anno opera manuum suarum combussit.

DENIQUE abbas Paulus probatissimus Patrum, qui in eremo vastiori nomine Porphyrione habitavit, et ibi sufficientiam
A sui victus habuit secure ex parvo horto fructibusque palmarum, nec potuit ibi exercere aliud opus unde sustentaretur, quoniam habitatio sua distabat septem mansionibus vel plus ab oppidis ac habitabili terra, plus quoque exigebatur pro mercede vecturæ, quam valuit pretium operis; indixit sibi ipsi opus certum quotidianum assidue, quasi sustentandus ex illo, quod ex collectis palmarum foliis fecit. Quumque spelunca ejus fuisset repleta ex totius anni operibus, concremavit
B omnia singulis annis : tam evidenter ostendens monachum non posse perdurare in loco nec ad perfectionem pertingere sine manuum opere. Quia quum eum operari nulla necessitas victus exigeret, tam indesinenter tamen laboravit pro sola cordis purgatione, et cogitationum suarum solidatione ac perseverantia cellæ, aut pro victoria aut expugnatione acediæ.

CAPITULUM XXII.

C

Verba abbatis Moysis de remedio acediæ.

QUUM in eremo habitare cœpissem, et dixissem abbati Moysi sanctorum omnium summo, Ecce hesterno die gravissime fui afflictus morbo acediæ, nec potui liberari ab ea nisi ad abbatem Paulum protinus cucurrissem; ipse respondit: Non te liberasti ab ea, sed potius præbuisti te ei deditum ac subjectum. Adversarius namque deinceps te gravius impugna-
D bit tanquam desertorem atque fugitivum, quem de conflictu seu tentatione superatum vidit protinus aufugisse : nisi de cetero didiceris, inito prælio, contra hujusmodi tentationem triumphare; non cellæ egressione, aut somni torpore studueris ad horam evaporare, sed tolerantia et conflictu vincere, ingruentes acediæ æstus. Unde experimento probatum est, impugnationem acediæ non fugiendo declinandam, sed resistendo, orando, psallendo, meditando laborandoque superandam.

LIBER XI

DE SPIRITU CENODOXIÆ SEU VANÆ GLORIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod septimum certamen sit nobis contra cenodoxiam seu gloriam vanam; et de natura ipsius.

SEPTIMUM nobis certamen est contra cenodoxiæ spiritum, quam nos possumus vanam gloriam appellare. Quæ est multiformis, varia ac subtilis, ita ut a perspicacissimis oculis vix possit, non dicam caveri, sed prævideri aut deprehendi.

CAPITULUM II.

Quod cenodoxia pulset monachum non solum in parte carnali, sed etiam spirituali.

NAM vana gloria non solum pulsat monachum in parte carnali seu sensitiva, ut cetera vitia, sed etiam spirituali, ingerens se menti nequitia subtiliori, ita quod hi qui superari non poterant peccatis carnalibus, acrius vulnerentur per vanam gloriam ex spiritualibus suis profectibus ortam. Unde tanto est perniciosior et periculosior ad pugnandum cum ea, quanto obscurior ad cavendum. Omnium namque vitiorum manifestior ac apertior est congressus sive tentatio, et in unoquoque eorum tentator contradictione rigida confutatus, abscedet factus infirmior atque inertior, adversariusque dejectus victorem suum deinceps impotentior attentabit. Porro spiritus vanæ gloriæ quum de peccato * carnali tentaverit hominem, et fuerit resistentiæ scuto repulsus, mox tanquam bestia multiformis, priori persona habituque mutatis, conatur sub virtu- A tum specie victorem suum jugulare atque confodere.

* elatione

CAPITULUM III.

Quod cenodoxia sit multiplex et multiformis.

CETERA autem vitia seu passiones noscuntur esse uniformes ac simplices. Porro vana gloria multiplex, varia ac multiformis exsistens, undique et ex omni B parte suo occurrit victori ac bellatori. Nam militem Christi vulnerare conatur in habitu et in forma, in incessu, opere, voce, vigiliis, jejuniis, oratione, abstractione, lectione, scientia, taciturnitate, obedientia, humilitate, et longanimitate; et velut quidam perniciosissimus scopulus tumentibus undis opertus, inducit navigantes prospero vento in miserabile improvisumque naufragium, dum non cavetur nec prævidetur.

C

CAPITULUM IV.

Quod vana gloria impugnet monachum a dextris et sinistris; et qua comparatione noscatur ejus natura.

VOLENTEM ergo via regia incedere per arma justitiæ quæ sunt a dextris et a sinistris, oportet, juxta doctrinam Pauli, transire per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, et viam virtutis dirigere tanta cautione inter tumen- D tes fluctus tentationum, gubernante discretione et flante nobis Spiritu Sancto, ut sciamus nos perniciosissimis scopulis con-

II Cor. vi, 7, 8.

fringendos, si paululum deflectamus ad dextram sive sinistram. Ideo sapientissimus Salomon ait, Ne declines ad dextram vel ad sinistram : id est, non tibi de tuis virtutibus blandiaris, ne prosperis successibus spiritualibus extollaris; nec deflectaris ad sinistram, id est ad tramitem vitiorum, ne juxta Apostolum, acquiras tibi gloriationem ex eis in tuam confusionem. Nam cui hostis non potuit vanam gloriam generare ex pretiosa et splendida veste, conatur eam inserere ex veste squalida et inculta. Quem non potuit per honorem dejicere, humilitate supplantat, ex ipsa humilitate vanam gloriam ingerendo. Quem nequivit extollere ornatu eloquentiæ atque scientiæ, elidit gravitate silentii. Si quis palam jejunet, gloria pulsatur inani; si occulte jejunet ut vanam gloriam vitet, eodem elationis vanitatisque vitio impugnatur. Vitans orare prolixius sub Fratrum præsentia, ne vanæ gloriæ maculetur contagio, non evadit vanitatis hujus aculeos, de hoc quod latenter et nullo sciente sic orat.

Prov. IV, 27.

Philipp. III, 19.

Hinc seniores pulchre describunt naturam vitii hujus per dispositionem cæpæ, quæ decoriata tegmine uno, rursus alio invenitur vestita; et toties invenitur sic tecta, quoties fuerit denudata.

CAPITULUM V.

Quod nec solitudine exstinguatur vana gloria.

PRÆTEREA vana gloria persequi non desistit fugientem in solitudine consortia cunctorum mortalium; et quanto quis amplius universum vitaverit mundum, tanto eum acrius insectatur. Alium tentat inde extollere, quod ad opera ac labores patientissimus exstat, alium de hoc quod ad obediendum promptissimus invenitur. Alterum conatur extollere quod humilitate ceteros vincat, alium quod prolixitate vigiliarum aut lectionis sive scientia sit excellens. Nec morbus iste nititur

A quemquam aliunde quam de suis vulnerare virtutibus, tendens in his offendicula mortis, ex quibus acquiruntur stipendia vitæ. Inimici namque insidiantes laqueos deceptionis abscondunt volentibus iter pietatis ac perfectionis incedere, non alibi nisi in via qua ambulant (juxta illam beati David sententiam : In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi), ut in hac ipsa virtutum via qua gradimur, tendendo ad bravium supernæ vocationis, corruamus elati, inaniter gloriantes de B nostris profectibus, atque constrictis nostræ animæ pedibus, concidamus compediti cenodoxiæ laqueis. Sicque fit ut qui non potuimus impugnatione adversarii superari, vincamur sublimitate nostri triumphi; aut certe aliud genus deceptionis incidentes, ut dum ultra vires nostras abstinemus aut corpus affligimus, perdamus perseverantiam nostri cursus infirmitate corporis proprii.

Ps. CXLI, 4.

Philipp. III, 14.

C

CAPITULUM VI.

Quod cenodoxia quum fuerit dejecta, acrius resurgat ad pugnam.

OMNIA vitia superata debilitantur, et victa redduntur per singulos dies infirmiora, et vel loco vel tempore minuuntur atque a suo fervore deficiunt, aut certe a virtutibus sibi contrariis superantur, aut vitantur facilius. Porro hoc vitium jam dejectum, acrius ad luctamen resurgit, et D dum putatur exstinctum, sua morte vivacius convalescit. Insuper cetera genera vitiorum solent eos tantummodo impugnare quos in certamine superaverunt, sed vana gloria suos victores acrius insectatur; et quanto validius fuerit propulsata, tanto vehementius congreditur seu impugnat ipsa elatione suæ victoriæ. Et hæc est subtilis inimici versutia, ut faciat militem Christi propriis telis succumbere, quem non potuit armis hostilibus superare.

CAPITULUM VII.

Quod cenodoxia nec eremo nec castitate a suo fervore tepescat.

ALIA vitia, ut diximus, interdum qualitate seu dono loci conquiescunt, atque subtracta eis peccati materia, vel opportunitate et occasione peccandi sublata, tepescere solent ac minui. Sed vitium istud cum fugiente penetrat eremum, nec loco excluditur, nec materia extrinsecus subtracta colliditur. Non enim aliunde animatur, quam profectu virtutum ejus quem tentat. Insuper cetera vitia interdum mitescunt et evanescunt processu temporis, sicut prædiximus; huic autem vanæ gloriæ vitio longævitas vitæ aut temporis non solum non obviat, verum etiam confert majora fomenta, nisi fuerit longævitas ipsa fundata solerti industria discretioneque provida.

CAPITULUM VIII.

Quod cenodoxia periculosior sit virtutibus mixta.

POSTREMO ceteræ passiones ac culpæ a virtutibus sibi contrariis sequestratæ, et contra eas aperte quasi claro die pugnantes, facilius superantur atque caventur; sed vana gloria se admiscens virtutibus, et insita aciei earum, occulte quoque impugnans tanquam in nocte tenebrosa, atrocius fallit incautos ac improvisos.

CAPITULUM IX.

Exemplum regis Ezechiæ, qualiter telo vanæ gloriæ sit dejectus.

LEGIMUS Ezechiam regem Juda, virum in omni justitia consummatum [IV Reg. XVIII, 3.], atque sanctarum testimonio Scripturarum probatum, fuisse dejectum uno elationis ac

A vanitatis affectu post innumera opera præconiaque virtutum; et qui impetravit a Deo interfectionem centum octoginta quinque millium de exercitu Assyriorum ab angelo una nocte [IV Reg. XIX, 35.], inani victus est gloria. Qui (ut ceteras ejus præteream virtutes, quas recitare prolixum est) una oratione promeruit prolongationem vitæ per quindecim annos [Ibid. XX, 5, 6.] ultra terminum vitæ sibi ante expressum, et ultra diem mortis divina sententia nuntiatum, sole redeunte [Ibid. 11.] per decem gradus quos ad occasum tendens

B illustraverat ac pertransierat : qui rursus reditu suo lineas illas illustrans quas umbra sequens operuerat ex suo abscessu, præbuit universo orbi duplicatum diem inaudito miraculo contra statutas leges naturæ. Denique qualiter Ezechias fuerit per inanem gloriam ex prosperis suis successibus victus post tanta et tam incredibilia signa, et post tam præclara virtutum documenta et opera, audi Scripturam dicentem : In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit [II Par. XXXII, 24.]

C Dominum, et dedit ei signum (illud videlicet quod quarto Regum libro legimus datum de reditu solis per Isaiam prophetam [IV Reg. XX, 11.]). Et sequitur ibi : Sed non secundum beneficia quæ acceperat Ezechias retribuit [II Par. XXXII, 25, 26.] Domino, quia elevatum est cor ejus; et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem; humiliatusque est postea, eo quod exaltatum esset cor ejus, tam ipse quam habitatores Jerusalem, et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. Ecce quam perniciosus et gravis

D est morbus iste, quo una elatione depereunt tantæ justitiæ ac virtutes, tanta fides atque devotio, quæ meruerunt immutare ipsam naturam et leges totius mundi : ita ut universis virtutibus ejus oblivioni traditis ac si nunquam fuissent, incurrisset protinus iram Dei, nisi placasset eamdem humilitate resumpta; ut qui de tam excelso meritorum fastigio, elatione impellente, corruerat, non nisi per eosdem humilitatis gradus ad amissum culmen perfectionis rursus ascenderet.

CAPITULUM X.

Exemplum regis Oziæ eodem vitio superati.

VIS et aliud ruinæ hujus exemplum accipere? Disce qualiter vanæ gloriæ elatione dejectus sit Ozias atavus Ezechiæ regis præfati, collaudatus in omnibus per Scripturam post ingentia virtutum suarum præconia, plurimosque triumphos quos merito devotionis suæ ac fidei perpetravit : Et egressum est nomen ejus procul, ait Scriptura, eo quod auxiliaretur ei Dominus et corroborasset eum; sed quum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum.

II *Par.* xxvi, 15, 16.

CAPITULUM XI.

De diversis testimoniis contra vanam gloriam.

AUDISTI aliud exemplum ruinæ hujus gravissimæ, et conspicis duos viros tam justos ac perfectos, propriis triumphis prosperisque successibus esse dejectos. Unde cognoscis quam periculosi soleant esse rerum prosperarum successus, ita quod qui non potuerunt frangi adversis, acrius dejiciantur prosperis, si fuerint incauti in eis; et qui in conflictu ac acie evaserunt discrimina mortis, succumbant suis victoriis prosperisque eventibus.

Galat. v, 26. Ideo monet Apostolus : Nolite fieri inanis gloriæ cupidi. Et Dominus Pharisæos corripiens : Quomodo (inquit) potestis vos *Joann.* v, 44. credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? De his et beatus David cum condem*Ps.* LII, 6. natione eorum locutus est : Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

A

CAPITULUM XII.

Quibus modis cenodoxia monachum pulset.

SOLET quoque vana gloria extollere mentes incipientium, et eorum qui adhuc minus profecerunt in virtutibus animi aut scientia : vel propter sonum vocis, quod scilicet modulatius psallant, vel quia tenuioris sunt corporis, vel quoniam parentes habent opulentos ac nobiles, seu quia honores militiamque spreverunt. Interdum etiam persuadet quibusdam quod B faciliter obtinuissent in sæculo dignitates ac opes, si mansissent ibidem, quas forsan nunquam apprehendere potuissent : inflans eos spe vana de incertis, atque extollens eos gloria vanitatis de his quæ nunquam possederunt, tanquam qui ea contempserint.

CAPITULUM XIII.

Qualiter cenodoxia suggerat gradum appetere clericatus.

C

NONNUNQUAM vero immittit affectum gradus clericatus, desideriumque sacerdotii aut diaconatus. Quæ si vel invitus fuisset adeptus, persuadet sibi gloria vana quod officia illa cum tanta sanctitate ac rigore implesset, ut ceteris quoque sacerdotibus potuisset præbere sanctitatis exempla; deinde quod lucratus fuisset quamplures, non solum vitæ exemplo, sed doctrina etiam sive eloquio. Insuper commorantem in cella aut solitudine facit D circuire mente ac animo domos ac monasteria diversorum, et plurimorum conversationes attendere, quasi sub incitamento exhortationis phantasticæ.

CAPITULUM XIV.

Qualiter cenodoxia mentem inebriet.

AGITUR itaque infelix anima illusa hujusmodi vanitate tanquam profundissimo somno, in tantum ut interdum at-

tracta talium cogitationum dulcedine, et earum depicta simulacris, non possit advertere præsentes actus aut Fratres, dum delectatur immorari his quæ per cogitationum evagationes somniat vigilans, tanquam veris et exsistentibus rebus.

CAPITULUM XV.

De eo quem superveniens senex reperit in cella vanitate cenodoxiæ falli.

MEMINI dum in eremo Scythi habitarem, quod senex quidam gratia visitationis veniens ad cellam Fratris cujusdam, quum ostio propinquasset, et Fratrem illum audisset loquentem, substitit parum foris, volens cognoscere quidnam legeret de Scripturis, vel quid memoriter revolveret operando, ut ibi est moris. Quumque piissimus explorator curiosius auscultaret aure diligentius applicata, reperit eum ita deceptum et occupatum impugnatione spiritus hujus, ut crederet se facere sermonem exhortatorium in ecclesia coram plebe. Quumque subsistens senex audisset eum finisse sermonem, et mutato rursus officio, celebrare velut diaconum catechumenis Missam, tunc tandem senex pulsavit. Egressusque Frater, et solita veneratione senem suscipiens ac introducens, quæsivit ab eo quando venisset, remordente Fratrem conscientia cogitationum suarum, et ne diutius senex stando ad ostium tædium pertulisset. Tunc senex grate jlocaliterque respondit : Modo veni, quando tu Missam catechumenis celebrabas.

CAPITULUM XVI.

Quod vitia curari non possint, nisi eorum radices et causæ fuerint publicatæ.

PROPTER hoc necessarium æstimavi ista inserere huic opusculo, ut non solum ratione, sed exemplis quoque instructi de vi impugnationum et ordine vitiorum quibus miserabilis anima laceratur, cau- A tiores esse possimus ad vitandos laqueos atque multiplices fallacias inimici. Ita namque proferuntur ista in medium indifferenter ab Ægyptiis Patribus, quatenus propria relatione, juniores aperiant * [*adspiciant] apud eos certamina omnium vitiorum quæ patiuntur aut passuri sunt, tanquam qui adhuc certamina illa sustineant : sicque exponentibus senioribus illusiones et impugnationes omnium passionum, juniores ferventesque spiritu agnoscant secreta tentationum et colluctationum suarum, et ea B clare quasi in speculo intuentes, discant causas atque remedia vitiorum quibus pulsantur ac impugnantur; de futuris quoque certaminibus eruditi antequam veniant, instruantur qualiter debeant ea præcavere vel contra ea pugnare. Quemadmodum peritissimi medici solent non solum præsentibus morbis mederi, verum etiam futuris prudenter occurrere, et eos per præcepta observativave pocula prævenire ac præcavere; ita et hi animarum verissimi medici præcaventes * [*prænecantes] infirmitates seu culpas C cordium eventuras, spirituali collatione tanquam cœlesti antidoto, non patiuntur eas crescere in mentibus juniorum, sed aperiunt eis causas imminentium passionum, atque remedia curationum earum.

CAPITULUM XVII.

Quod monachus vitare debeat mulieres et episcopos.

D QUAPROPTER hæc est antiqua Patrum doctrina, permanens usque in præsens, quam sine confusione mea proferre non potero, qui nec valui germanam meam vitare, nec episcopi manus evadere : utpote quod monachus omnino fugere debet mulieres atque episcopos. Neuter enim eorum sinit eum quem semel conjunxerit suæ familiaritati, vacare de cetero cellæ quieti, aut divinæ contemplationi purissimis oculis immorari perfectarum rerum intuitu.

CAPITULUM XVIII.

Remedia quibus vanam gloriam superare possimus.

HINC Christi athleta verum ac spiritualem agonem cupiens legitime decertare, festinet omnimode superare hanc multiformem ac variam bestiam, utpote gloriam vanam, quæ ex omni parte nobis occurrit, tanquam nequitia multiformis. Quam poterimus remedio tali evadere, ut cogi-
Ps. LII, 6. tantes Davidicum illud eloquium, Dominus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, nihil agamus cum proposito vanitatis, aut intuitu vanæ gloriæ capiendæ; deinde ea quæ bono initio facimus aut virtuose incipimus, nitamur observatione simili custodire ac prosequi recta intentione, ne immiscens se morbus gloriæ vanæ, evacuet universorum nostrorum fru- A ctus laborum. Quidquid enim in conversatione Fratrum non habet nec recipit aut exercet communis usus, declinemus omnino tanquam jactantiæ opus. Ea quoque vitemus quæ nos possunt inter ceteros reddere notabiles, et ex quibus laus humana acquiritur, quasi soli talia habeamus. His namque indiciis letale vulnus vanæ gloriæ demonstrabitur nobis inesse. Quod facillime poterimus evitare, si consideremus quod non solum penitus amittemus fructus laborum quoscumque fe- B cerimus proposito gloriæ vanæ, sed quod etiam per hoc efficimur magni criminis rei, et tanquam sacrilegi æterna supplicia cito sumus passuri : utpote qui ad Dei injuriam volumus opera, Dei intuitu facienda, exercere potius gratia hominum, per quod convincimur ab eo qui secretorum est conscius, præferre homines Deo, et gloriam mundi gloriæ Domini.

LIBER XII

DE SPIRITU SUPERBIÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod octavum certamen sit contra superbiæ spiritum; et de natura superbiæ.

OCTAVUM et ultimum nobis certamen est contra superbiæ spiritum. Qui morbus licet sit ultimus in conflictu contra peccata, et extremus ponatur in ordine, origine tamen ac tempore primus est. Hæc est ferocissima bestia atque prædictis cunctis immanior, perfectos maxime tentans, diriorique morsu depascens eos qui pene in consummatione virtutum sunt positi.

CAPITULUM II.

Quod superbiæ duo sint genera.

SUPERBIÆ duo sunt genera : unum quod, ut diximus, pulsat spirituales summosque viros; aliud quod etiam incipientes atque carnales impugnat. Et quamvis noxia elatione utrumque genus superbiæ inflectatur ac moveatur contra Deum et homines; spiritualis tamen superbia Deo specialiter adversatur, carnalis vero ad homines proprie pertinet ac refertur. Denique superbiæ hujus originem ac remedia prosequemur, quantum Deo juvante valemus, in posterioribus partibus libelli istius. Nunc vero proponimus pauca disserere de prima et spirituali superbia, quæ præcipue tentat perfectos.

A

CAPITULUM III.

Quod superbia simul auferat omnes virtutes.

NULLUM igitur est vitium quod omnes virtutes ita exhauriat, et hominem spoliet ac denudet omni sanctitate atque justitia, sicut superbiæ crimen. Quæ tanquam generalis ac pestifer morbus, non contentatur debilitare unam animæ par-
B tem, sed totam mortali corrumpit exitio; collocatos quoque in virtutum fastigio conatur gravissimis tentationibus trucidare. Omne namque vitium contentum est terminis suis ac proprio fine; et licet contristet ac debilitet alias quoque virtutes, tamen contra unam specialiter certat, et eam principaliter opprimit et impugnat. Et ut hoc ipsum clarius intelligatur, ecce gula temperantiam directe corrumpit, libido castitatem contaminat, ira mansuetudinem tollit : ita ut interdum
C aliquis uni vitio deditus, non penitus destituatur virtutibus aliis; sed illa virtute tantum sublata quæ succumbit vitio sibi contrario ac repugnanti, possit vel ex parte reliquas retinere virtutes. Porro superbia quum infelicem possederit mentem, funditus diruit ac subvertit machinam totam virtutum tanquam tyrannus sævissimus, capta sublimissima cordis arce. Excelsa quoque sanctitatis mœnia terræ vitiorum coæquans ac miscens, non permittit deinceps aliquam spiritualis libertatis ima-
D ginem esse in anima sibi subjecta. Imo quo durius ceperit eam, tanto gravioris

servitutis jugo eam subjiciet, crudelissimaque deprædatione nudabit eamdem omni facultate virtutum.

CAPITULUM IV.

Quod per superbiam Lucifer de archangelo diabolus sit effectus.

Et ut cognoscamus gravissimam potentiam tyrannidis superbiæ, invenimus angelum illum qui propter excellentiam sui splendoris ac decoris appellatus est Lucifer, pro nullo alio quam pro vitio isto projectum esse de cœlo, et telo superbiæ vulneratum, ad inferna esse collapsum ex illa angelorum mansione beata atque sublimi. Si ergo superbia potuit angelum tanta virtute ac prærogativa tantæ potentiæ decoratum, de cœlo ad inferna dejicere una cordis elatione, cum quanta diligentia oporteat nos, fragilitate carnis circumdatos, cavere eamdem, demonstrat magnitudo ruinæ angelicæ. Denique qualiter debeamus vitare perniciosissimum virus superbiæ edoceri poterimus, si prosequamur causam originemque ruinæ illius. Nunquam enim possunt languores curari, neque remedia infirmitatibus adhiberi, nisi earum origines prius sagaciter inquirantur. Hic quippe angelus divina claritate indutus, et dono ac largitate Creatoris inter ceteras supernas virtutes præfulgens, se credidit obtinere splendorem sapientiæ pulchritudinemque virtutum quibus ornabatur ex gratia Conditoris, potestate suæ naturæ, non beneficio munificentiæ Dei. Atque ob hoc elatus, tanquam qui ad conservandam eminentiam istam non indigeret divino auxilio, judicavit se similem Deo : utpote qui instar Dei non esset indigens aliquo, confisus liberi arbitrii facultate, et credens omnia sibi per illam affluenter suppetere quæ ad consummationem virtutum et perennitatem summæ beatitudinis pertinerent. Itaque hæc cogitatio sola facta est ruina ei : ob quam desertus a Deo, quo se credidit non A egere, repente effectus est nutabundus atque instabilis, et infirmitatem propriæ suæ naturæ mox sensit ; beatitudinem quoque amisit qua Dei munere fruebatur. Et quia dilexit verba præcipitationis *Ps.* LI, 6.
(quibus dixit : In cœlum conscendam), et *Is.* XIV, 13, 14.
linguam dolosam (qua dixit vel de se : Similis ero Altissimo, vel de Adam et Eva :
Eritis sicut dii); propterea Deus destruet *Gen.* III, 5.
eum in finem, evellet eum et emigrabit *Ps.* LI, 7.
eum de tabernaculo suo, et radicem ejus
de terra viventium. Tunc ruinam ejus vi- *Ibid.* 8, 9.
B dentes justi, timebunt, et super eum ridebunt, dicentes quod sequitur (quod etiam justissime dirigetur ad hos qui confidunt se posse perficere bonum sine protectione et ope Dei), videlicet : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.

CAPITULUM V.

C *Quod fomites vitiorum omnium de superbia prodierint.*

Hæc superbia est primæ ruinæ causa et principalis origo peccati. Quæ rursum in protoplastum serpens per illum qui ab ea dejectus est, germinavit infirmitates atque materias vitiorum omnium. Dum enim credidit se posse acquirere gloriam divinitatis libertate arbitrii ac sua industria, perdidit etiam illam quam adeptus fuerat gratia Conditoris.

D

CAPITULUM VI.

Quod superbiæ vitium primum sit origine ac tempore, quamvis sit ultimum in ordine impugnationis.

Exemplo itaque ac testimoniis Scripturarum apertissime comprobatur, quod licet superbia sit posterior in ordine conflictuum, origine tamen anterior est, et

est principium omnium peccatorum ac A criminum; nec instar ceterorum vitiorum exstinguit solum virtutem sibi contrariam, puta humilitatem, verum etiam cunctarum virtutum est interemptrix; nec tantum mediocres tentat ac parvos, sed maxime in virtutum culmine constitutos. Ita enim de spiritu superbiæ ait Propheta : Escæ ejus electæ. *Habac* I, 16, juxta LXX. Ideoque beatus David, quamvis tanta circumspectione custodiret mentem suam, ut confidenter clamaret ad eum quem secreta conscientiæ suæ non latebant : *Ps.* CXXX, 1, 2. B Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me, si non humiliter sentiebam; et iterum, *Ps.* C, 7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam; sciens tamen quam difficilis sit ista custodia etiam perfectis, non præsumit tantum de sua industria, sed orans implorat Dei auxilium, ut possit insauciatus evadere telum superbiæ, dicens, *Ps.* XXXV, 12. Non veniat mihi pes superbiæ : pavens ac metuens illud quod dicitur de superbis, *Jacob.* IV, 6. C Deus superbis resistit; et iterum, *Prov.* XVI, 5, juxta LXX. Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum.

CAPITULUM VII.

Quod per superbiam mereamur Deum habere adversarium.

QUAM magnum est superbiæ vitium, ut per ipsam mereatur habere homo Deum adversarium, non angelum tantum, D aliasque virtutes superbiæ contrarias. Non enim dixit Scriptura de his qui aliis sunt involuti peccatis, quod habeant Deum sibi resistentem, videlicet : Deus resistit gulosis, avaris aut iracundis; sed superbis. Illa enim peccata contra homines fiunt, atque in unumquemque peccantium retorquentur, vel contra alios committi videntur; superbia autem proprie pertingit ad Deum, et ei injuriatur, ideo specialiter promeretur eum sibi habere contrarium.

CAPITULUM VIII.

Qualiter Deus superbiam diaboli exstinxerit virtute humilitatis; et diversa super hoc testimonia.

IDEOQUE universitatis creator et medicus animarum Deus, cognoscens superbiam esse causam principiumque morborum, voluit contraria sanare contrariis, ut ea quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Ille namque, puta superbiæ spiritus, dixit : In cœlum ascendam; *Is.* XIV, 13. hic, utputa Christus, dicit : Humiliata est in terra anima mea. *Ps.* XLIII, 25. Ille dicit: Ero similis Altissimo; *Is.* XIV, 14. hic, quum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, humiliavitque se factus obediens usque ad mortem. *Philipp.* II, 6, 7, 8. Ille dicit : Supra astra cœli exaltabo solium meum; *Is.* XIV, 13. iste dicit : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* XI, 29. Ille dicit : Nescio Deum, et Israel non dimittam; *Exod.* V, 2. iste dicit : Si dixero, non novi eum, ero similis vobis, mendax; sed novi eum, et mandata ejus servo. *Joann.* VIII, 55. Ille dicit : Mea sunt flumina, et ego feci ea; *Ezech.* XXIX, 3, juxta LXX. iste dicit : Non possum ego a me ipso facere quidquam, sed Pater meus in me manens, ipse facit opera. *Joann.* V, 19; XIV, 10. Ille dicit : Mea sunt regna mundi et gloria eorum, et cui voluero, do illa; *Luc.* IV, 5, 6. iste, quum dives esset, pauper factus est, ut ejus inopia nos divites redderemur. *II Cor.* VIII, 9. Ille dicit : Sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os et ganniret; *Is.* X, 14. iste dicit : Similis factus sum pelecano solitario; vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto. *Ps.* CI, 7, 8. Ille dicit : Exsiccavi vestigio pedum meorum omnes rivos aggerum; *Is.* XXXVII, 25. hic dicit : Nonne possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? *Matth.* XXVI, 53. Itaque si intelleximus causam principalis ruinæ, puta superbiam, et fundamenta nostræ salutis, videlicet humilitatem, hoc est : a quo et qualiter ista salutis fundamenta jacta sunt, vel ruina

illa prodierit; doceamur vel Christi exemplo, vel casu diaboli, qualiter debeamus vitare tyrannidem superbiæ tam atrocem.

CAPITULUM IX.

Qualiter et nos superbiam superare possimus.

NEQUISSIMUM itaque istum superbiæ laqueum evadere ita poterimus, si in singulis virtutibus in quibus nos processisse senserimus, cum sancto Apostolo dixerimus : Non ego, sed gratia Dei mecum; (I Cor. xv, 10.) et, Gratia Dei sum id quod sum ; (Ibidem.) et quod iterum ait : Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (Philipp. II, 13.) (nam et auctor nostræ salutis testatur : Qui manet in me, et ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere); (Joann. xv, 5.) cum Psalmista quoque dixerimus: Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam; nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam ; et, Vanum est vobis ante lucem surgere. (Ps. CXXVI, 1, 2.) Unde Apostolus : Non est, inquit, volentis neque currentis, sed miserentis Dei. (Rom. IX, 16.)

CAPITULUM X.

Quod nemo possit viribus propriis obtinere perfectionem virtutum, aut felicitatem promissam.

VOLUNTAS enim seu conversatio nullius, quamvis fervens et cupiens sit, potest esse ita idonea, ut ipse circumdatus carne spiritui repugnante, possit attingere tantum culmen aut præmium perfectionis, aut palmam integritatis seu puritatis; nisi fuerit divina miseratione protectus, ut pervenire mereatur ad id quod magnopere vult, atque ad quod currit. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. (Jacob. I, 17.) Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? (I Cor. IV, 7.)

CAPITULUM XI.

Exemplum latronis vel sancti David vel nostræ vocationis, ad Dei gratiam demonstrandam.

SI enim recordemur illum latronem introductum in paradisum ob unam suam confessionem, (Luc. XXIII, 42, 43.) intelligimus eum tantam beatitudinem consecutum non merito sui cursus, sed dono et gratia Dei miserentis. Vel si reminiscamur duo tam gravia tamque immania crimina David regis una pœnitudine esse deleta, non videmus hic merita suffecisse aut æquiparasse ad obtinendam tantorum indulgentiam criminum, sed superabundasse gratiam Dei, qui percepta occasione pœnitentiæ veræ, consumpsit tantam vitiorum materiam sub plena unius verbi confessione. (II Reg. XII, 13.) Insuper considerantes principium vocationis ac salutis humanæ, qua juxta Apostolum, sumus salvati non ex nobis neque ex nostris operibus, sed dono ac gratia Creatoris, (Ephes. II, 8, 9.) poterimus clare advertere quemadmodum perfectionis nostræ summa seu exsistentia non sit volentis neque currentis, sed Domini miserentis : (Rom. IX, 16.) qui nos facit vitiorum nostrorum esse victores, merito laborum nostrorum nullatenus compensante aut exigente; atque tam arduum integritatis culmen nos facit ascendere, carne qua utimur subjugata spiritui, nequaquam æquiparante aut digne promerente id nostræ voluntatis industria. Nulla siquidem hujus corporis afflictio, nulla cordis contritio potest esse condigna ad obtinendam veram illam interioris hominis castitatem, ut valeat homo nudo labore humano, sine Dei adjutorio, obtinere tantæ puritatis virtutem angelis solis ingenitam, ac cœli vernaculam seu habitatricem : quia totius boni effectus ab ejus profluit gratia qui tantam æternitatis beatitudinem, gloriamque immensam promisit ac contulit

abundantissima largitate voluntati nostræ exiguæ, et cursui nostro brevi ac parvo.

CAPITULUM XII.

Quod nullus labor possit repromissæ beatitudini comparari.

OMNIS quoque diuturnitas vitæ præsentis comparatione æternitatis futuræ gloriæ, nullius est reputationis; et universi dolores contemplatione et respectu felicitatis illius fugantur, atque extenuati ut fumus liquescunt, et nusquam apparent, quasi favilla, quia nullius momenti sunt comparatione illius.

CAPITULUM XIII.

Doctrina seniorum de puritate obtinenda.

MODO igitur tempus est ut proferamus Patrum sententiam in ipsis verbis quibus tradunt eamdem, qui descripserunt viam et qualitatem perfectionis non verborum jactantia; sed possidentes illam recto opere ac virtute spiritus, docuerunt eam propriis experimentis certissimisque exemplis. Aiunt namque non posse quempiam pure emundari carnalibus vitiis, nisi agnoscat ac fateatur universum suum laborem atque conatum non posse sufficere ad tantam perfectionem, nec eam posse acquiri nisi miseratione et ope divina : eruditi de hoc tam institutione et documento Dei donantis, quam effectu et virtute experimentisque propriis. Ad capessenda namque tam magnifica et præcelsa puritatis et integritatis fastigia nullus labor jejuniorum, vigiliarum, lectionis et abstractionis, quantumlibet magnus, poterit esse condignus qui illa obtineat merito suæ industriæ aut laboris. Nunquam enim labor humanus aut humana industria de condigno merebuntur munus divinum aut gratiæ donum, nisi hoc miseratione divina tribuatur devote optanti.

CAPITULUM XIV.

Quod adjutorium Dei conferatur laborantibus.

NEC hæc dico, ut humanos conatus doceam esse inanes, vel ut aliquem revocare intendam ab industria exercitioque laboris ; sed constantissime assero, non mea sententia, sed seniorum, perfectionem sine his obtineri non posse, nec tamen ad perfectionem obtinendam ea sufficere sine gratia Dei. Quemadmodum enim dicimus humanos conatus non posse perfectionem acquirere sine adjutorio Dei, ita pronuntiamus misericordiam Dei gratiamque conferri tantummodo laborantibus ac desudantibus pro eadem; atque ut verbis Apostoli loquar, dicimus gratiam volentibus et currentibus impertiri, *Rom.* IX, 16. secundum id quod in Psalmo in persona Dei cantatur : Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea. *Ps.* LXXXVIII, 20. Dicimus namque, secundum Salvatoris sententiam, dari petentibus, aperiri pulsantibus et a quærentibus inveniri, *Matth.* VII, 8. sed petitionem et inquisitionem et pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei dederit illud quod petimus, vel aperuerit quod pulsamus, seu illud quod quærimus fecerit inveniri. Paratus quippe est Deus ad conferendum hæc omnia, occasione bonæ voluntatis sibi a nobis tantum oblata. Nam ipse perfectionem ac salutem nostram desiderat et exspectat amplius quam nos ipsi. Denique sanctus David in tantum noverat se obtinere non posse profectum sui operis ac laboris industria propria, ut iterata prece niteretur promereri directionem operum suorum a Domino, dicens : Et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige ; *Ps.* LXXXIX, 17. et rursus, Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. *Ps.* LXVII, 29.

CAPITULUM XV.

Quod perfectionis viam discere debeamus; nec posse nos sine misericordia et inspiratione divina accedere ad ipsum laborem obtinendæ perfectionis.

Ad veram ergo consummationem virtutum si cupimus pervenire opere et effectu, debemus acquiescere illis magistris ac ducibus qui hanc obtinuerunt non disputatione vaniloqua, sed experientiis et reipsa, et nos docere atque ad perfectionem dirigere possunt, imo et certissimo tramite demonstrare viam qualiter perveniamus ad eam : qui etiam protestantur se pervenisse ad eam fide magis quam merito suorum laborum. Quibus et acquisita puritas cordis eorum hoc præcipuum conferebat, ut magis ac magis agnoscerent peccatis se deprimi. Tantum namque augebatur in eis per singulos dies compunctio delictorum, quantum puritas animi crevit in eis. Hinc trahebant jugiter intima cordis suspiria, eo quod sentirent se ipsos non posse vitare maculas delictorum, quas per multiplices cogitationum minutias incidebant. Idcirco clamabant se sperare præmia futuræ vitæ non merito operum, sed de misericordia Dei, nihil sibi præsumentes de tanta cordis circumspectione quam comparatione aliorum habebant. Siquidem hanc ipsam circumspectionem adscribebant non suæ industriæ, sed gratiæ Dei, non blandientes sibi de negligentia inferiorum ac tepidorum; sed perpetuam sibi humilitatem colligebant ex consideratione eorum quos noverant vere peccato carere, atque in regno cœlorum æterna felicitate gaudere. Præterea ex hac consideratione declinabant etiam elationis ruinam, et inveniebant quo tenderent, et cur dolerent : intelligentes se non posse ad illam cordis puritatem pertingere quam optabant, sarcina carnis impediente.

Igitur secundum institutiones doctrinasque Patrum, sic ad perfectionem festinare debemus jejuniis, vigiliis, orationibus, A contritioni cordis et afflictioni corporis operam dantes, ne hæc a suo fructu evacuemus morbo superbiæ nos inflante. Quoniam oportet nos credere non solum non posse nos ipsam perfectionem nostro labore aut industria possidere, sed nec ipsos nostros labores et conatus ac studia, quæ perfectionis intuitu exercemus, posse perficere absque divinæ protectionis auxilio, et sine inspirationis et castigationis exhortationisque gratia, quam solet clementer Deus cordibus infundere, sive per alios sive B per se ipsum nos visitando.

CAPITULUM XVI.

Testimonia diversa, quibus evidenter ostenditur nihil nos posse perficere quod ad nostram spectat salutem absque adjutorio gratiæ Dei.

Postremo instruit nos auctor nostræ salutis, quid nos oporteat non solum sentire, sed etiam confiteri in universis
C quæ agimus. Non possum ego a me ipso, Joann. v,
inquit, facere quidquam, Pater vero in me 19; xiv, 10.
manens ipse facit opera. Christus autem ex parte naturæ assumptæ, dicit se a se ipso non posse quidquam facere, et nos cinis et terra arbitramur nos adjutorio Domini non egere in his quæ ad nostram spectant salutem? Discamus itaque et nos, in singulis sentientes propriam infirmitatem et Dei auxilium, quotidie clamare
cum Sancto : Impulsus eversus sum ut ca- Ps. cxvii,
derem, et Dominus suscepit me. Fortitudo 13, 14.
D mea et laus mea Dominus, et factus est
mihi in salutem. Et : Nisi quia Dominus Ps. xciii,
adjuvit me, paulo minus habitasset in in- 17-19.
ferno anima mea. Si dicebam, Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Insuper quando videmus cor nostrum in timore Dei et patientia roborari, dicamus :
Et factus est Dominus firmamentum me- Ps. xvii, 19,
um, et eduxit me in latitudinem. Intelli- 20.

gentes quoque scientiam in nobis ex ope- A
Ps. xvii, 29, 30. rum profectu augeri, psallamus : Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas ; quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. Quum vero sentimus nos omnem tolerantiæ fortitudinem acquisisse, atque in via virtutum facilius diri-
Ibid. 33-35. gi et sine labore, cantemus : Deus qui præcinxisti me virtute, et posuisti immaculatam viam meam; qui perficis pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me ; qui doces manus meas B ad prælium. Porro discretionem sortiti, et ea sic roborati ut possimus hostes nostræ
Ibid. 36, 37. salutis elidere, concinamus : Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit ; dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea. Et quia taliter sum roboratus tua scientia ac virtute, dicam fiducia-
Ibid. 38. 39. liter quæ sequuntur : Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant; conteram illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos. C

Interea memores propriæ infirmitatis, atque pensantes non posse nos fragili carne circumdatos superare tam acerbos hostes vitiorumque motus ac impetus sine
Ps. xliii, 6-8. adjutorio Dei, dicamus : In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis : non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me ; tu enim salvasti nos ex afflictionibus, et odientes nos
Ps. xvii, 40, 41. confudisti. Et item : Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgen- D tes in me subtus me, et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti. Rursus, cogitantes quod non possumus armis propriis prævalere, ore-
Ps. xxxiv, 2, 3. mus : Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium meum. Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me ; dic animæ meæ : Salus
Ps. xvii, 35, 36. tua ego sum. Et : Posuisti ut arcum æreum brachia mea, et dedisti mihi protectionem salutis tuæ. Quia nec patres nostri in gladio suo possederunt terram, et bra- Ps. xliii, 4.
chium eorum non salvavit eos ; sed dextera tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis. Postremo universa beneficia Dei considerantes sollicita mente cum gratiarum actione, ut quod efficaciter pugnavimus, vel illuminationem scientiæ aut disciplinam discretionis ab ipso accepimus, vel quod nos suis armis armavit, virtutisque cingulo pie munivit, vel inimicos nostros in fugam convertit, virtutem quoque conces- Ps. xvii, 43.
sit comminuendi eos ut pulverem ante faciem venti, super his omnibus intimo corde clamemus ad ipsum : Diligam te, Ibid. 2-4.
Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus ; Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus et cornu salutis meæ, et susceptor meus. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

CAPITULUM XVII.

Quod non solum in naturali conditione, sed etiam in quotidiana dispensatione muniamur gratia Dei.

GRATIAS itaque Deo agamus non solum pro his, quod nos creavit rationales, et liberi arbitrii contulit potestatem, gratiamque baptismi largitus est, vel scientiam ac adjutorium legis divinæ concessit, sed etiam pro his quæ providentia ejus quotidie nobis largitur : quod scilicet nos de adversariorum insidiis liberat, quod cooperatur nobis ad superandum vitia carnis, quod ignorantibus nobis protegit nos a diversis periculis, et a lapsu peccati præservat ac roborat, quod adjuvat nos atque illuminat ut intelligere et cognoscere valeamus ipsum adjutorium nostrum (quod quidam dixerunt non aliud esse, quam legem ipsius), quod ejus inspiratione latenter compungimur pro delictis et negligentiis nostris, quod ipso dignanter nos visitante, saluberrime castigamur,

quod ab eo interdum etiam inviti trahimur ad salutem; postremo quia ad meliorem dirigit fructum liberum nostrum arbitrium, quod ex se proclivius fertur ad vitia, et visitatione suæ instigationis flectit illud ad viam virtutum.

CAPITULUM XVIII.

Quod hæc fides ab antiquis Patribus tradita sit de gratia Dei.

HÆC est prima humilitas circa Deum, B hæc est antiquissimorum Patrum sincera fides, quæ apud successores eorum merito nunc usque perdurat : quod scilicet Dei auxilio in tantum indigeamus. Cui fidei certum testimonium perhibent apostolica signa per Sanctos frequenter exhibita, non solum apud nos, sed etiam apud incredulos. Qui Sancti simplici corde tenentes fidem simplicem piscatorum, conceperunt ac defenderunt eamdem, non dialecticis syllogismis aut eloquentia Tulliana, sed experimento vitæ sinceræ actu- C que purissimo, atque ut ita dixerim, oculatis indiciis deprehenderunt in ipsa esse perfectionis naturam ; sine qua fide apprehendi non potest pietas in Deum, nec vitiorum purgatio, nec emendatio morum, nec virtutum perfectio.

CAPITULUM XIX.

De eo qui propter blasphemiam traditus est immundissimo spiritui.

NOVI quemdam de numero Fratrum (quem utinam non novissem, quoniam prægravari se passus est posteriori Ordinis gradu), qui confessus est cuidam probatissimo seni tentari se gravissimo vitio carnis. Nam contra usum naturæ urebatur intolerabili libidinis æstu : utpote ignominioso desiderio patiendi magis quam inferendi. Tunc senex tanquam spiritualis verusque medicus, interiorem causam atque originem morbi hujus advertens, gra- A viterque suspirans, ait : Nequaquam te Dominus permisisset tradi tam nefando spiritui, nisi blasphemasses in eum. Quo audito, Frater ille in terram mox cadens ad pedes senis, et summe admirans secreta sui cordis sic esse patefacta, tanquam Deo hæc revelante, fatebatur se impia cogitatione blasphemasse in Filium Dei. Unde perspicuum est, eum qui superbiæ spiritu possidetur aut contra Deum blasphemus est, integritate perfectionis privari, et sanctificationem castimoniæ non mereri, tanquam qui inferat illi injuriam a quo dona puritatis speranda sunt.

CAPITULUM XX.

Exemplum Joas regis Juda, quo ostenditur quid propter superbiam meruerit.

LEGIMUS etiam tale aliquid in Paralipomenon libro. Joas namque rex Juda, II *Par.* XXIV, 1, 2.
quum esset septem annorum, a Joiada pontifice in solio regni est constitutus, atque a Scriptura in omnibus commendatus, quamdiu Joiada pontifex vixit. De quo rege audi quid dicat Scriptura post obitum Joiadæ, et qualiter elatus superbia, ignominiosæ passioni sit traditus : Post- *Ibid.* 17, 18.
quam autem obiit Joiada, ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem. Qui delinitus eorum obsequiis, acquievit eis, et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus, et facta est ira contra Judam et Jerusalem propter hoc peccatum. Et post
D pauca : Quumque evolutus esset annus, *Ibid.* 23-25.
ascendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Jerusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi Damascum : et certe quum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum; in Joas quoque exercuerunt ignominiosa judicia, et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Vides quam flagitio-

sis et sordidis passionibus tradi mereatur superbia. Qui enim elatus arrogantia permisit se adorari ut Deum, traditur, secundum Apostolum, in passiones ignominiæ atque in reprobum sensum, ut patiatur ea quæ non conveniunt. Et quia attestante Scriptura, Immundus est omnis qui exaltat cor suum, iste qui tumida cordis elatione inflammatus est, traditur confusioni turpissimæ deludendus, ut taliter humiliatus sentiret semetipsum esse immundum immunditia carnis et conscientia impurissimæ passionis, quod ante sentire nolebat præ animi sui elatione; ut ignominiosa quoque contagio carnis patefaceret occultam immunditiam sui cordis, quam operuerat vitio elationis : sicque manifesta pollutione sui corporis probaretur impurus, qui non sentiebat se factum esse immundum per superbiam spiritus.

Rom. I, 26, 28.

Prov. XVI, 5, juxta LXX.

CAPITULUM XXI.

Quod omnis anima superba subdatur spiritualibus nequitiis illudenda.

Ex quibus manifeste probatur, quod omnis anima tumore possessa superbiæ, tradatur intellectualibus Syris, id est spiritualibus nequitiis, et carnis passionibus involvatur, ut saltem terrenis vitiis humiliata carnaliterque polluta, agnoscat se esse immundam, quæ tumore mentis erecta, intelligere ante non voluit immundam se esse effectam coram Deo per cordis elationem : quatenus vel sic quis humiliatus, discedat a pristino suo tepore, et ignominiosa carnis passione dejectus atque confusus, festinet deinceps dare se ipsum ardentius ad spiritualem fervorem.

CAPITULUM XXII.

Quod perfectio attingi nisi virtute humilitatis non possit.

Manifeste itaque patet, neminem posse attingere finem perfectionis ac puritatis, nisi per veram humilitatem, quam primo Fratribus exhibens, Deo quoque ex-
A hibeat in penetralibus sui cordis : credens se suis conatibus obtinere non posse perfectionem quam cupit, atque ad quam magnopere currit, absque Dei protectione ac ope sibi impensa per singula quæque momenta.

CAPITULUM XXIII.

Quos spiritualis superbia pulset, quosque carnalis.

Hucusque dixisse sufficiat (quantum
B tenuitas nostri ingenii, auxiliante Domino, potuit) de spirituali superbia, qua perfecti viri tentantur, ut diximus. Quod superbiæ genus non est multis cognitum neque expertum, quia nec multi apprehendere student puritatem cordis perfectam, ut valeant pervenire ad gradus hos præliorum; nec procuratur ulla purgatio præcedentium vitiorum, quorum naturam atque remedia in præcedentibus singulis libellis descripsimus. Sed illos dumtaxat pulsare solet, qui devictis vitiis jam præ-
C fatis, pene in culmine virtutum sunt constituti. Quos quoniam subtilissimus hostis superare nequivit lapsu carnali, dejicere eos conatur ac supplantare spirituali ruina : satagens illos per superbiam spoliare universis præteritorum operum meritis multo labore quæsitis. Porro nos adhuc terrenis passionibus involutos nequaquam dignatur hoc modo tentare, sed supplantat nos crassiori, et, ut ita dicam, carnali elatione. Idcirco necessarium reor secundum promissionem nostram pauca dissere-
D re de hac quoque superbia, qua periclitari solent pusilli ac imperfecti, et maxime juniorum ac incipientium mentes.

CAPITULUM XXIV.

Descriptio carnalis superbiæ, et quæ mala in monacho pariat; et quod homo male fundatus, quotidie ad pejora dilabatur.

Hæc ergo carnalis superbia quum resederit in mente monachi ex principio renuntiationis male inchoato ac te-

pidq, non permittens eum descendere a pristino sæculari tumore ad veram Christi humilitatem, primo facit eum inobedientem ac asperum, deinde non patitur eum esse mitem atque affabilem, nec sinit eum Fratribus æqualem fieri ac communem, nec plenam apprehendere paupertatem, juxta Christi salvatoris ac Dei nostri consilium. Quumque renuntiatio aliud nihil sit nisi indicium mortificationis et crucis, nec valeat inchoari aut crescere aliis fundamentis nisi ut renuntians noverit se non solum spiritualiter mortuum actibus hujus mundi, verum etiam credat se quotidie corporaliter moriturum; hæc superbia econtrario facit eum sperare vitam longævam, proponitque ei infirmitates prolixas ac multas quæ ei possunt accidere, incutit quoque confusionem atque pudorem si nudus ac pauper effectus, cœperit sustentari facultatibus alienis, non propriis. Persuadet etiam multo melius esse ministrari sibi victum et vestitum ex sua substantia potius quam ex aliena, secundum illud : Beatius est magis dare quam accipere. Quod qualiter dictum sit, nunquam intelligere poterunt tali hebetudine ac cordis tepore obtusi.

Matth. XIX, 21.

Act. XX, 35.

Tali igitur desidia mentis victi, et infidelitate diabolica revocati a scintilla fidei qua in primordiis suæ conversionis visi fuerant accensi, incipiunt diligentius custodire pecunias quas ante dispergere cœperant, et eas avaritia vehementiori conservant, velut quæ semel effusæ, non poterunt a se ulterius reparari; aut, quod pejus est, ea quæ prius abjecerant resumentes, aut certe, quod tertium teterrimumque genus nequitiæ est, congregantes ea quæ nec ante habebant, egressi de sæculo comprobantur nil amplius acquisisse quam nomen atque vocabulum monachi. Itaque super ista renuntiationis initia male ac vitiose fundata, necesse est ut universa structura vitiosius deinceps consurgat; nec aliquid valeat super pessima fundamenta ædificari, nisi quod miserabilem animam lugubriori prosternat ruina.

CAPITULUM XXV.

Declaratio vitiorum quæ ex superbia generantur.

TALIBUS itaque passionibus mens obdurata, et cum detestabili tepore incipiens, necesse est ut quotidie in deterius crescat, et reliquam vitam suam deformiori fine concludat. Dumque cupiditatibus pristinis oblectatur, et sacrilega avaritia superatur (de qua ait Apostolus : Avaritia quæ est simulacrorum aut idolorum servitus; et iterum, Radix omnium malorum est avaritia), nunquam potest in corde suo suscipere veram ac simplicem Christi humilitatem : dum gloriatur nobilitate parentum, vel de sæculi dignitate inflatur, quam corpore et non mente reliquisse probatur, vel de pecuniis intumescit, quas ad propriam ruinam conservat; propter quæ non acquiescit jam jugum monasterii sustinere, nec disciplina alicujus senioris institui, nec obedientiæ regulam custodire dignatur : imo nec ipsam perfectionis doctrinam auribus suis admittit.

Coloss. III, 5.

I Tim. VI, 10.

Tantum quoque crescit in corde ejus fastidium spiritualis sermonis, ut si fiat talis collatio, visus ejus uno in loco figi non possit, sed huc illucque stupidus circumferatur, atque obliquius quam moris est, aliorsum detorqueatur. Denique sputa de sicco gutture ejus pro salutaribus suspiriis traducuntur, exscreationes etiam sine ulla cessatione phlegmatis provocantur, digiti ludunt, et instar scribentium volitant ac depingunt; sicque huc et illuc universa corporis membra moventur, ut dum spiritualis collatio agitur, credat se totum sedere super vermes erumpentes aut super acutissimas spinas, et quidquid simplex collatio ad audientium ædificationem protulerit, ob suam reprehensionem æstimet esse prolatum. Totoque tempore quo examinatio spiritualis vitæ protrahitur, ipse suis suspicionibus occupatus, non advertit quid ad suum profectum ex sermo-

ne capere debeat, sed sollicita mente A scrutatur causas propter quas unumquodque dicatur, vel tacito corde excogitat quid eis possit objicere : ita ut apprehendere nil penitus possit ex his quæ saluberrime prædicantur, neque in aliquo valeat emendari. Sicque fit ut spiritualis collatio non solum in nullo ei proficiat, verum etiam magis damnosa exsistat, efficiaturque ei occasio majoris peccati.

Dum enim juxta conscientiam suam suspicatur totum contra se esse prolatum, B vehementiori cordis obstinatione duratur, ac stimulis iræ acrius instigatur. Deinde post hæc, sequuntur in eo vox alta, rigidus sermo, amara ac turbulenta responsio, erectus mobilisque incessus, lingua loquax, collocutio procax, nec unquam taciturnitatis amica, nisi dum contra Fratrem conceperit corde quemdam rancorem : et ita silentium ejus indicium est superbiæ et indignationis, non alicujus humilitatis aut compunctionis, sic ut difficile sit discernere quid in ipso detestabilius exstet, ef- C fusa illa petulansque lætitia, an taciturnitas ista dira ac virulenta. Quia in illa lætitia sermo est importunus, risus levis ac fatuus, effrenata et indisciplinata cordis elatio; porro in taciturnitate hac est silentium ira plenum ac venenatum, et quod ob hoc tantum concipitur, ut rancor contra Fratrem taciturnitate servatus, diutius protrahi possit, non ut ex eo virtus humilitatis ac patientiæ ostendatur. Præterea quum ipse plenus tumore aliis faciliter injurias inferat, atque ad satisfacien- D dum Fratri a se læso se ipsum subjicere dedignetur, respuit etiam et contemnit satisfactionem a Fratre illo sibi oblatam; nec solum ex Fratris satisfactione nequaquam compungitur aut mollitur, imo et gravius indignatur, quod a Fratre illo in humilitate præventus est. Atque per hoc salutaris humilitas et satisfactio Fratris, quæ solent diabolicis tentationibus imponere finem, fiunt ei occasio inflammationis pejoris ac vehementioris.

CAPITULUM XXVI.

De Fratris cujusdam superbia.

AUDIVI in hac regione dumtaxat (quod horret ac pudet narrare), quia dum quidam juniorum a suo increparetur abbate, cur inciperet humilitatem excedere, quam renuntians ad modicum tempus servaverat, ac diabolica inflaretur superbia, statim respondit cum contumacia maxima : Numquid ob hoc me ipsum humiliavi ad tempus, ut semper sim subditus? Ad quod tam effrenatum ac sceleratum Fratris responsum, ita est abbas obstupefactus et omnis sermo ejus collapsus, ac si verba ista audisset non ab homine ullo, sed ab ipso Lucifero : in tantum quod adversus tantam proterviam non potuerit aliquam vocem de ore suo emittere, sed gemitus tantum atque suspiria de corde proferre, illud solum tacitus in se ipso revolvens, quod scriptum est de Domino salvatore : Qui quum in forma Dei esset humiliavit *Philipp.* II, se, factus obediens, non ut ille tumore 6, 8. repletus, diabolico spiritu dixit, ad tempus, sed usque ad mortem.

CAPITULUM XXVII.

Indicia per quæ carnalis superbia cognoscitur esse in anima.

UT autem brevius perstringamus quæ de carnali ista superbia dicta sunt, colligemus quædam signa ipsius, ut possumus, quatenus exprimamus de motibus hominis exterioris quosdam characteres seu figuras, aut repræsentationes illius. Necessarium itaque puto eadem breviter replicari, ut compendiosius cognoscamus quibus indiciis eam discernere ac deprehendere valeamus : quatenus radices passionis hujus nudatæ in superficiemque productæ, oculatim quoque perspectæ ac deprehensæ, queant facilius destrui aut vitari. Tunc enim poterit pestifer morbus superbiæ integraliter declinari, quando non tarda observatio assumitur contra

ipsius perniciosos æstus ac noxios impetus, quum jam animo dominatur ; sed quum agnoscentes dispositiones, et ut ita dixerim, lineas ejus præcedentes, discutimus eum discussione provida ac sagaci. Per motum enim exterioris hominis, sicut prædiximus, agnoscitur status interioris. His ergo indiciis carnalis superbia noscitur : primum in loquela ejus est clamor, in silentio ejus amaritudo, in lætitia ejus altus effususque risus irrationabilis; in serietate sua habet tristitiam, in reprehensione rancorem, facilis ad loquendum verba passim erumpentia sine omni gravitatis decentia. Expers est patientiæ, caritatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerandas pusillanimis, ad obediendum difficilis, nisi in his ad quæ ex se ipsa primitus inclinatur; ad recipiendam exhortationem tardissima, ad resecandas proprias voluntates infirma, ad cedendum aut succumbendum alienis durissima. Semper quoque conatur suas sententias statuere ac firmare, alienis vero deferre et consentire non acquiescit : sicque fit, ut incapax éffecta salubris consilii, magis credat in omnibus suo quam seniorum judicio.

CAPITULUM XXVIII.

Quod tepefactus quis per superbiam aliis quoque cupiat præesse.

PRÆFATIS itaque pravitatibus quis semel possessus atque gradatim abductus, disciplinam cœnobii jam horrescit, et quasi a perfectione impediatur ex Fratrum consortio, aliorumque vitio ac impedimento retrahatur a patientiæ et humilitatis profectu, desiderat habitationem solitariæ cellæ; aut certe monasterium cupit construere, quasi alios plurimos lucraturus, et congregare festinat quos docere ac instruere debeat : ex discipulo nequam detestabilior magister effectus. Dum enim ex hujusmodi elatione in perniciosissimum noxiumque teporem corruerit, ita ut nec verus sit monachus, nec sæcularis : quod deterius est, promittit sibi etiam perfectionem ex hoc ipso suo miserabili statu.

CAPITULUM XXIX.

Quomodo possimus superbiam vincere, vel ad perfectionem venire.

HINC si fastigia spiritualis ædificii nostri volumus consurgere Deo placentia ac perfecta, festinemus ponere fundamenta ejus non secundum libidinis voluntatem, sed secundum districtionis evangelicæ disciplinam. Quæ fundamenta esse non possunt alia, nisi timor Dei atque humilitas, quæ ex mansuetudine et simplicitate cordis descendit. Humilitas vero in religioso nequaquam poterit absque nuditate seu paupertate acquiri. Quæ si desit, apprehendi non poterit obedientiæ bonum, nec patientiæ robur, nec mititatis tranquillitas, nec consummatio caritatis : sine quibus cor nostrum nequaquam esse poterit habitaculum Spiritus Sancti, protestante Domino per Prophetam : Super *Is.* LXVI, 2.
quem requiescet Spiritus meus, nisi super quietum et humilem, et trementem verba mea? Vel, ut habent exemplaria Hebraicam veritatem promentia : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem verba mea ?

CAPITULUM XXX.

Quomodo destructrix omnium virtutum superbia possit per veram humilitatem exstingui.

ATHLETA igitur Christi, qui spiritualem agonem legitime certans, cupit a Domino coronari, omnimode festinet exstinguere ferocissimam bestiam istam superbiæ, tanquam omnium virtutum devoratricem : certus quod si ipsa in suo pectore commoretur, non solum cunctis vitiis carere non possit, verum etiam si quid virtutis habeat, ejus veneno depereat. Nullo enim modo poterit in corde nostro virtutum structura consurgere, nisi prius jacta fuerint fundamenta veræ hu-

militatis in eo, quæ firmissime radicata valeant sustinere culmen perfectionis ac caritatis : ita ut juxta prædicta exhibeamus Fratribus nostris primo veram humilitatem intimo cordis affectu, non acquiescentes in aliquo eos contristare aut lædere. Quod nullatenus poterimus adimplere, nisi abrenuntiatio vera in exspoliatione omnium facultatum ac nuditate consistens, fundata in nobis exstiterit Christi amore; deinde obedientiæ jugum fuerit simplici corde susceptum absque omni simulatione, ita ut præter superioris et spiritualis patris mandatum nulla prorsus voluntas vivat in nobis. Quod non aliter poterit observari, nisi quis judicet se non solum sæculo huic mortuum, verum etiam insipientem ac stultum, perficiens sine ulla discussione universa quæ sibi fuerint a superioribus imperata, credens ea sancta atque divinitus promulgata.

CAPITULUM XXXI.

Remedia contra superbiam.

CONSISTENTIBUS in præfata qualitate paupertatis ac obedientiæ, consequen-
A ter præstabitur procul dubio status ille humilitatis vere tranquillus atque immobilis : ut judicantes nos ipsos omnibus inferiores, patientissime toleremus universa quæ nobis fuerint irrogata, quamvis injuriosa sint aut tristia, vel damnosa, tanquam a superioribus nostris illata. Quæ a nobis non solum facillime tolerabuntur, imo etiam parva reputabuntur ac nulla, si mente jugiter recolamus passiones Domini nostri Jesu Christi atque Sanctorum : considerantes tanto levioribus injuriis nos
B attentari, quanto remotius ab eorum conversatione meritisque distamus ; simul etiam cogitantes in brevi nos de hoc sæculo migraturos, ac futuros esse consortes Sanctorum celeri fine vitæ præsentis (hæc quippe consideratio non solum est destructiva superbiæ, sed et generaliter omnium vitiorum); insuper post hæc retinentes hanc eamdem humilitatem firmissime circa Deum. Quod ita complebimus, ut nos ipsos agnoscamus nil posse peragere sine illius ope ac gratia, quod ad virtutum
C exsecutionem consummationemque pertinet; veraciter quoque credamus, donum Dei esse hoc ipsum, quod istud intelligimus.

LIBRI PRIMI

COLLATIONUM SS. PATRUM

TRANSLATIO

D. DIONYSII PRÆFATIO

SAPIENTIA absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Quam *Eccli.* xx, 32.
desiderabilis atque salubris sit sapientia, nobis pandit Salvator, qui in actu
sapientiæ beatitudinem nostram consistere edocens : Hæc est, inquit, vita æter- *Joann.* xvii, 3.
na, ut cognoscant te verum Deum. Ideo Salomon dixit : Beatus homo qui invenit *Prov.* iii, 13.
sapientiam; et rursus, Pretiosior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ deside- *Ibid.* 15.
rantur, huic non valent comparari. Sed quum habitus ordinetur ad actum, et ipsa absconsio sapientiæ actum, seu usum aut intelligentiam ejus impediat, recte ait Scriptura sapientiam absconditam esse inutilem. Porro difficultas sive obscuritas stili est quædam absconsio sensus inclusi; idcirco utilitatem et fructum lectionis seu studii apud incapaces et simpliciores plerumque impedit et excludit. Hinc libros stilo hujusmodi exaratos interdum expediens est ad stilum planum facilemque transferri. Unde quemadmodum librum illustrissimi patris Joannis Cassiani primum, qui intitulatur Instituta sanctorum Patrum, jam transtuli stilo planissimo, ita nunc, Domino adjuvante, librum ejus secundum, videlicet primum librum Collationum sanctorum Patrum, intendo stilo transferre clarissimo : sicut ad hoc inductus sum grandi instantia Venerabilium Patrum ac Fratrum Ordinis nostri, prout in prologo præcedentis voluminis plenius recitavi. Incipiam ergo hic, sicut et ibi, a prologo.

LIBRI PRIMI
COLLATIONUM SS. PATRUM
TRANSLATIO

PROLOGUS

DEBITUM quod promisi Castori beatissimo præsuli in præfatione seu prologo libri de Institutis cœnobiorum et remediis octo principalium vitiorum (in quo libro, adjuvante Domino, de illa materia dictum est in partialibus libellis duodecim, prout tenuitas nostri ingenii poterat), hoc, inquam, debitum seu promissum videant et perpendant qui volunt, quid circa illud ponderatum sit æquo examine aut justa discussione Castoris illius aut nostri : an scilicet dignum aliquid scripsimus ibi vestra æstimatione omniumque sanctorum Fratrum affectione, in rebus tam arduis ac profundis, de quibus (ut arbitror) non sunt libri ante nos editi. Nunc autem quia præfatus episcopus nos relinquens migravit ad Christum, decrevi vobis præcipue, o beatissime præsul Leonti atque sanctissime frater Helladi, consecrandas seu describendas ac offerendas esse has decem collationes summorum Patrum, utpote anachoretarum qui in eremo Scythi morabantur : quas Castor incomparabili ardens studio sanctitatis, jusserat sibi simili describi sermone, non attendens ex vehementia caritatis quanto pondere nostras infirmas prægravaret cervices. Etenim alter vestrum, puta Leontius, memorato Castori conjunctus germanitatis affectu ac sacerdotii dignitate, et (quod his majus est) studii sancti fervore, deposcit a me hereditario jure debitum quod fratri ejus promisi. Alter, puta Helladius, aggressus est sequi instituta anachoretarum sublimia, non propria præsumptione, ut quidam, sed suggerente Spiritu Sancto ; et apprehendens legitimam viam doctrinæ pæne priusquam eam addisceret, maluit erudiri anachoretarum illorum traditionibus, magis quam adinventionibus propriis. In quibus describendis nunc aperitur pelagus infinitum mihi in portu silentii constituto, ut scilicet audeam aliquid tradere memoriæ litterarum seu scribere de institutis ac documentis tantorum virorum : quia ingenium meum agitabitur periculis navigationis

tanto profundioris, quanto major et altior est anachoresis vita cœnobitali, et contemplatio Dei conversatione actuali quæ in congregationibus exercetur, cui utique contemplationi semper intenti sunt inæstimabiles viri illi. Vestrum est ergo adjuvare orationibus piis nostros conatus, ne tam sancta materia nunc describenda sermone imperito, sed tamen fideli, periclitetur in nobis; vel certe ne nostra rusticitas obruatur ejusdem profunditate materiæ. Itaque transeamus ab exteriori atque visibili monachorum cultu, quem in libro de Institutis Patrum descripsimus, ad invisibilem interioris hominis habitum ac ornatum. De modo quoque seu forma canonicarum orationum sive
I Thess. v, 17. Horarum ascendat eloquium nostrum ad orationem illam jugem et indesinentem quam
Gen. xxvii, 36. jubet Apostolus : quatenus quicumque promeruit nomen spiritualis Jacob lectione
libri prioris ac supplantatione vitiorum carnalium, nunc etiam suscipiens instituta
Ibid. xxxii, 28. Patrum magis quam mea, transiensque respectu ac ope pietatis divinæ ad meritum et
(ut ita dixerim) ad dignitatem Israelis, instruatur similiter quid debeat observari in culmine isto perfectionis, videlicet in habitu et ornatu hominis interioris. Obtineant ergo orationes vestræ ab eo qui judicavit nos dignos visu ac discipulatu vel societate anachoretarum, ut nobis conferre dignetur plenam memoriam doctrinarum illorum, facilemque sermonem ad exprimendum easdem : ut exhibere vobis possimus sermones illorum, explicando eos tam sancte et integre sicut ab ipsis accepimus, ipsosque Patres suis institutis ac documentis quodammodo incorporando, et (quod majus est his) de prædictis Latino eloquio disputando. — Porro lectorem priorum voluminum et harum Collationum volumus ante omnia esse præmonitum, ut si forte putaverit in his aliqua impossibilia esse aut dura, ex qualitate status aut propositi sui, vel pro usu et conversatione communi, non ea mensuret ac judicet juxta suæ facultatis imperfectionisque modum, sed secundum dignitatem et perfectionem Patrum ista loquentium; denique prius concipiat studium atque propositum Patrum illorum, quoniam vere mortui sunt omni conversationi mundanæ, et liberi ab omni affectu parentum carnalium, omnique vinculo sæcularium actionum. Consideret quoque qualitatem locorum in quibus morantur, quia in vastissima solitudine constituti et ab universis hominibus separati, atque per hoc possidentes mentis illuminationem, contemplantur vel dicunt ea quæ forsitan videbuntur impossibilia inexpertis et ineruditis propter conditionem et mediocritatem consuetudinis suæ. De quibus tamen si quis voluerit veram proferre sententiam, et experiri desiderat an illa queant impleri, festinet prius suscipere ac sectari simili studio ac conversatione vitam et propositum Patrum illorum, et tunc demum deprehendet et sciet ea non solum esse possibilia, verum etiam suavissima, quæ antea sibi videbantur esse supra hominis facultatem. Nunc itaque properemus ad collationes et instituta eorum.

COLLATIO PRIMA

(Abbatis Moysis prima)

DE MONACHI DESTINATIONE ET FINE.

CAPITULUM PRIMUM.

De habitatione Scythi, et proposito abbatis Moysis.

QUUM expetissem abbatem Moysen, qui inter illos egregios flores redolebat suavius, non solum vita actuali, sed theorica quoque et contemplativa virtute, in eremo Scythi, ubi morabantur probatissimi monachorum, et omnis perfectio viguit : cupiens fundari instructione abbatis præfati, una cum sancto abbate Germano (cum quo fuit mihi tam inseparabilis habitatio, tam in cœnobio quam in eremo, ab ipso initio ac rudimentis spiritualis militiæ, ut omnes assererent unam mentem ac animam duobus inesse corporibus), ad ædificandam ac roborandam parilitatem sodalitatis nostræ atque propositi; quumque ambo simul ab abbate Moyse sermonem ædificationis peteremus cum lacrimis (scivimus namque clarissime hunc esse rigorem animi ejus, ut nequaquam acquiesceret doctrinam perfectionis aperire quærentibus, nisi postulantibus eam fideliter cum tota cordis contritione, ne videretur incurrere vitium jactantiæ proditionisve crimen, si exhiberet res necessarias passim, nolentibus aut tepide eas optantibus, quæ cognitæ esse debent solis perfectionem cupientibus cum fervore), tandem Moyses nostris precibus fatigatus, ita incepit :

CAPITULUM II.

Interrogatio abbatis Moysis, quis sit scopos seu destinatio monachi, et quis finis.

A OMNES artes ac disciplinæ habent aliquem scopon seu destinationem, ac proprium finem : ad quem respiciens appetitor et exercitator industriosus cujuslibet artis, æquanimiter sustinet ac libenter cunctos labores et occurrentia sibi pericula atque dispendia. Nam et agricola non declinat fervidos radios solis, nec glaciem nec pruinas, sed terram infatigabiliter scindit et arat, et duras agri glebas assiduo vomere frangit, dum scopon servat, id est, propositum suum attendit : ut
B scilicet terram sentibus expurgatam et ab herbis atque graminibus superfluis ac nocivis evacuatam, exercendo comminuat in modum mollis arenæ, sciens se non aliter adepturum finem, id est perceptionem frugum copiosarum et exuberantium segetum, nisi hoc exercitio operis sui, quo ipse deinceps valeat vitam securius agere, aut suam substantiam multiplicare. Denique horrea sua bladis repleta libenter evacuat, et ea libenter inserit putridis agri sulcis, non curans diminutionem præ-
C sentem intuitu et amore messium futurarum. Negotiatores quoque non timent incertos pelagi casus, nec ejus pericula perhorrescunt, dum ad finem quæstus provocantur spe lucri. Conformiter hi qui accenduntur ambitione mundialis militiæ, non advertunt peregrinationum suarum exitia atque discrimina, dum adspiciunt finem suæ potentiæ ac honorum; nec præsentibus ærumnis ac bellis franguntur, dum cupiunt adipisci finem dignitatis eis propositum.

D Habet ergo professio nostra proprium scopon ac finem suum, propter quem ex-

ercemus non solum infatigabiliter, imo et gratanter, cunctos labores. Ob quem jejuniorum afflictio nos non fatigat, sed et vigiliarum lassitudo delectat, lectio ac meditatio Scripturarum mentem nostram non satiat; incessabilis etiam labor, nuditasque et omnium facultatum privatio, jucundissime tolerantur, nec horror hujus vastissimæ solitudinis terret. Propter quem finem vos ipsi procul dubio sprevistis carnalem affectum præsentiamque parentum, ac patriam vestram atque delicias, tot regionibus peragratis, ut pervenire possetis ad nos homines idiotas ac rusticos, et in squalore eremi commorantes. Propter quod respondete mihi quæ sit destinatio vestra, vel finis qui provocat vos ad omnia ista libentissime sustinenda.

CAPITULUM III.

Responsio nostra.

QUUMQUE insisteret elicere nostram responsionem super hac quæstione, respondimus universa hæc tolerari propter regnum cœlorum.

CAPITULUM IV.

Responsio abbatis Moysis super propositione prœdicta.

AD quod ille : Bene, inquit, et prudenter respondistis de fine. Qui vero debeat esse scopos, id est destinatio, cui jugiter inhærentes valeamus attingere finem, debetis scire præ omnibus. Quumque dixissemus nos ignorare hoc, ipse adjecit : In omni, ut dixi, arte et disciplina præcedit finem quidam scopos, id est destinatio animæ, seu incessabilis intentio mentis : quam nisi quis servaverit cum omni studio perseveranter, pervenire non poterit ad finem fructus desiderati. Nam, ut dixi, agricola habens pro fine vivere secure ac copiose in abundantia fructuum, habet pro destinatione expurgare agrum suum a sentibus cunctis, eumque evacuare ab omnibus infructuosis gra-

A minibus, nec aliter confidit se adepturum opulentiam finis quieti, nisi usu et actu. Insuper negotiator non deponit a corde suo desiderium mercium emendarum, per quod possit lucro suas divitias congregare : quoniam frustra appeteret lucrum, nisi eligeret viam qua tendere posset ad illud. Et qui cupiunt promoveri certis quibusque dignitatibus hujus mundi, ante considerant et proponunt cui officio seu ordini se debeant mancipare, ut per rectam atque idoneam semitam suæ spei
B attingere queant finem dignitatis cupitæ. Ita et finis viæ nostræ est regnum Dei. Quæ vero sit destinatio inquirendum est diligenter : quia si non agnoverimus eam, frustra fatigabimur laborando, quoniam qui tendunt sine recta via, laborem habent itineris, non profectum. Ad hæc admirantibus nobis intulit senex : Finis nostræ professionis, ut diximus, est regnum Dei seu regnum cœlorum; destinatio vero est puritas cordis, sine qua nemo potest ad finem illum pertingere. Figentes ergo
C in hac destinatione intuitum nostræ mentis, dirigimus recte cursum nostrum quasi per lineam certam. Porro si cogitatio nostra paululum ab hac destinatione erraverit, recurrendo mox ad ejus intuitum, cogitationem nostram rursus recte corrigamus tanquam ad regulam quamdam seu lineam. Quæ cogitatio revocans semper omnes nostros labores ad unum hoc signum, hoc est ad destinationem seu puritatem cordis præfatam, emendat statim et corrigit, si mens nostra vel modice
D deviaret a proposita directione, seu intenta consideratione destinationis ac puritatis internæ.

CAPITULUM V.

De comparatione ejus qui sagittando conatur tangere signum.

QUEMADMODUM hi qui bellica tela tractant, dum cupiunt demonstrare artis suæ peritiam coram rege terreno, conan-

tur jacula seu sagittas defigere in parvissimam scutulam depicta in se præmia continentem, certi quod pervenire non possint ad finem præmii concupiti, nisi per suæ destinationis intentionisque lineam : quod utique præmium sortientur, quum obtinere valuerint suæ intentionis propositum, tangendo videlicet signum. Quod si intueri cessaverint, non sentient se defecisse a recta ac petita directione sagittæ, quantumcumque cassa eorum intentio aberret a tramite recto : quoniam nullum certum habent signum quo suæ B directionis probent peritiam, vel redarguant ejus errorem. Ideo quum inutiles jactus in aerem vane ejecerint, nequeunt judicare in quo aut quantum erraverint sive decepti sint, quoniam nullum signum eis ostendit quantum a recta emissione sagittæ defecerint, nec ullus intuitus instruit eos qualiter debeant deinceps corrigere aut revocare directionem et lineam artis suæ. Ita ergo et nostri propositi finis est vita æterna, secundum Apostolum, di-
Rom. VI, 22. cente eodem : Habentes quidem fructum C vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Itaque scopos seu fructus est puritas cordis, quam Apostolus non immerito nuncupavit sanctificationem, sine qua prædictus finis, utpote vita æterna, non poterit obtineri. Ac si aliis verbis dixisset : Habentes quidem scopon vestrum in cordis puritate, finem vero vitam æternam. De qua destinatione seu scopo nos docens idem Apostolus, ipsum nomen
Philipp. III, 13, 14. signanter expressit, dicendo : Quæ posteriora sunt obliviscens, ad ea vero quæ D ante sunt extendens me, ad destinationem persequor, ad bravium supernæ vocationis Domini. Quod evidentius in Græco ponitur sub hoc sensu : secundum destinationem persequor. Quasi dixisset : Ad finem cœlestis bravii pervenire studeo ac intendo hac destinatione, qua posteriora obliviscor, id est vitia anterioris ac veteris hominis. Quidquid ergo nos potest dirigere ac juvare ad hunc scopon, puta ad cordis puritatem, sectari debemus tota virtute; A et quidquid retrahit ac impedit ab eadem, vitare debemus tanquam perniciosum et noxium. Denique pro adipiscenda ac perficienda hac cordis puritate omnia agimus ac sustinemus : pro hac contemnuntur parentes, patria, dignitates, divitiæ atque deliciæ hujus mundi et universa voluptas, ut scilicet puritas cordis retineatur perpetua. Hac itaque puritate proposita et intenta, rectissime dirigentur ad eam semper actus nostri et cogitationes. Quæ si non fuerit jugiter constituta ante oculos nostræ mentis, non solum efficiet cunctos nostros labores vagos atque instabiles, et compellet eos effundi incassum et sine ullo profectu, sed etiam suscitabit cogitationes diversas ac sibi contrarias. Quia necesse est mentem non habentem quo recurrat et cui principaliter inhæreat semper, mutari per horas singulas ac momenta juxta occurrentium varietatem, atque in illum statum continuo transformari, qui primus occurrerit ex his quæ foris accidunt.

CAPITULUM VI.

De iis qui mundo renuntiantes tendunt sine caritate ad perfectionem.

HINC namque est, quod vidimus quosdam contemnentes maximas hujus sæculi facultates, nec solum talenta argenti ac auri, sed et magnificentiam prædiorum, qui tamen post hæc commovebantur pro graphio, calamo aut scalpello. Qui si stabiliter intuerentur cordis munditiam, nunquam pro parvis rebus passiones admitterent, quas ne incurrerent pro magnis pretiosissimisque opibus, maluerunt omnino abjicere eas. Præterea quidam plerumque servant tanta affectione codicem aliquem, ut non faciliter sinant eum ab aliquo legi vel tangi, et inde occasiones impatientiæ ac mortis incurrunt, unde monentur acquirere patientiæ fructum et profectum caritatis. Quum enim disperserint pro Christi amore omnes suas divitias, re-

tinentes tamen pristinum cordis affectum in minimis rebus, et pro ipsis interdum leviter irascentes, redduntur ab omnibus infructuosi ac steriles, veluti caritatem apostolicam non habentes. Quod beatus
I Cor. xiii, 3. Apostolus in spiritu prævidens, dixit : Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Unde evidenter probatur perfectionem non statim acquiri nuditate, aut omnium facultatum privatione seu dignitatum abjectione, nisi adfuerit caritas illa cujus membra seu actus describit Apostolus, quæ in sola cordis puritate consistit. Nempe quid aliud
Ibid. 4-6. est, non æmulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quærere quæ sua sunt, non gaudere super iniquitate, non cogitare malum, et reliqua quæ de caritate scribit Apostolus, nisi offerre Deo cor perfectum atque purissimum, et custodire illud a perturbationibus cunctis intactum ?

CAPITULUM VII.

De appetenda cordis tranquillitate.

OMNIA ergo gerenda, sustinenda ac appetenda sunt nobis gratia atque intuitu puritatis istius. Pro qua agnoscamus nos debere suscipere jejunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectiones, ceterasque virtutes, ut per illas conservare possimus illæsum cor nostrum ab universis passionibus noxiis, et illud Deo parare ; ad caritatis quoque perfectionem ascendere valeamus innitendo his gradibus. Interea si forte præventi occupatione aliqua necessaria aut honesta, non potuerimus adimplere solitam districtionem in exercitiis illis, non debemus propter observantias tales omissas, incidere iram, impatientiam aut indignationem, propter quarum expulsionem agendum fuit quod circa exercitia bona omisimus. Non enim
A tantum est jejunii lucrum, quantum iræ dispendium, nec tantus acquiritur fructus legendo, quantum incurritur detrimentum fratrem spernendo. Ea ergo quæ secundaria sunt, puta jejunia, vigiliæ, anachoresis seu habitatio solitaria, et meditatio Scripturarum, oportet nos exercere propter principalem scopon, id est cordis puritatem, quæ est caritas sancta, et non perturbare hanc principalem virtutem et passiones prætactas propter secundaria illa ex rationabili causa omissa : quoniam ca-
B ritate in nobis integra et illæsa manente, nil oberit si aliquid ex secundariis illis fuerit ex necessitate omissum; sicut nec proderit omnia illa fecisse, dempta hac principali virtute, cujus gratia universa sunt peragenda. Ob hoc quippe festinat quis sibi constituere seu parare instrumenta cujuslibet artis, non ut ea possideat otiosa, neque ut ponat fructum commodi quem sperat ex instrumentis acquirere, in nuda instrumentorum possessione; sed ut eorum obsequio efficaciter apprehendat,
C discat, sive exerceat peritiam artis, et finem ejus obtineat, cui instrumenta illa subserviunt. Igitur jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas atque privatio omnium facultatum, non sunt ipsa perfectio, sed perfectionis instrumenta ac media : quoniam finis disciplinæ vitæ religiosæ non consistit in ipsis, sed per ea venitur ad finem. Idcirco inaniter facit exercitia illa, qui eis tanquam summo bono contentus est, nec cordis sui intentionem defixerit altius, nec omne studium
D virtutis expenderit ad acquirendum finem propter quem appetenda sunt illa : habet enim instrumenta illius artis, sed finem ejus ignorat. Quidquid igitur potest hanc mentis nostræ puritatem ac tranquillitatem turbare, devitandum est tanquam nocivum, quamvis necessarium videatur ac utile. Hoc etenim modo poterimus evadere evagationes et dispersionem omnium cogitationum terrenarum, et desideratum attingere finem per certæ directionis lineam ac respectum.

CAPITULUM VIII.

De principali conatu circa contemplationem divinorum, et de similitudine Mariæ et Marthæ.

HIC ergo debet esse noster principalis conatus, hæc immobilis destinatio sive intentio nostri cordis jugiter affectanda, ut mens nostra inhæreat Deo ac rebus divinis. Cetera omnia quamvis sint magna, tamen sunt judicanda secundaria, aut etiam infima, vel certe nociva. Denique hujus principalis actionis figura in Evangelio pulcherrime designatur per Mariam
Luc. x, 39, 40. et Martham. Quum enim Martha deserviret ministerio utique sancto, utpote quæ Salvatori et ejus discipulis ministrabat, et Maria adhæreret pedibus Jesu, intenta tantummodo spirituali refectioni doctrinæ ipsius, cujus pedes deosculans liniebat unguento bonæ confessionis; Maria tamen
Ibid. 42. præfertur Marthæ a Christo, de qua testatur, quod ipsa meliorem elegerit partem, et eam quæ ab ea non possit auferri. Nam quum laboraret Martha pia sollicitudine ac erogatione distenta, videns se solam non posse ad ministerium tantum sufficere, postulavit a Domino adjutorium suæ
Ibid. 40. sororis, dicendo : Non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet. Et utique Martha provocavit Mariam, non ad vile opus, sed ad laudabile prorsus obsequium; et tamen quid audit a Domino? Mar-
Ibid. 41, 42. tha, inquit, sollicita es, et turbaris erga plurima; paucis vero opus est, aut etiam uno : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Videtis ergo Dominum posuisse principale bonum in virtute theorica, hoc est in contemplatione divina. Unde quamvis ceteras virtutes necessarias dicamus ac utiles, tamen secundarias ac inferiores eas esse asserimus, quoniam universæ ordinantur ad virtutem istam theoricam seu contemplationem divinam. Dominus enim dicens : Sollicita es, et turbaris erga plurima, paucis vero
A opus est, aut etiam uno; collocavit summum bonum non in vita activa, quamvis abundet opere bono ac fructibus multis, sed in sola contemplatione, quæ vere simplex ac una est. Pronuntiavit quoque paucis necessarium esse ad felicitatem perfectam, utpote illa theoria seu sapientia quæ consistit in contemplatione paucorum divinorum : per quam is qui adhuc in profectu est positus, ascendens, perveniet Domino adjuvante ad illud unum quod solum est necessarium, hoc est ad
B solius Dei intuitum; quatenus supergressus mirifica ministeria operaque Sanctorum, pascatur jam pulchritudine atque scientia, seu contemplatione Dei solius. Maria ergo bonam partem elegit, quæ non *Luc.* x, 42.
auferetur ab ea. Et hoc est diligentius intuendum. Nam quum dicit, Maria bonam partem elegit; licet taceat de Martha, et eam nequaquam vituperare intendat, tamen Mariam seu ejus partem laudando, insinuat Martham seu ejus partem esse inferiorem. Rursum quum dicitur, Quæ *Ibidem.*
C non auferetur ab ea; ostendit quod a Martha possit pars sua auferri : non enim corporale ministerium potest cum homine jugiter permanere; actum vero seu contemplationem Mariæ docet nullo fine posse finiri.

CAPITULUM IX.

Interrogatio, qualiter operatio virtutum non perseveret cum homine.

D AD hæc nos vehementer permoti respondimus : Quid ergo? auferentur a nobis labor jejuniorum, instantia lectionis, opera quoque misericordiæ et justitiæ, pietatis et humanitatis, et non permanebunt ista cum suis auctoribus? Præsertim quum Dominus repromittat operibus istis retributionem regni cœlestis, Venite, *Matth.* xxv, 34, 35.
inquiens, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere,

etc. Quomodo ergo hæc auferentur quæ introducunt factores suos in regnum cœlorum?

CAPITULUM X.

Responsio abbatis Moysis, quod cessabit earum actio, sed non merces.

RESPONDIT Moyses : Nec ego dico mercedem boni operis auferendam, quum
Matth. x, 42. idem Dominus dicat, Qui potum dederit
uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ (B) tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam; sed auferendam dico actionem quam fieri exigit corporalis necessitas, vel impugnatio carnis, aut inæqualitas seu injustitia mundi hujus. Quoniam lectionis instantia et jejuniorum afflictio exercentur utiliter in præsenti tantummodo vita, ad emundationem cordis castigationemve corporis,
Galat. v, 17. quamdiu caro adversus spiritum concupiscit. Quæ et interdum vidimus auferri etiam in præsenti ab his qui fatigati erant (C) nimio labore, aut senio, aut ægritudine corporali, nec posse ea ab homine jugiter exerceri : quanto magis hæc in futuro ces-
I *Cor.* xv, 53. sabunt, quum corruptibile hoc induerit incorruptionem, corpusque istud nunc animale surrexerit spirituale, et cœperit caro esse talis ut non amplius contra spiritum concupiscat. De quibus quoque exercitiis beatus Apostolus manifeste pronuntiat :
I *Tim.* IV, 8. Corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem (quæ sine dubio caritas intelligitur) ad omnia utilis est, promis- (D) sionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Quæ ergo dicitur ad modicum utilis esse, manifeste asseritur non posse omni tempore exerceri, nec per se solam posse perfectionem laboranti conferre. Nempe quod ait, Modicum, potest ad utrumque referri : hoc est, ad temporis brevitatem, quod scilicet exercitatio corporalis esse non possit homini coæterna tam in præsenti quam in futuro; vel certe ad parvitatem utilitatis quæ de carnali exercitati-
(A) one acquiritur, eo quod corporalis afflictio pariat quædam initia spiritualis profectus, non ipsam caritatis perfectionem, quæ promissionem habet vitæ præsentis et futuræ. Ideoque exercitia operum prædictorum necessaria esse fatemur, quoniam sine eis non potest quis ad caritatis culmen ascendere. Opera quoque pietatis et misericordiæ, de quibus dixistis, necessaria sunt tempore isto, quamdiu inter homines tanta inæqualitas dominatur, utpote opulentia et paupertas : quorum operatio nisi
(B) exspectaretur hoc loco, pars maxima infirmorum ac inopum redundaret. Et inæqualitas illa ex peccato hominum est secuta et facta, eorum videlicet qui in suos tantum vertunt et occupant usus, quæ a communi Creatore omnibus sunt concessa; nec tamen illi tenuerunt utenda. Quamdiu igitur viget in mundo inæqualitas ista, erunt opera misericordiæ utilia exercenti, promerentia bono ejus affectui piæque voluntati retributionem hereditatis æternæ. Sed in futuro sæculo,
(C) parilitate regnante, cessabunt, quum non fuerit inæqualitas propter quam hæc debeant exerceri; sed cuncti electi transibunt perpetua cordis puritate ad plenam Dei dilectionem divinarumque rerum contemplationem ab hac operatione multiplici vitæ activæ. Cui puritati elegerunt se omni conatu ac viribus mancipare, constituti adhuc in sæculo isto, hi quibus cura est insistere scientiæ salutari vel mentis emundationi : deputantes se ipsos in carne corruptibili positos illi officio, in
(D) quo corruptione deposita, æternaliter permanebunt, pervenientes ad promissionem
Salvatoris, qua dicitur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* v, 8.

CAPITULUM XI.

De caritatis perpetuitate.

UT quid miramini quod opera misericordiæ jam præfata cessabunt, quum sanctus Apostolus scribat etiam sublimio-

ra Spiritus Sancti charismata cessatura, solamque caritatem sine fine mansuram, dicendo : Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur; caritas autem nunquam excidit. Omnia namque dona quæ tribuuntur ad tempus pro usu ac necessitate vitæ præsentis, procul dubio mox cessabunt, dispensatione hominum consummata. Caritas vero nullo tempore interrumpetur, quia non solum in sæculo isto operatur in nobis utiliter, sed in futuro quoque multo efficacior excellentiorque manebit, mole seu sarcina corporeæ necessitatis abjecta, nullo unquam defectu corrumpenda, sed adhæsura ardentius atque intentius cum incorruptione perpetua.

I Cor. XIII, 8.

CAPITULUM XII.

Interrogatio de perseverantia spiritualis theoriæ.

GERMANUS : Quis ergo fragili carne circumdatus potest contemplationi sic semper esse affixus, ut nunquam cogitet de alicujus Fratris adventu, de visitatione infirmi, de opere manuum, aut certe de humanitate peregrinis vel advenientibus exhibenda? Postremo, quis non repelletur interdum a contemplatione ex provisione corporis sui aut cura? At cupimus edoceri qualiter vel in quo mens humana valeat cohærere invisibili et incomprehensibili Deo.

CAPITULUM XIII.

Responsio de directione cordis in Deum, et de regno Dei regnoque Zabuli.

MOYSES : Impossibile est homini fragilitate hac carnis circumdato inhærere jugiter Deo, atque inseparabiliter copulari contemplationi ejus, ut dicitis. Sed oportet nos scire ubi intentionem nostræ mentis debeamus habere defixam, et ad quam destinationem revocemus semper

A nostræ mentis intuitum. Quam quum mens obtinere potuerit, gaudeat, et a qua distractam se doleat ac suspiret; totiesque sentiat se a summo bono relapsam, quoties deprehenderit se ab ejus intuitu separatam : judicans momentaneum a Christi contemplatione discessum esse fornicationem. A quo dum paululum deviaverit mentis nostræ intuitus, revocemus quasi per rectissimam lineam aciem mentis, retorquentes oculos cordis ad Christum. Totum namque consistit in conversione aver-

B sioneve animæ. A qua expulso diabolo, nec vitiis in ea regnantibus, regnum Dei fundatur statim in nobis, dicente Evangelista : Regnum Dei non veniet cum observatione, neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic est; amen enim dico vobis, quia regnum Dei intra vos est. Porro intra nos nil aliud esse potest, quam scientia aut ignorantia veritatis, vel amor virtutum aut vitiorum : per quæ paramus Christo aut diabolo regnum in corde nostro. Cujus regni qualitatem describit Apostolus, di-

Luc. XVII, 20, 21.

C cens : Non enim regnum Dei est esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. Itaque si regnum Dei intra nos est, et ipsum regnum est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto; ergo qui bonis istis adhæret, sine dubio in Dei est regno. Econtrario autem qui versantur in injustitia, discordia atque tristitia mortem operante, sunt in regno diaboli, et in inferno morteque constituti.

Rom. XIV, 17.

II Cor. VII, 10.

Et revera si sublimi mentis intuitu consideremus statum illum in quo degunt

D cœlestes ac supernæ virtutes, quæ vere in regno Dei sunt, quid aliud ille status esse credendus est, quam perpetua pax ac jugis lætitia? Quid enim tam proprium tamque conveniens beatitudini, quam tranquillitas jugis et gaudium sempiternum? Insuper ut certius instruaris non mea conjectura, sed auctoritate divina verum esse quod dicimus, audi Deum apertissime describentem qualitatem et statum sæculi adfuturi : Ecce, inquit, creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memo-

Is. LXV, 17, 18.

ria priora, neque ascendent super cor, sed A gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo. Et rursus, *Is.* LI, 11. Gaudium et lætitiam obtinebunt, fugietque dolor et gemitus. Et si adhuc vultis agnoscere clarius de conversatione Beatorum, et civitate illá Sanctorum, attendite quæ a Deo dicantur ad ipsam supernam *Ibid.* LX, 17-20. Jerusalem : Et ponam, ait, visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam; non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis; et occupabit salus muros tuos, et portas tuas B laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Ideoque beatus Apostolus non dixit generaliter neque simpliciter omne gaudium esse regnum Dei, sed signanter ac specialiter illud solum quod est in Spiritu Sancto. Noverat quippe esse C et aliud vituperabile gaudium, de quo fer- *Joann.* XVI, 20. tur : Mundus gaudebit; et, Væ vobis qui *Luc.* VI, 25. ridetis, quia plorabitis. Sane regnum cœlorum tripliciter sumitur : primo pro his in quibus regnaturi sunt cœli, id est, Sancti qui regnant in subditis suis, secundum *Ibid.* XIX, 17, 19. illud in Evangelio, Esto tu super quinque civitates, et tu super decem; et unde Chri- *Matth.* XIX, 28. stus dixit Apostolis, Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Secundo, regnum cœlorum sunt ipsi cœli seu Sancti, quum incipiunt a Christo D regnari : quum scilicet omnibus ei subje- *I Cor.* XV, 28. ctis, cœperit Deus esse omnia in omnibus. Tertio, ipsi cœli in quibus Sancti sunt cum Domino regnaturi.

CAPITULUM XIV.

De animæ perpetuitate.

QUAMOBREM unusquisque nunc vivens in corpore, sciat se in futuro deputandum regno aut ministerio ejus cujus participem et cultorem præbuerit semetipsum in hac vita; nec ambigat se futurum consortem illius in perenni sæculo illo venturo, cui maluerit se nunc ministrum sociumque præbere, juxta sententiam Christi dicentis : Si quis mihi ministrat, me se- *Joann.* XII, 26. quatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Quemadmodum namque regnum diaboli obtinetur per similitudinem vitiorum, sic regnum Dei possidetur per exercitationem virtutum, puritate cordis ac spirituali scientia. Ubi autem regnum Dei, ibi procul dubio vita æterna; et ubi regnum diaboli, ibi mors est et infernus. In quo qui fuerit, Deum laudare non potest, juxta Prophetam dicentem : Non mor- *Ps.* CXIII, 17, 18. tui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum; sed nos (inquit) qui vivimus, benedicimus Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum. Non *Ps.* VI, 6. enim est in morte qui memor sit ejus; in inferno autem peccati quis confitebitur Domino? Id est, nemo. Nemo enim quum peccat, confitetur Deum, etiam si millies profiteatur se christianum aut monachum. Nullus ea committens quæ Dominus detestatur, reminiscitur ejus; nec vere confitetur se servum illius, cujus contemnit præcepta mente superba. In qua morte Apostolus pronuntiat esse viduam quæ in deliciis vivit : Vidua (inquiens) quæ in de- *I Tim.* V, 6. liciis est, mortua est. Sunt igitur multi qui in corpore isto viventes, sunt mortui, et qui in inferno jacentes, Deum laudare non possunt. Econtrario sunt qui corporaliter defuncti, Deum suum benedicunt ac laudant, secundum illud : Benedicite, spi- *Dan.* III, 86. ritus et animæ justorum, Domino; et, Om- *Ps.* CL, 6. nis spiritus laudet Dominum. In Apocalypsi quoque animæ occisorum dicuntur *Apoc.* VI, 9, 10. non solummodo Deum laudare, sed etiam interpellare. Denique in Evangelio Dominus evidentius ait ad Sadducæos : Non *Matth.* XXII, 31, 32. legistis quod dictum est a Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? non est Deus mortuorum, sed viventium. Omnes enim illi vivunt, de quibus et Apostolus loquitur :

Hebr. xi, 16. Propter quod non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem. *Luc. xvi.* Evangelica item parabola de paupere Lazaro et de divite purpurato prolata, ostendit quod mortui post recessum a corpore non sint otiosi, nec absque sensatione : quoniam pauper ille obtinuit beatissimam sedem, seu Abrahæ sinum, dives vero exuritur intolerabili ignis æterni ardore.

Si autem et illud quod dictum est ad *Ibid. xxiii, 43.* latronem : Hodie mecum eris in paradiso, attendamus, quid aliud manifeste significat, quam in animabus a corpore separatis B non solum manere pristinos intellectus, sed etiam perfrui eas congrua retributione juxta qualitatem meritorum actuumque suorum? Hoc etenim Dominus nequaquam promisisset latroni, si scivisset animam ejus post separationem a corpore sensu privandam, vel in nihilum resolvendam : non enim caro, sed anima ejus ingressura fuit cum Christo in paradisum. Interea præcavenda, et toto horrore detestanda est illa hæreticorum distinctio, qui dum non credunt Deum potuisse esse in paradiso C eodem die quo in infernum descendit, ita distinguunt, seu punctuant : Amen dico tibi hodie, atque interposita punctuatione hac ipsa, subjungunt, mecum eris in paradiso. Quatenus ista promissio intelligatur non statim impleta post Christi passionem, sed post ipsius resurrectionem ; non intelligentes quod Christus ante suam resurrectionem protulit ad Judæos, qui eum credebant concludi ac terminari humanis angustiis infirmitateque carnis, sicut con- *Joann. iii, 13.* cludebantur et ipsi : Nemo ascendit in D cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Ex quo manifeste probatur, animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, imo nec affectibus istis, videlicet spe, tristitia, gaudio, metu, carere, et eas modo incipere prægustare quædam eorum quæ eis reservantur in finali ac generali illo examine; nec resolvi eas in nihilum secundum infidelium quorumdam errorem, sed electas vivacius subsistere, Deique laudibus inten- A sius inhærere. Et revera ut sequestratis paulisper testimoniis Scripturarum, disputemus breviter aliqua juxta mediocritatem nostri ingenii de natura animæ rationalis, nonne ultra totius ineptiæ ac erroris, non dicam fatuitatem, sed insaniam est, vel leviter suspicari pretiosiorem hominis partem, in qua, secundum Apostolum, consi- *I Cor. xi, 7; Coloss. iii, 10.* stit imago Dei et similitudo ipsius, insensibilem fieri deposita sarcina corporali : quæ pretiosior pars totam vim rationis in se continens, facit mutam et insensibilem carnis materiam participatione sui esse sensibilem? Quum utique consequens sit, et ordo rationis hoc ipsum contineat et concludat, ut mens humana exuta carnali pinguedine qua nunc hebetatur, vires suas intellectuales reparet ac restauret in melius, easque recipiat puriores ac subtiliores, potius quam amittat.

Id quoque quod dicimus, sanctus Apostolus in tantum verum esse cognovit, quod optavit a carne dissolvi, ut separatione ejus copularetur Deo stabilius, dicens : Desiderium habeo dissolvi, et esse cum *Philipp. i, 23.* Christo, multo enim melius, quia dum su- *II Cor. v, 6.* mus in corpore, peregrinamur a Domino ; et idcirco audemus, et bonam voluntatem *Ibid. 8, 9.* habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum : propterea contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi; commorationem animæ in carne mortali asserens esse peregrinationem a Domino, absentiamque a Christo, separationem vero et discessum animæ ab hac carne confidens tota credulitate esse præsentiam beatam cum Christo. Et evidentius iterum ait idem Apostolus de hoc vivacissimo animæ statu : Accessistis ad *Hebr. xii, 22, 23.* Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et ad multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, et spiritus justorum perfectorum. De quibus spiritibus in alio loquitur loco : Dein- *Ibid. 9.* de patres carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos ; non multo magis subjiciemur Patri spirituum, et vivemus?

CAPITULUM XV.

De contemplando Deo.

CONTEMPLATIO Dei multis modis concipitur. Nam Deus cognoscitur non sola admiratione incomprehensibilis suæ substantiæ in se ipsa, quod tamen in spe promissionis adhuc exstat absconditum, sed etiam intelligitur magnitudine creaturarum suarum, vel consideratione suæ justitiæ, vel auxilio dispensationis quotidianæ: quando videlicet mente purissima intuemur quæ egerit per singulas generationes cum Sanctis suis, dumque trementi corde miramur ipsius potentiam, qua universa gubernat, moderatur, ac regit, atque immensitatem scientiæ ejus, et oculum quem secreta cordium latere non queunt; dum cogitamus ei cognita esse ac dimensa arenam maris numerumque undarum, dum obstupescentes contemplamur scientiæ ejus adsistere ac patere guttas pluviarum, dies et horas sæculorum, præterita, præsentia, et futura. Dum insuper cum quodam admirationis excessu intuemur ineffabilem ejus clementiam, qua indefessa longanimitate sustinet innumerabilia flagitia quæ in ejus conspectu committuntur per singula quæque momenta; vocationem quoque qua nos per gratiam suæ miserationis attraxit nullis præcedentibus meritis nostris, et occasiones salutis quas tribuit adoptatis*, et quod ita nos nasci præcepit, ut ab ipsis cunabulis traderetur nobis gratia et legis suæ notitia; quod ipse adversarium vincens in nobis, munerat nos felicitate æterna atque perpetuis præmiis pro solo bonæ voluntatis assensu. Quum postremo speculamur dispensationem incarnationis suæ quam pro nostra suscepit salute, ac mirabilia mysteriorum suorum, quæ in cunctis gentibus dilatavit. Sunt autem et aliæ hujusmodi contemplationes innumeræ, quæ in nostris cordibus oriuntur juxta vitæ qualitatem cordisque puritatem, quibus Deus mundis videtur adspectibus, vel tenetur. Quas nullus incessabiliter tenuit, in quo adhuc aliquid carnalium affectuum vivit, quoniam Dominus dixit: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet. Exod. xxxiii, 20.

* adoptandis

CAPITULUM XVI.

Interrogatio de cogitationum mobilitate.

GERMANUS: Quid ergo est, quod superfluæ cogitationes ita subtiliter ac latenter inhærent nobis nolentibus, imo et nescientibus, ut non solum difficile sit eas expellere, sed etiam intelligere ac deprehendere? Potestne ergo mens ab istis aliquando vacua reperiri, et nunquam hujusmodi illusionibus incursari?

CAPITULUM XVII.

Responsio, quid mens possit super statu cogitationum, et quid non possit.

MOYSES: Impossibile est mentem cogitationibus non pulsari sive adiri, suscipere vero eas sive respuere, omni studenti possibile est. Quemadmodum ergo ortus cogitationum non pendet omnino a nobis, ita in nobis consistit probatio sive electio earumdem. Nec tamen ex eo quod diximus impossibile esse mentem cogitationibus non adiri, totum attribuendum est incursui, aut illis spiritibus qui nituntur eas ingerere nobis; alioqui liberum arbitrium non maneret in homine, nec esset in nobis propriæ reprehensionis industria. Sed nostrum est magna ex parte, ut cogitationum qualitas emendetur, et vel sanctæ et spirituales cogitationes, vel terrenæ atque carnales crescant in cordibus nostris. Idcirco interdum adhibetur lectio frequens, et jugis meditatio Scripturarum, ut exinde præbeatur nobis occasio spiritualis memoriæ. Ideo decantatio celebris Psalmorum apponitur, quatenus assidua compunctio nobis in hoc ministretur. Hinc vigiliarum, jejuniorum et orationum sedulitas assumi-

tur, ut extenuata et subtiliata mens sapiat A non terrena, sed contempletur cœlestia. Quibus rursus ex negligentia nostra repente cessantibus, necesse est ut mens, vitiorum squalore injecta, mox ad carnalia inclinetur et corruat.

CAPITULUM XVIII.

Comparatio aquariæ molæ ac animæ.

QUOD exercitium cordis circa cogitationum approbationem seu repulsionem, molendinis recte assimilatur, quæ B ab opere ipso cessare non valent, quando circumvolvuntur aquarum impulsu, quoniam præceps cursus undarum impetu suo movet ea in gyro; porro in potestate molendinarii situm est, an molat triticum, an hordeum, an certe zizania. Illud quippe procul dubio moletur, quod molendino ab ipso imponitur cui commissa est illius operis cura. Ita mens per vitæ præsentis incursus circumagitur undique et movetur torrente seu abundantia in- C gruentium tentationum, nec potest vacua esse ab æstibus cogitationum; sed ad industriam diligentiæ ejus ac studii spectat, quales cogitationes debeat admittere sive assumere, ac sibi parare. Si enim, ut diximus, jugiter recurramus ad meditationem Scripturarum sanctarum, nostramque memoriam erigamus ad recordationem spiritualium rerum, ad desiderium quoque perfectionis et spem futuræ felicitatis, necesse est ut cogitationes spirituales inde exortæ, faciant mentem nostram immorari D his quæ fuimus meditati. Si vero victi desidia aut negligentia, occupemur vitiis et confabulationibus otiosis, aut implicemur curis mundanis sollicitudinibusque superfluis, consequenter cogitatio inde nata, tanquam quædam zizaniorum species infructuosa, ministrabit cordi nostro operationem nocivam, et juxta sententiam
Matth. VI, 21. Salvatoris : Ubi fuerit thesaurus operum nostrorum aut nostræ intentionis, ibi et cor nostrum necessario stabilietur.

CAPITULUM XIX.

De tribus cogitationum nostrarum principiis.

HOC quoque præ omnibus scire debemus, tria esse principia cogitationum nostrarum : quia aut sunt ex Deo, aut ex diabolo, aut ex nobis. Ex Deo sunt, quum Spiritus Sanctus sua illustratione nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, et quando castigat aut corripit nos saluberrima compunctione de hoc quod minus profecimus, vel desidiose agendo devicti sumus; sive dum reserat nobis sacramenta cœlestia, et propositum nostrum ac voluntatem ad meliores actus convertit. Sicut dum rex Assue- *Esther* VI, 1.
rus instigatus a Deo, fecit sibi legi libros annales, quibus recordatus beneficia Mardochæi, exaltavit illum summo honore, ac protinus revocavit crudelissimam sententiam de Judæorum interfectione prolatam. Unde et Propheta commemorat : Audiam *Ps.* LXXXIV, 9.
quid loquatur in me Dominus Deus. Hinc et Zacharias testatur : Dixit angelus qui *Zach.* I, 19.
loquebatur in me. Itemque, quum Filius Dei promittit se venturum cum Patre, et *Joann.* XIV, 23.
mansionem se esse facturum nobiscum; et rursus, Non enim vos estis qui loquimini, *Matth.* X, 20.
sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Paulus quoque : An experimentum, *II Cor.* XIII, 3.
inquit, quæritis ejus qui loquitur in me Christus ? Præterea ex diabolo cogitatio oritur, dum nos conatur subvertere vitiorum delectatione aut occultis insidiis, ostendens et proponens mala sub specie boni, subtilissima calliditate. Unde refert Evangelista : Cœna facta, quum diabolus *Joann.* XIII, 2.
jam misisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ, ut traderet Dominum; et iterum, Post *Ibid.* 27.
buccellam introivit in eum Satanas. Sic et beatissimus Petrus dixit ad Ananiam : Quare tentavit Satanas cor tuum, mentiri *Act.* V, 3.
te Spiritui Sancto ? Ad hoc etiam pertinet illud quod in Evangelio, multoque ante per Ecclesiasten prædictum est : Si spiri- *Eccle.* X, 4.
tus potestatem habentis ascenderit super

te, locum tuum ne dimittas. Illud quoque quod tertio Regum dicitur Deo contra Achab : Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Denique ex nobis oriuntur cogitationes, dum naturaliter recordamur eorum quæ gerimus aut gessimus, sive audivimus. De quibus beatus David locutus est : Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui; et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercebar, et scopebam spiritum meum; et iterum, Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Unde et in Evangelio Dominus loquitur Pharisæis : Quid cogitatis mala in cordibus vestris ?

III *Reg.* XXII, 22. — *Ps.* LXXVI, 6, 7. — *Ps.* XCIII, 11. — *Matth.* IX, 4.

CAPITULUM XX.

De discernendis cogitationibus ad similitudinem probabilis trapezitæ et nummularii.

HANC igitur triplicem distinctionem principiorum cogitationum nostrarum oportet nos semper pensare, atque sagaci discretione discutere universas cogitationes quæ exsurgunt in nobis, indagando in primis origines, causas, et auctores earum, ut considerare possimus ex qualitate eorum qui suggerunt eas, quales debeamus nos eis præbere. Hoc itaque nos facere oportet, ut juxta Dei præceptum efficiamur probabiles trapezitæ, quorum summa ars atque peritia est : probare quodnam sit aurum vere purissimum (quod vulgariter appellatur obryzum), et quod sit ab igne purgante minus excoctum; ex prudentissima quoque discretione non falli, si vilis denarius aut pretiosum numisma remittatur sub colore auri fulgentis; nec tantum sapienter agnoscere numismata ostendentia facies tyrannorum, sed etiam illa quæ sunt figurata veri regis imagine, non tamen legitime, peritia subtiliori discernere; deinde diligenter inquirere judicio trutinæ seu stateræ an aliquid justi ponderis desit illis. Quæ omnia nos quoque debere spiritualiter observare docet evangelicus sermo sub nominis hujus exemplo.

Cf. *Matth.* XXII, 19-21.

Primum, ut quidquid in cordibus nostris subrepserit, vel si doctrina aliqua fuerit immissa, diligentissime perscrutemur an sit purgatum divino cœlestique igne Spiritus Sancti, an potius ad superstitionem spectet Judaicam, vel an oriatur ex tumore sæcularis et naturalis philosophiæ. Quod poterimus adimplere, si faciamus quod ait Joannes apostolus : Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. Juxta hunc modum decepti sunt, qui post professionem monasticam, attracti ac delectati sunt venustate sermonis, et philosophicis dogmatibus quæ ipsi prima facie audientes ac recipientes sub quibusdam sensibus piis religionique consonis, tanquam fallentis auri fulgoribus sunt decepti. Nam illa efficiunt jugiter nudos ac miseros, eos quos semel sibi alliciunt, tanquam deceptos numismatibus falsis ac æreis : revocant enim eos ad strepitum sæculi, aut pertrahunt eos ad errores hæreticos præsumptionesque tumidas. Quod etiam legimus in libro Josue fuisse perpessum ipsum Achan, qui de spoliis Jericho auream regulam cupiens ac furatus, meruit anathemate percuti, atque æterna morte damnari : non pœnituit vere.

I *Joann.* IV, 1. — *Josue* VII, 21, 25.

Secundo nos convenit considerare sollicite, ne prava interpretatio applicata auro Scripturarum purissimo, fallat nos vana pretiositate. Quod etiam callidissimus hostis tentavit facere Salvatori tanquam simplici homini, malevola interpretatione corrumpens ea quæ intelligenda sunt generaliter de ceterorum omnium personis justorum, volens ea specialiter illi aptare qui non indiguit angelorum custodia, dicens eidem : Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; subvertens pretiosa Scripturarum eloquia allegatione versuta, eaque detorquens ad contrarium et noxium sensum, ut nobis

Ps. XC, 11, 12.

objiciat et proponat imaginem tyrannici vultus sub colore auri fallentis. Vel dum nos conatur illudere, admonens aliquod opus pietatis optandum et exercendum, quod non procedens de legitima seniorum moneta seu discretione, ducit ad mortem sub colore virtutum. Vel dum decipit nos immoderatis jejuniis, aut vigiliis nimiis, vel orationibus inordinatis, seu lectione incongrua, ac trahit ad noxium finem; aut certe dum persuadet exhibere aliis intercessiones visitationesque pias, quibus excutiat nos a spiritualibus monasterii cellulis et a secreto caræ quietis. Suggerit quoque suscipere curas religiosarum desolatarumque feminarum, quatenus monachum talibus laqueis insolubiliter irretitum, distendat et vagum efficiat perniciosarum occupatione curarum; vel instigat desiderare sanctum clericatus officium, sub prætextu ædificationis multorum et spiritualis lucri amore, per quod nos avellat ab humilitate ac districtione hujus vocationis.

Quæ micant tanquam numismata summi regis, quia ad præsens videntur pietate repleta; sed non sunt figurata a legitimis nummulariis, id est probatis atque catholicis Patribus, nec procedunt de officina eorum principali ac publica, sed furtim fabricata dæmonum fraude, ingeruntur ignorantibus et indoctis non sine detrimento eorum. Quæ quamvis necessaria atque utilia videantur ad præsens, tamen si incipiant esse contraria soliditati, et debilitare totum corpus nostri propositi, salubre est et ea abjici, et abscidi tanquam membrum scandalizans (Matth. v, 30), quamvis aliunde tam necessarium ut videatur agere officium dexteræ manus aut pedis. Melius namque est absque membro, id est operatione unius præcepti, cetera opera manere sana ac firma, et quasi debilem intrare in regnum cœlorum (Ibid. xviii, 8), quam cum soliditate seu actu mandati cujusque incidere aliquod scandalum, quod nos abstractos a regula districtionis atque a disciplina arrepti propositi, perducat consuetudine

A perniciosa in tale dispendium, quod faciat omnes fructus nostros præteritos, totumque corpus operationis nostræ, concremari igne gehennæ, utpote non compensans detrimenta seu spiritualia damna ex ipso futura. Denique de deceptionibus istis etiam in libro Proverbiorum eleganter exprimitur : Sunt viæ quæ videntur rectæ esse, novissima autem earum venient in profundum inferni (Prov. xiv, 12; xvi, 25); et iterum, Malignus nocet quum se miscuerit justo (Ibid. xi, 15, juxta LXX); id est, Zabulus decipit, quum se tegit sanctitatis colore. B Odit autem diabolus sonum tutelæ, id est discretionis virtutem, quæ de verbis et exhortationibus procedit seniorum.

CAPITULUM XXI.

De illusionibus abbatis Joannis.

In quo etiam novimus nuper illusum abbatem Joannem, qui commoratur Lyci. Quum enim corpore suo exhausto ac debilitato, distulisset refectionem biduano C jejunio, veniens diabolus in figura tetri Æthiopis, atque provolutus ad genua Joannis, dixit ei ad refectionem accedenti die sequenti : Indulge mihi, quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque ille vir tantus et in discretionis virtute perfectus, intellexit se calliditate diaboli circumventum sub colore abstinentiæ incongruenter exercitatæ, ac tali confectum jejunio, ut superponeret fatigato corpori suo afflictionem non necessariam, imo etiam spiritui suo nocivam : illusus falso numismate, D dum in jejunio illo immoderato veneratus est veri regis imaginem, parum discutiens an esset legitime figuratum.

Præterea ultima consideratio hujus probabilis trapezitæ, quæ est de inquisitione ponderis, ita implebitur : si omne quod cogitatio nostra suggerit nobis esse gerendum, recto scrupulo retractemus, et in statera nostri pectoris collocemus examinatione justissima, perpendentes an sit plenum honestate communi, et grave timore Dei, ac integrum sensu; an potius leve sit os-

tentatione humana aut aliqua novitatis præsumptione, an gloria vana non minoraverit sive abstulerit pondus meriti ejus. Sicque trutinantes examine publico, id est, conferentes ea ad actus et testimonia Prophetarum et Apostolorum, teneamus ea tanquam damnosa et imperfecta, a metallorum pondere dissona, id est a gravitate virtutum deficientia.

CAPITULUM XXII.

De quadruplici discretione.

ERIT ergo discretio ista necessaria nobis secundum modum quadripartitum prædictum : ut primo, nos non lateat materia auri veri aut apparentis seu simulati; secundo, ut reprobemus cogitationes tanquam adulterina numismata, quæ persuadent bona esse quæ mala sunt, utpote quæ non signata legitime, continent falsam regis nostri imaginem; tertio, ut similiter refutare possimus illa quæ in auro pretiosissimo Scripturarum non præferunt vultum veri regis, sed tyranni, ex vitiosa atque hæretica expositione; quarto, etiam recusemus ea quorum pondus ac pretium ærugo vanitatis corrodens, non sinit ea adæquari actibus seniorum : ideo tanquam numismata levia ac damnosa et minus valentia sunt vitanda, ne corruentes in id quod ex præcepto Christi tenemur vitare, privemur universis meritis atque stipendiis laborum actuumque nostrorum; nam
Matth. VI, 19. ait, Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Quidquid enim intuitu gloriæ humanæ fecerimus, hoc juxta Christi sententiam in terra thesaurizamus : sicque sciamus illud tanquam in terra reconditum seu defossum, esse a diversis dæmoniis destruendum, aut consumendum edaci ærugine gloriæ vanæ, aut taliter devorandum tineis superbiæ, ut recondenti seu operanti in nullo proficiat. Omnes igitur recessus cordis nostri sunt jugiter perscrutandi, ascendentiumque in
A eos vestigia sunt indagatione prudentissima retractanda, ne forte aliqua intellectualis bestia, ut leo aut draco ibi pertransiens, latenter impresserit perniciosa vestigia, per quæ præbeatur accessus etiam ceteris talibus bestiis in secreta pectoris nostri per negligentiam cogitationis. Taliter ergo exercentes et colentes terram cordis nostri per singulas horas ac momenta evangelico aratro, hoc est jugi recordatione passionis dominicæ, poterimus eradicare ex nobis cubilia noxiarum fera-
B rum, latibula quoque venenatorum serpentium, id est diversa genera vitiorum.

CAPITULUM XXIII.

De sermone doctoris secundum dispositionem et meritum audientium.

AD hæc senex obstupefactos nos intuens, insatiabilique ardore succensos ad verba suæ narrationis, suspenso paulisper
C sermone pro admiratione desiderii nostri, rursus adjecit : Quia, o filii, sedulitas vestra nos provocavit ad disputationem tam longam, et ignis amoris subministrat nostræ collationi, merito desiderii vestri, sensus ferventiores, ut ex hoc ipso manifeste conspiciam vos sentire ac sitire veraciter doctrinam perfectionis : volo vobis adhuc pauca disserere de eminentia et gratia discretionis (quæ inter cunctas virtutes tenet primatum ac arcem), demonstrando excellentiam ejus non solum quotidianis
D exemplis, sed antiquis quoque Patrum collationibus atque sententiis. Frequenter etenim memini me nequaquam potuisse instruere postulantes me talem sermonem cum fletu et gemitu, etiam dum cuperem satisfacere eis, sed ita in me defecisse non tantummodo intellectum, sed etiam verbum, ut non invenirem qualiter vel cum quali consolatione dimitterem illos. Ex quibus indiciis evidenter cognoscitur Deus gratis adspirare sermonem loquentibus pro audientium merito et affectu.

Interea, quia sermonem de discretione non valemus complere in brevissimo isto quod restat spatio noctis, reservemus plenum ordinem hujus sermonis examini integro futuræ diei aut noctis; et modicum quod superest noctis, deputemus quieti corporeæ, cui necesse est totum persolvi, si id quod modicum est fuerit ei indiscrete negatum. Decet namque optimos discretionis inquisitores in hoc primum ostendere suæ mentis industriam, atque indicio isto et patientia hac probare utrum capaces sint aut esse possint discretionis, ut de virtute illa tractantes quæ moderationis est mater, nequaquam incurrant vitium nimietatis ei contrarium, effectu et opere violantes vim et naturam ejus quam verbis extollunt. In hoc igitur primitus prosit nobis virtus discretionis, de qua indagare disponimus quantum concesserit Dominus, ut nos qui de excellentia ejus ac moderamine loquimur, non permittat excedere modum vel tempus disputationis : nam moderatio primo ac maxime competit discretioni.

Sic beatus Moyses collationi finem im- A ponens, hortatus est nos adhuc avidos et de ore suo pendentes, degustare paulisper somnum : admonens nos incubare eisdem sedibus super quas sedimus, supponens nostris capitibus loco cervicalium crassiores papyros seu juncos, coaptatos in longos gracilesque fasciculos. Quæ pariter colligata intervallo pedali, præstant Fratribus in synaxi sedentibus sedile humillimum loco scabelli, eisdemque Fratribus præbent fulcimentum tractabile, aptum, non nimis durum, ad dormi- B endum. Ad quos usus monachorum illa idcirco sunt maxime opportuna et congrua, quia non solum sunt aliqualiter mollia, parvoque pretio et opere modico fiunt, utpote ex papyro passim crescente per ripas fluminis Nili; sed etiam quoniam habilis sunt materiæ ac levis naturæ ad movendum ac removendum, quum fuerit opportunum. Sicque tandem ex præcepto senis dedimus nos ad somni degustationem; quiete nobis molesta, tam inflammatis gaudio collationis digestæ, quam C suspensis exspectatione disputationis seu collationis promissæ.

COLLATIO II

(Abbatis Moysis secunda)

DE DISCRETIONE.

CAPITULUM PRIMUM.

Procœmium abbatis Moysis de gratia discretionis.

GUSTATO itaque matutino sopore, quum de ortu auroræ gaudentes, cœpissemus promissam collationem deposcere, beatus Moyses ita exorsus est : Quum videam vos tanto desiderii fervore accensos, ut non putem ad requiem vestri corporis profecisse brevissimum illud noctis spatium, quod spirituali collationi subtraxi, et B repausationi deputavi corporis vestri, major quoque sollicitudo incumbit mihi hunc vestrum fervorem consideranti, quia necesse est me in persolvendo debitum habere curam devotionis tanto majorem, quanto vos video id attentius postulare, Prov. xxiii, 1, 2, juxta LXX. juxta illam sententiam : Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi, et immitte manum tuam, sciens quia talia oportet te præparare. Quamobrem dicturi de bono discretionis et ejus virtute, in quam sermo no- C cturnæ collationis ingressus, fecit finem disputationi eidem, congruum credimus declarare excellentiam discretionis primo Patrum sententiis, ut quum patuerit quid majores nostri de ea senserint aut pronuntiaverint, retractemus utilitates et commoda ejus, ut possumus, tam allegatis antiquorum sententiis, quam recensitis seu commemoratis casibus atque exitibus diversorum, qui pernicioso dejecti sunt lapsu, pro eo quod discretionem minus fuerant assecuti : quibus discussis, etiam D instruamur qualiter eam excolere atque

A expetere debeamus, considerantes dignitatem meriti ejus ac gratiæ.

Est enim discretio non mediocris virtus, nec comprehendi passim potest humana industria, nisi fuerit divina largitate collata. Quoniam inter nobilissima dona Spiritus Sancti legimus etiam hanc numerari : Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu; et post pauca, Alii discretio spirituum. I Cor. xii, 8-10. B Deinde completo omni catalogo spiritualium charismatum subdit : Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult. Ibid. 11. Videtis ergo munus discretionis non esse parvum neque terrenum, sed divinæ gratiæ maximum præmium. Quam nisi monachus tota intentione fuerit assecutus, et certam rationem possederit spiritualium apprehensionum ac cogitationum in se ascendentium, necesse est eum errare tanquam in cæca nocte ac tenebris, nec solum in- C cidere perniciosas foveas ac prærupta, sed etiam in planis rectisque viis frequenter offendere seu peccare.

CAPITULUM II.

Quid discretio conferat monacho; et disputatio abbatis Antonii super hoc.

MEMINI igitur quondam seniores convenisse ad S. Antonium ad inquirendum de perfectione, in partibus Thebai- D dis, ubi morabatur Antonius, quum essem constitutus adhuc in pueritiæ annis. Quum-

que collatio fuisset protracta, quæstio ista maximam noctis partem consumpsit. Nam diutissime quærebatur, quæ virtus vel observantia possit monachum semper custodire illæsum a laqueis deceptionibusque diaboli, vel certe provehere ac perducere eum recto tramite firmoque gressu ad culmen perfectionis. Quumque unusquisque proferret sententiam suam juxta mentis suæ æstimationem, et alii adscriberent hoc studio jejuniorum ac vigiliarum, quia videlicet mens his extenuata, et puritatem cordis ac corporis assecuta, Deo facilius uniretur; alii vero adscriberent hoc contemptui omnium facultatum, a quibus si mens penitus nudaretur, expeditius perveniret ad Deum, tanquam nullis laqueis eam deinceps retinentibus ac retrahentibus impedita; alii autem dicerent anachoresim hoc ipsum peragere, id est remotiorem habitationem eremique secreta, in quibus potest homo Deum familiarius invocare, et ei peculiarius inhærere; nonnulli vero adscriberent hoc operibus pietatis, quoniam Dominus in Evangelio specialius repromittit daturum se his regna cœlorum, dicendo : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. *Matth.* xxv, 34. 35.

Quumque hoc modo assererent diversis virtutibus certiorem patere accessum ad Deum, et maximum tempus noctis esset in hac inquisitione consumptum, intulit tandem beatus Antonius : Omnia quæ dixistis, necessaria atque utilia sunt desiderantibus Deum, et cupientibus venire ad eum; sed innumerabiles casus et experimenta multorum nequaquam permittunt nos principalem gratiam et efficientiam illam adscribere istis. Nam sæpe vidimus eos qui jejuniis et vigiliis acerrime inhæserunt, solitudinis quoque secreta penetraverunt, et omnia sua sic reliquerunt quod nec unius diei sibi reservarent victum, nec paterentur unum sibi denarium superesse, qui etiam opera misericordiæ cum ingenti compleverunt devotione, ita repente esse deceptos, quod opus inceptum non potuerint fine laudabili terminare : imo summum fervorem et virtuosam conversationem detestabili termino concluserint. Idcirco manifeste cognoscere possumus quid principaliter ducat ad Deum, si causa ruinæ ac deceptionis illorum fuerit diligenter indagata a nobis. Nempe quum illi abundarent in prædictarum virtutum operibus, tamen usque ad finem non manserunt in eis, quoniam sola discretio defuit ipsis. Non enim invenitur alia causa lapsus eorum, nisi quod minus a senioribus informati, vim discretionis adepti non sunt. Quæ utique discretio utramque extremitatem excessivam devitans, docet monachum regia via semper incedere, nec permittit eum dextera virtutum extolli, id est per fervoris excessum transcendere modum continentiæ justæ inepta præsumptione; nec sinit eum remissione aut tepiditate delectari, sicque deflectere ad peccata sinistræ, hoc est, sub colore regendi corpus laxari torpore cordis contrario. Hæc namque discretio nuncupatur in Evangelio oculus lucernaque corporis, juxta illam sententiam Salvatoris, Lucerna corporis tui est oculus tuus : quod si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. *Matth.* vi, 22, 23. Discretio etenim universas hominis cogitationes et operationes discernens, perspicit et illustrat quæcumque agenda sunt. Quæ si in homine fuerit nequam, id est non munita vero judicio atque scientia, sed errore ac præsumptione decepta, faciet totum corpus nostrum tenebrosum, id est, totam aciem mentis et actus nostros reddet obscuros, utpote involutos cæcitate vitiorum ac tenebris passionum et perturbationum. Unde ait Salvator : Si enim lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Ibid.* 23. Certum est enim quod judicio cordis nostri errante, et nocte ignorantiæ dominante, cogitationes quoque nostræ ac opera quæ ex rationis deliberatione pro-

cedunt, implicentur tenebris vitiorum majoribus.

CAPITULUM III.

De errore Saulis et Achab, qui per indiscretionem decepti sunt.

DENIQUE ille qui judicio Dei primus promeruit regnum populi Israel, dejectus est regno quoniam oculum discretionis hujus non habuit, tanquam toto corpore tenebrosus. Dumque ex hujus lucernæ defectu deceptus est errore ac tenebris, putavit sacrificia sua Deo esse acceptabiliora, quam obedientiam exhibere Samuelis præceptis : sicque ex illa parte, puta oblatione, magis incurrit Dei offensam, ex qua speraverat divinam majestatem sibi placandam. Insuper ignorantia discretionis istius fecit Achab regem Israel, post præclarissimam illam victoriam sibi contra regem Syriæ mirabiliter præstitam, credere meliorem esse suam misericordiam, quam severam divini præcepti exsecutionem, quod sibi videbatur crudele imperium. Qua consideratione mollitus, dum voluit cruentam victoriam temperare clementia, damnatus est irrevocabili morte, veluti toto corpore tenebrosus effectus propter indiscretam misericordiam suam.

I *Reg.* XIII, 13, 14; XV, 22.

III *Reg.* XX, 42.

CAPITULUM IV.

Quæ referantur in sanctis Scripturis de bono discretionis.

HÆC est discretio quæ nuncupatur ab Apostolo, non solum lucerna corporis, sed etiam sol, juxta illud : Sol non occidat super iracundiam vestram. Hæc etiam dicitur gubernatio vitæ nostræ, secundum illud : Quibus non est gubernatio, cadent sicut folia. Hæc quoque rectissime nominatur consilium, sine quo nihil permittimur agere, secundum Scripturam, ita ut sine moderatione ipsius non sinamur percipere spirituale vinum quod lætificat cor, dicente Scriptura : Omnia fac cum consilio, et cum consilio vinum bibe; et iterum, Sicut civitas muris diruta (id est, non circumdata muris), sic est vir qui non cum consilio aliquid agit. Cujus discretionis privatio quam perniciosa sit monacho, pandit auctoritas allegata, comparando eum civitati non muratæ ac dirutæ seu collapsæ. In discretione namque consistit sapientia et intellectus ac sensus, sine quibus non potest interior noster homo spirituales domus ædificare neque divitias congregare, juxta illud : Cum sapientia ædificatur domus, et cum intellectu erigitur; cum sensu implentur solaria omnibus divitiis et bonis pretiosis. Denique discretio est solidus cibus, qui sumi non potest nisi a fortibus et perfectis, dicente Apostolo : Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Quæ in tantum nobis necessaria utilisque probatur, ut etiam coaptetur ac competat Verbo Dei increato atque virtutibus ejus, secundum illud : Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Unde manifeste ostenditur, nullam virtutem posse stare aut perfici sine discretione. Sicque definitum est sententia beati Antonii aliorumque seniorum, quod discretio intrepidum monachum perducat fixo gradu ad Deum, et prædictas virtutes conservet semper illæsas : cum qua ad excelsa perfectionis vestigia minori fatigatione ascendatur, et sine qua multi etiam abundantius laborantes, nequiverint attingere culmen perfectionis. Discretio namque est omnium virtutum mater et custos et moderatrix.

Ephes. IV, 26.

Prov. XI, 14, juxta LXX.

Ps. CIII, 15.

Prov. XXXI, 4, juxta LXX.

Prov. XXV, 28.

Ibid. XXIV, 3, 4.

Hebr. V, 14.

Ibid. IV, 12.

CAPITULUM V.

De morte Heronis senis.

UT autem recens exemplum confirmet eamdem determinationem seu doctrinam a beato Antonio ac ceteris senibus promulgatam, recolite quod nuper pro-

priis oculis gestum vidistis, videlicet senem A Heronem ante paucos dies illusione Zabuli dejectum a summis ad ima. Qui quinquaginta annis in hac eremo habitavit, et rigorem abstinentiæ cum discretione tenuit singulari, solitudinis quoque secreta servavit miro fervore ultra omnes hic habitantes. Hic ergo quo pacto aut qua ratione a diabolo est illusus post tantos labores, atque gravissime lapsus, ita quod cunctos in eremo hac implevit lacrimoso dolore? Nonne ideo quia discretione postposita maluit propriis adinventionibus regi, B quam obedire consiliis aut collationibus Fratrum institutisque Patrum? Siquidem tanto rigore exercuit jugiter immutabilem continentiam jejunando, et secreta cellæ ac solitudinis tam incessabiliter observavit, ut nec paschalis festivitas potuerit eum inducere ad manducandum cum Fratribus. In qua solennitate teneri non potuit cum Fratribus cunctis in ecclesia tentis propter tanti reverentiam festi, ne videretur relaxatus a sui rigore propositi perceptione quantulumcumque parvi leguminis. C Qua præsumptione deceptus, et angelum Satanæ cum summa suscipiens veneratione tanquam angelum lucis, atque præceptis illius prompte obediens, præcipitavit se ipsum in puteum, cujus profunditatem oculus nequivit attingere: credens promissioni diaboli asserentis eum non posse subjacere de cetero ulli discrimini propter merita virtutum ac laborum suorum. Quod ut experimentaliter comprobaret, prædicto puteo se injecit in nocte, utpote magna sua merita probaturus quum D inde exiret illæsus. De quo puteo quum fuisset grandi Fratrum labore extractus jam pæne exsanguis, die tertia moriturus: quod pejus est his, ita permansit obstinatus in suo errore, quod nec experimento suæ læsionis ac mortis ei poterat persuaderi, quod calliditate dæmonum esset illusus. Quamobrem vix poterat obtineri a presbytero abbate Paphnutio, ut Heron pro meritis tantorum laborum et propter tot annos in deserto exactos, inter fideles sepeliretur, et non inter excommunicatos ac perfidos reputatus, judicaretur indignus oblatione atque memoria defunctorum. Sed compassione et summa humilitate eorum qui condolebant calamitati Heronis, victus abbas Paphnutius acquievit precibus eorum.

CAPITULUM VI.

De ruina duorum Fratrum per indiscretionem.

QUID dicam de Fratribus illis duobus, qui quum habitarent ultra desertum Thebaidis (ubi quondam beatus remansit Antonius), euntes per solitudinem latam, incaute moti, decreverunt nullam penitus sumere escam, nisi quam Deus per se ipsum eis conferret? Quumque gens Marsitarum omnibus pæne nationibus crudelior atque immanior (quos ad sanguinis effusionem instigat non desiderium prædæ, ut alios quosdam, sed sola cordis ferocitas), quum ergo gens ista vidisset Fratres illos per desertum errantes ac fame deficientes, et contra suæ ferocitatis naturam illis occurrisset cum panibus, unus Fratrum discretione adjutus, suscepit cum gratiarum actione et gaudio panes sibi a ferocibus istis porrectos: reputans sibi escam divinitus exhiberi, nec fieri sine instinctu Dei, ut hi qui sanguinis effusione semper gaudebant, vitæ alimoniam largirentur eis præ fame exhaustis. Porro alius cibum illum recusans tanquam ab hominibus sibi exhibitum, fame consumptus est. Et quamvis amborum propositum ex reprehensibili persuasione descendit, unus tamen per discretionem sibi subvenientem correxit quod temere et indiscrete concepit; alius vero in stulta persuasione perdurans ac discretionis prorsus ignarus, intulit sibi mortem quam Deus voluit ei auferri, non attendens id factum divino instinctu, ut immites barbari feritatis suæ obliti, offerrent eis panes pro gladiis.

CAPITULUM VII.

De alterius illusione, quam per indiscretionem incurrit.

AMPLIUS quid narrabo de illo (cujus nomen exprimere nolo, quoniam usque nunc superest) qui longo tempore suscepit diabolum in claritate ac specie angeli, atque innumeris revelationibus ejus deceptus, credidit eum esse justitiæ nuntium? Nam et ultra hæc præbuit dæmon ille omni nocte in cella Fratris lumen absque lucerna. Tandem præcepit Fratri ut filium suum secum in monasterio habitantem Deo offerret, ut sacrificio tali coæquaretur meritis Abrahæ patriarchæ. Qua persuasione in tantum seductus est Frater ille, quod parricidium illud protinus perpetrasset, nisi puer videns eum extra consuetudinem cultellum acuere, et vincula quærere quibus volebat puerum ad immolandum constringere, statim fugisset, utpote territus præsagio sceleris imminentis.

CAPITULUM VIII.

De lapsu et deceptione monachi Mesopotameni.

LONGUM est etiam narrando percurrere deceptionem monachi Mesopotameni illius, qui in Mesopotamia duxit vitam in tanta abstinentia, degens solus in cella, quod perpauci poterant eum sequi. Qui tandem diabolicis revelationibus somniisque ita delusus est, ut post tantos labores atque virtutes, quibus excessit omnes ibidem morantes, induceretur miserabili casu ad circumcisionem ac Judaismum. Quum enim Zabulus cupiens eum allicere ad credendum futuræ deceptioni, ex consuetudine visionum revelasset ei multo tempore verissima quæque tanquam nuntius veritatis, postremo ostendit ei populum Christianum cum suæ religionis fideique principibus, sanctis Apostolis ac martyri-
A bus, tenebrosum, macilentissimum ac deformem; econtra vero Judæos una cum Moyse, Patriarchis et Prophetis summa jucunditate tripudiantes, ac splendidissima luce fulgentes; suasitque monacho illi ut festinaret circumcisionem suscipere, si vellet particeps fieri beatitudinis ac meriti Judæorum illorum.

Horum itaque nullus tam graviter fuisset illusus, si studuisset veram possidere discretionem. Hinc experimenta et casus multorum declarant, quam periculosum
B sit discretionis gratiam non habere.

CAPITULUM IX.

Interrogatio de acquirenda vera discretione.

AD hæc Germanus : Satis, inquit, abunde jam patuit novis exemplis et antiquorum doctrinis, discretionem esse quodammodo radicem et fontem cunctarum virtutum. Ergo cupimus doceri qualiter possit acquiri, et quomodo possit
C agnosci an sit vera et a Deo collata, an falsa et diabolica exstet : ita ut intuendo deprehendere valeamus, an teneat sibi impressam veri regis imaginem (secundum Cf. p. 146C.
evangelicam illam parabolam, quæ jubet nos fieri probabiles trapezitas), an forte non sit legitime figurata, quatenus eam tanquam sophisticam reprobemus, sicut hesterna collatione dixisti verbo utens vulgari, illa instructi peritia quam docuisti debere inesse spirituali ac evangelico trapezitæ. Quid enim prodest agnoscere effi-
D cacias ac merita discretionis, si nesciamus qualiter sit acquirenda ac possidenda?

CAPITULUM X.

Responsio, qualiter possideatur vera discretio.

TUNC Moyses ait : Vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur. Cujus humilitatis hæc erit prima probatio : si quis examini seniorum ac superiorum su-

orum reservet non solum universa quæ agit aut agenda occurrunt, sed etiam quæ cogitantur; quatenus nil credens suo judicio, acquiescat per omnia informationi illorum, atque eorum instructione agnoscat quid debeat judicare bonum vel malum. Quæ institutio non solum docebit juniorem tramite recto incedere per veræ discretionis viam, sed insuper servabit eum illæsum ab universis insidiis ac fraudibus hostium. Nullatenus etenim decipi potest, qui vivit non suo judicio, sed majorum exemplo; nec valebit callidus hostis ignorantiæ ejus illudere, qui universas cogitationes in corde suo nascentes nequaquam abscondit, sed eas reprobat vel admittit maturo examine seniorum. Cogitatio quippe maligna marcescit mox quum fuerit patefacta; et serpens teterrimus virtute confessionis quasi ex tenebroso et subterraneo specu protractus ad lucem, abscedit dehonestatus etiam antequam proferatur judicium discretionis de cogitatione sic patefacta. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Et ut efficacius colligatis virtutem ac veritatem sententiæ hujus, referam vobis factum abbatis Serapionis, quod ipse sæpissime proponebat junioribus causa instructionis.

CAPITULUM XI.

Verba abbatis Serapionis de morte cogitationum patefactarum, et de periculo propriæ confidentiæ.

DIXIT itaque abbas Serapion : Quum adhuc parvulus habitarem cum abbate Theona, consuetudo mihi facta fuit ex suggestione diaboli, ut postquam refecissem hora nona cum sene, absconderem latenter paximacium unum in sinu meo, quod ignorante sene edebam occulte de sero. Quod furtum licet continuarem, victus convenientia voluptatis atque incontinentia pravæ affectionis, tamen expleta concupiscentia fraudulenta rediens ad me
A ipsum, gravius cruciabar de commissione furti illius, quam jucundatus eram super voluptate ipsius. Quumque molestissimum opus istud vice laterum indictum mihi a dæmonibus, tanquam ab exactoribus Pharaonis, impellerer omni die explere, non sine remorsu et cordis mei dolore, nec me possem eruere ab ista sævissima illorum tyrannide, atque confunderer seni manifestare hoc furtum occultum, contigit nutu Dei volentis me de laqueo captivitatis hujus eripere, ut Fratres quidam senem visitarent causa ædificationis. Quumque refectione completa, inciperet fieri spiritualis collatio, et senex interrogationibus Fratrum respondens, dissereret de vitio gulæ occultarumque cogitationum dominatione, exponeret quoque earum naturam et atrocissimam vim quam habent quamdiu celantur : ego virtute sermonis ejus compunctus, conscientia quoque redarguente perterritus, veluti credens hæc ideo esse prolata a sene, quod Deus ei revelasset secreta pectoris mei, excitatus primo in abditos gemitus, deinde compunctione mea crescente, prorumpens in apertos singultus ac lacrimas, produxi de sinu meo conscio ac susceptore furti mei, paximacium quod consuetudine vitiosa abstuli ut illud occulte comederem; et proferens illud in medium, confessus sum cum veniæ postulatione prostratus in terram, quemadmodum latenter quotidie manducarem, ubertimque lacrimans eos rogavi ut impetrarent mihi a Domino Deo solutionem a durissima captivitate et culpa. Tunc senex : Confide, inquit, o puer, confessio tua abstulit te de hac captivitate, etiam me tacente. Hodie etenim superasti victorem tuum diabolum, prosternens eum validius tua confessione, quam eras ab eo prostratus tua taciturnitate et celatione; quem hucusque permisisti dominari in te, non confutando eumdem tua vel alterius responsione, secundum illam Salomonis sententiam: Quia non fit gradatio ab his * qui faciunt malum cito, idcirco repletum est cor filiorum hominum in ipsis, ut faciant mala.

Exod. v, 8.

Eccle. VIII, 11, juxta LXX.

* contradictio his

Hinc iste nequissimus spiritus post hanc A tuam publicationem te inquietare non poterit, nec serpens ille teterrimus deinceps usurpabit sibi latibulum in te, utpote tua salutari confessione protractus ad lucem de tenebris. Necdum senex hæc verba compleverat, et ecce lampas accensa de sinu meo procedens, ita replevit cellam odore sulfureo, ut vehementia sui fœtoris vix permitteret nos sedere in ea. Tunc senex exhortationem resumens, locutus est : Ecce, o fili, Dominus tibi visibiliter demonstravit meorum veritatem verborum, B ut propriis oculis cerneres inflammatorem concupiscentiæ tuæ de corde tuo expulsum confessione salubri, atque aperta hostis tui expulsione cognosceres, quod in te locum amplius non habebit.

Itaque juxta sententiam senis, dominatio diabolicæ illius tentationis ita est exstincta in me confessionis illius virtute, ut nunquam tentarit inimicus postea mihi ingerere memoriam concupiscentiæ meæ nunc præfatæ, nec postmodum sensi me unquam pulsatum desiderio furti prioris. C Quem sensum legimus in Ecclesiaste quoque pulcherrime his quidem verbis expressum : Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori ; (*Eccle. x, 11, juxta LXX.*) perniciosum esse designans morsum tacentis serpentis, hoc est, si suggestio seu cogitatio diabolica non fuerit per confessionem patefacta incantatori, id est alicui spirituali viro qui novit protinus mederi vulneribus animarum per carmina Scripturarum, et noxia serpentis venena de corde extrahere, non poterit subveniri periclitanti D aut perituro. Hoc igitur modo poterimus faciliter pervenire ad veræ discretionis scientiam, ut sequentes vestigia seniorum, non præsumamus nostro judicio aliquid novi agere neque discernere, sed in omnibus gradiamur prout nos informat illorum doctrina aut vita probissima. Qua institutione formatus, non solum ad perfectam discretionis rationem perveniet, verum etiam a cunctis inimici insidiis tutissimus permanebit : quoniam nullo alio vitio Zabulus tam præcipue pertrahit ac perducit monachum ad mortem, quam quum eum persuaserit confidere propriæ assertioni ac suo stare judicio, neglectis consiliis seniorum. Nempe quum omnes artes ac disciplinæ ingenio humano repertæ, et solis commodis vitæ præsentis ac temporalis deservientes, nequeant ab aliquo apprehendi sine alterius instruentis doctrina, licet manu queant palpari oculisque videri : quam ineptum est credere hanc solam discretionem non indigere doctore, quæ occulta invisibilisque consistit, et non nisi purissimo cernitur corde ; cujus error aut ignorantia non parit transitorium ac recuperabile damnum, sed animæ perditionem ac mortem perpetuam. Habet quippe discretio diurnum atque nocturnum conflictum, non contra visibiles, sed crudeles et invisibiles hostes ; et habet spirituale certamen non contra unum aut duos, sed contra catervas innumeras. Cujus casus est tanto perniciosior cunctis, quanto hostis infestior et congressus secretior. Ideoque seniorum vestigia sunt semper cum summa cautione sectanda, et universa quæ in nostris cordibus oriuntur ad eos sunt referenda, confusione sublata.

CAPITULUM XII.

Confessio verecundiæ nostræ ob quam confunderemur cogitationes nostras senioribus revelare.

GERMANUS : Hoc nobis præcipue causat occasionem pravæ et periculosæ confusionis, qua cogitationes nostras studemus celare, quoniam scimus quod quidam in Syria, qui putabatur præcipuus seniorum, graviter est commotus aliquando contra Fratrem qui cogitationes suas prodidit ei simplici corde, et exprobravit Fratri eidem. Unde fit ut curationum remedia consequi nequeamus, dum cogitationes nostras in nobis abscondimus, easque senioribus revelare verecundamur.

CAPITULUM XIII.

De confusione ista calcanda, et de periculo non condolendi.

AD hæc Moyses dixit : Sicut juvenes non sunt omnes æque ferventes spiritu, et disciplinis ac optimis moribus instituti, ita nec senes sunt omnes æqualiter probi atque perfecti. Divitiæ etenim senum non sunt mensurandæ canitie capitis, sed industria juventutis ac meritis præteritorum laborum. Nam scriptum est :
Eccli. xxv, 5. Sap. iv, 8, 9. Quæ non congregasti in juventute tua, quomodo invenies in senectute tua ? Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani sunt enim sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Ideo non sunt nobis sectanda vestigia omnium senum quorum capita tegit canities, quosque commendat sola longævitas vitæ, nec horum traditiones ac monita sunt suscipienda; sed eorum quos novimus suam vitam a juventute laudabiliter ac probatissime expendisse, et institutos fuisse non adinventionibus propriis, sed seniorum doctrinis. Sunt quippe nonnulli, quorum etiam (quod flebilius est) major est numerus, qui senescentes in suo tepore atque ignavia, quæ conceperunt in juventute, auctoritatem sibi acquirunt non maturitate morum, sed numerositate annorum. De quibus proprie satis accipitur exprobratio Dei
Osee vii, 9. qua loquitur per Prophetam : Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. Hos, inquam, sola annositas provexit junioribus in exemplum, non probitas vitæ, nec ulla imitanda laudabilisque districtio professionis istius. Quorum canitiem callidissimus hostis proponens indiscussa auctoritate ad juniorum deceptionem, festinat fraudulenta subtilitate subvertere ac decipere illorum exemplis etiam eos qui ad viam perfectionis poterant incitari propriis aliorumve hortamentis. Cujus rei ego volens vobis exempla monstrare,
A exponam tantum rem gestam quæ vobis conferre potest necessariam instructionem, auctoris nomine tacito, ne et nos aliquid simile illius committamus qui publicavit vitia Fratris.

Quum igitur juvenis quidam non minime diligens perrexisset causa sui profectus et curationis ad senem quemdam nobis optime cognitum, et dixisset se inquietari spiritu fornicationis atque carnalibus incentivis : credens se reperturum informatione orationeque senis consola-
B tionem suis laboribus, et remedia vulneribus sibi inflictis; tunc senex ille increpans Fratrem amarissimis verbis, et dicens eum miserabilem esse, indignum quoque nomine monachi, ita Fratrem læsit correptionibus suis, ut dimitteret eum e cella sua desperatione summa dejectum ac letali tristitia consternatum. Quumque abbas Apollo probatissimus seniorum occurrisset Fratri ita mœrenti, nec jam cogitanti de remedio concupiscentiæ suæ, sed qualiter eam expleret, conjiciens abbas præ-
C fatus ex dispositione et dejectione vultus Fratris illius vehementiam ac laborem tentationis quæ tacite volvebatur in corde ipsius, cœpit inquirere causam tantæ turbationis. Cui quum Frater respondere nihil posset præ tristitia ac pudore, sciens senex non sine causa eum velle celare causam tantæ mœstitiæ, quam nec vultu potuit dissimulare, quæsivit a Fratre attentius causam tanti doloris. Sicque Frater ille constrictus, fatebatur se ire ad vicum ut uxorem acciperet, et relicto monasterio
D rediret ad sæculum : quia ut senex ille sibi asseruit, monachus jam esse non posset, neque valeret refrenare stimulos carnis, aut remedia consequi suæ tentationis. Tunc Apollo Fratrem illum blanda consolatione demulcens, atque affirmans se quoque agitari quotidie talibus stimulis, et ideo Fratrem non debere desperare, neque mirari de impugnationis illius ardore, qui potius vincitur pietate et gratia Dei, quam labore humano; rogavit Fratrem ut iter illud saltem uno die differret, et ad cel-

lam suam reverteretur, moxque tota festinatione perrexit ad monasterium senis præfati. Cui quum propinquasset, expandens manus oravit cum lacrimis, dicens : Domine, qui solus es arbiter pius medicusque discretus virium occultarum et infirmitatis humanæ, converte impugnationem juvenis illius in senem istum, ut saltem in senectute sua discat condescendere ac compati infirmitatibus laborantium fragilitatique juniorum. Quumque cum gemitu hanc precem finisset, vidit tetrum Æthiopem stantem contra senis illius cellam, et ignita jacula mittentem in cellam. Quibus ille sauciatus, statim egressus est cellam, et tanquam amens ac ebrius cœpit cursitare hinc inde; nec valens in cella persistere, arripuit viam per quam et juvenis ille abierat. Quibus visis, intellexit Apollo ignitam sagittam quam viderat esse infixam cordi senis illius, et causare in eo tantam confusionem perturbationemque animi.

Accedens ergo ad eum, dixit : Quo properas, aut quæ causæ tam pueriliter te inquietant oblitum gravitatis senilis, et cogunt te taliter cursitare? Quumque ille confusus reatu conscientiæ suæ ac turpi cogitatione, crederet ardorem suæ concupiscentiæ deprehensum, nec auderet responsionem aliquam dare quærenti, ejus arcana scienti, dixit ad eum abbas : Redi ad cellam tuam, et tandem intellige te hucusque a diabolo ignoratum aut spretum, nec in eorum numero computatum contra quos ille instigatur confligere omni die, provocatus studiis profectibusque eorum : qui post tot annos quos in professione hac consumpsisti, non potuisti, non dicam respuere, sed nec sufferre per unam diem unum diaboli jaculum in te missum quo Deus permisit te sauciari; ut saltem in senio discas alienis infirmitatibus condolere, sicque propria experientia et tui ipsius exemplo docearis condescendere fragilitatibus juniorum, qui juvenem illum diabolica impugnatione laborantem non solum nulla consolatione fovisti, sed

A insuper perniciosa desperatione fregisti, et quantum in te est, manibus inimici dedisti ad devorandum lugubriter ab eodem. Qui sine dubio Fratrem illum non fuisset tam vehementi conflictu aggressus, quippe qui et dedignatus est hucusque te aggredi, nisi futuro Fratris illius profectui invidens, festinasset anticipare atque subvertere jaculis suis ignitis illam virtutem quam cordi ejus cernebat inesse, intelligens eum te fortiorem, contra quem dignum duxit vehementia tanta con-
B fligere. Tuo igitur disce exemplo laborantibus compati, nec tentatos ac periclitantes ad desperationem inducere, neque durissimis sermonibus exasperare; sed refice eos consolatione blanda ac miti, et juxta sapientissimi Salomonis præceptum, Eruere *Prov.* xxiv. 11, juxta LXX.
eos qui ducuntur ad mortem, et redimere eos qui interficiuntur, ne parcas; Christi quoque exemplo arundinem quassatam *Matth.* xii. 20.
non conteras, et linum fumigans non extinguas, et gratiam illam a Domino postula, qua adepta, valeas fiducialiter veri-
C tate ac opere decantare : Dominus dedit *Is.* L, 4.
mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. Nullus etenim posset sufferre insidias inimici, et æstus carnales naturali calore ardentes extinguere sive reprimere, nisi gratia Dei nostram infirmitatem juvaret, vel protegeret et muniret. Idcirco finita ratione dispensationis hujus salubris, qua Dominus voluit juvenem illum a perniciosis his æstibus liberare, teque erudire de vehementia tentationum et compassionis affe-
D ctu, communibus precibus eum rogemus ut jubeat amoveri a te istud flagellum, quod tibi inferre dignatus est pro tua utilitate (ipse enim vulnerat et medetur, *Job* v. 18.
percutit et manus ejus sanabunt; ipse hu- I *Reg.* ii, 6, 7.
miliat et exaltat, occidit et vivificat, deducit ad infernum et reducit); sicque rore Spiritus Sancti restinguat ignita jacula Zabuli, quæ me conscio permisit tibi infligi.

Denique quamvis Deus tentationem illam ita celeriter abstulit ad unam orationem abbatis Apollinis, quam cito eo-

dem orante permisit inexperto illi seni A infligi, evidenti tamen docuit experimento, patefacta peccata non solum non esse exprobranda peccanti, sed nec dolorem ejus esse parvi pendendum, imo potius liniendum. Propterea levitas unius senis aut paucorum non terreat nos, nec avertat ab observatione salutaris doctrinæ seniorum sanctorum, qui docuerunt omnia senibus revelari; quamvis callidissimus hostis abutatur canitie insipientium seniorum ad juniorum deceptionem. Hinc absque ullo verecundiæ operimento omnia debent senioribus revelari. B Ab ipsis quoque fiducialiter sumenda sunt vitiorum remedia et conversationis exempla : in quibus experiemur opem æqualem similemque effectum, si conemur nil penitus affectare nostro judicio præsumptioneque propria.

CAPITULUM XIV.

De vocatione Samuelis.

PRÆTEREA ista doctrina in tantum est C placita Deo, ut inveniamus eam in I *Reg.* III. Scripturis contentam. Nam puerum Samuelem a Deo electum noluit Deus statim per se ipsum erudire disciplina sui colloquii, sed voluit eum semel et iterum recurrere ad senem Heli, atque per ejus informationem disponi ad alloquium suum, quamvis Heli peccaverit, et ipse Samuel divina vocatione dignissimus censeretur : ut probaretur humilitas Samuelis qui ad ministeria vocabatur divina, atque exemplo hoc proponeretur junioribus forma subjectionis istius. D

CAPITULUM XV.

De vocatione Pauli apostoli.

PAULUM quoque vocans et alloquens Christus per semetipsum, quum potuisset ei per se reserare viam perfectionis, confestim tamen direxit eum ad Ananiam, jubens Paulo ut ab illo veritatis viam audiret : Surge, inquiens, et ingre- *Act.* IX, 7.
dere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Mittit itaque Paulum ad seniorem, volens eum potius institui senioris illius doctrina, quam sua : ne scilicet id quod recte gestum esset in Paulo, præberet aliis præsumptionis exemplum, dum unusquisque sibimet persuaderet se quoque conformiter debere institui doctrina ac magisterio Dei solius magis quam seniorum. Quam præsumptionem idem Apostolus docet penitus detestandam, non litteris tantum, sed etiam opere et exemplo; asserens se Jerosolymam ascendisse solum ob hoc, ut conferret cum antecessoribus et coapostolis suis, examinatione domestica et privata, evangelium quod gentibus prædicabat comitante gratia Spiritus Sancti cum potestate signorum et prodigiorum : Et contuli, inquit, *Galat.* II, 2.
cum illis evangelium quod prædico inter gentes, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Quis ergo tam præsumptuosus et cæcus erit, ut audeat se proprio judicio ac discretioni committere, quum Vas electionis testetur se indiguisse collatione coapostolorum suorum? Unde manifestissime comprobatur, viam perfectionis nulli monstrari a Deo, si doctrinam aut instituta contempserit seniorum, dummodo valeat erudiri ab eis; quoniam parvi pendit eloquium illud quod oportet diligentissime custodiri : Interroga patrem tuum, et an- *Deut.* XXXII, 7.
nuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi.

CAPITULUM XVI.

De discretione appetenda.

TOTA ergo diligentia et conatu debet monachus discretionem acquirere humilitatis virtute, quæ discretio potest nos servare illæsos ab utraque nimietate seu extremitate culpabili. Vetus namque sententia est : Nimietates æqualitates sunt, id est æque nocivæ. Ad unum enim pervenit finem nimietas jejunii atque voracitatis, eodem quoque periculo involvit mona-

chum continuatio vigiliarum immoderata, A quo et torpor gravissimi somni. Per excessum quippe jejunii, necesse est revocari hominem debilitatum ad illum statum in quo negligens per incuriam detinetur : ita quod sæpe conspeximus per immoderationem jejuniorum dejectos, quos vidimus non posse falli per gulam, et ita infirmitatis occasione ad eamdem lapsi sunt passionem gulæ, quam vicerant. Vigiliæ quoque et pernoctationes irrationabiles dejecerunt eos quos somnus superare non potuit. Quapropter, secundum Apostolum, B
II Cor. vi,7. transire oportet recto moderamine per arma justitiæ a dextris et a sinistris, et ita gradiendum est inter utrasque nimietates, moderante discretione, ut nec a præfixo modo abstinentiæ abducamur, nec remissione noxia corruamus in concupiscentiam gulæ ac ventris.

CAPITULUM XVII.

De immoderatis jejuniis ac vigiliis.

RECORDOR etenim sic me frequenter respuisse cibum, ut refectione per biduum triduumque dilata, nec ipsa alicujus cibi memoria tetigerit mentem meam; sic quoque somnum ab oculis meis fuisse subtractum ex impugnatione diaboli, ut per plures dies ac noctes Deum rogarem quatenus modicum quid somni oculis meis infunderet, ita quod gravius periclitabar fastidio cibi ac somni, quam ante ex impugnatione somni ac gulæ. Itaque D sicut festinandum est nobis ne desiderio sensualis delectationis labamur in dissolutionem nocivam, et ante debitum tempus præsumamus comedere, aut comedendo excedere; ita comedendum ac dormiendum est hora legitima, quamvis molestet aut horreat. Utrumque enim bellum diabolo operante consurgit, periculosiusque supplantat abstinentia immoderata, quam saturitas laxa. A saturitate namque potest quis reverti ad discretionis mensuram per compunctionem salubrem; ab immoderata vero abstinentia ita redire non potest, debilitato jam corpore.

CAPITULUM XVIII.

Interrogatio de refectionis mensura.

GERMANUS : Quis est ergo abstinentiæ modus, quem æquo moderamine retinentes, valeamus inter utramque extremitatem transire illæsi ?

CAPITULUM XIX.

De optimo modo cibi quotidiani.

MOYSES : De hoc scimus habitum esse frequenter tractatum inter nostros majores : qui discutientes abstinentias diversorum, quorum aliqui vitam suam duxerunt leguminibus solis utendo, alii solis oleribus, alii solis pomis vescendo; præposuerunt omnibus illis eduliis refectio- C nem solius panis, cujus æquissimum modum statuerunt in duobus paximaciis, ita quod ad refectionem unius diei sufficerent paximacia duo, qui sunt parvuli panes vix habentes pondus libræ unius.

CAPITULUM XX.

Objectio de facilitate abstinentiæ hujus.

GERMANUS : Hoc verbum de esu duorum paximaciorum nos gratanter accipientes, respondemus hanc mensuram non posse pro abstinentia reputari, præsertim quum non possemus quotidie tantum panem comedere.

CAPITULUM XXI.

Responsio de virtute et modo ex parte continentiæ.

RESPONDET Moyses : Si vultis experiri vim hujus statuti, jugiter hanc men-

suram tenete, nullum sumentes pulmentum A aut aliam coctionem dominica die aut sabbato, neque per aliquam advenientium Fratrum occasionem : quoniam caro his refecta non solum poterit contentari minori panum quantitate diebus sequentibus, verum etiam refectionem sine labore differre, utpote confortata adjectione ciborum illorum extraordinarie acceptorum. Quod nullo modo facere prævalebit, qui solis duobus paximaciis semper contentus est. Recolo namque seniores quosdam hanc parsimoniam observasse cum tanto labore ac difficultate, imo cum tanta vi atque inedia hanc custodisse mensuram, ut eam sibi imponerent quasi invite nec sine gemitu ac mœrore : quod et vos reor sæpe perpessos.

CAPITULUM XXII.

Quis sit generalis modus refectionis ac continentiæ.

TAMEN generalis modus continentiæ iste est : ut unusquisque abstineat juxta capacitatem virium suarum, seu corporis aut ætatis, de cibo accipiens non quantum exposcit desiderium saturitatis, sed quantum requirit sustentatio carnis. In utraque enim parte sustinebit maximum detrimentum, quicumque inæqualitatem tenens, ventrem constringit nunc ariditate jejuniorum, nunc vero eumdem distendit superfluitate ciborum. Quemadmodum D enim mens ex ciborum defectu lassata perdit rationis vigorem, et prægravata nimia lassitudine carnis dormitare compellitur : ita superfluitate voracitatis oppressa, non potest Deo offerre puras ac promptas orationes ; sed nec castimoniæ puritatem valebit incessanter servare, dum ei præteriti cibi memoria subministrat carnalis concupiscentiæ ignem, etiam illis diebus quibus corpus suum castigat abstinentia acriori.

CAPITULUM XXIII.

Qualiter abstinentia abundantiam humorum genitalium reprimat.

NAM quod per escarum abundantiam fuerit semel contractum et situm in medullis, necesse est egeri et emitti ex lege naturæ, quæ non patitur residere in se abundantiam humoris superflui sibi contrarii ac nocivi. Ideo corpus castigan- B dum est semper parsimonia rationabili et æquali, quatenus si constituti in carne mortali, non possumus plene carere hac naturali fragilitate, saltem rarius patiamur eamdem, et non nisi ter in anno ea fœdemur ; et hoc sine ullo pruritu in somno quieto, ne humorem illum eliciat fallax imago, quæ occultæ voluptatis est index. Quamobrem ista quam diximus, est abstinentiæ temperata æqualitas, ut quotidiana fames quotidianam sequatur refectionem : quæ mensura approbatur Patrum judicio, C et corpus ac animam in eodem statu conservat, non permittens corruere hominem fatigatione jejunii, nec saturitate gravari ; quoniam ista mensura ita frugalis ac sobria est, ut homo non sentiat interdum post vesperam aut vix recolat se comedisse.

CAPITULUM XXIV.

De labore æqualis refectionis, et de edacitate fratris Benjamin.

DENIQUE tam difficulter servatur æqualis parsimonia ista, ut hi qui discretionis perfectionem non habent, mallent jejunium continuare per biduum, et quod hodie sumerent servare in crastinum, dummodo ad refectionem pervenientes valeant satiari. Quod, ut scitis, Benjamin vester civis nuper pertinaciter fecit, qui protraxit jejunium biduo, ut quatuor paximacia simul edendo satiaretur, ne quotidie duo edendo æquali abstinentia jugiter afflige-

retur. Qui ex obstinatione et pertinacia suæ mentis magis acquiescens propriis adinventionibus quam seniorum traditionibus, quali fine vocationem suam finierit, utique scitis. Eremo namque relicta, devolutus est rursus ad hujus mundi philosophiam ac sæculi vanitatem, et prædictam Patrum doctrinam verificavit proprii casus exemplo, atque ruina sua edocet universos, neminem proprio judicio confidentem, posse culmen perfectionis ascendere, nec perniciosas Zabuli illusiones evadere.

CAPITULUM XXV.

Interrogatio, qualiter possit semper servari una eademque mensura.

GERMANUS : Quomodo ergo poterimus hanc mensuram inviolabiliter custodire, quoniam interdum supervenientibus Fratribus nona hora, solita refectione instante, necesse est addere aliquid propter eos ultra præfixam solitamque mensuram, aut humanitatem negligere quam tenemur omnibus exhibere?

CAPITULUM XXVI.

Responsio de modo refectionis non excedendo.

MOYSES : Utrumque istorum observare debemus uno modo parique cura. Nam custodire debemus cum omni scrupulo præfatam cibi mensuram causa sobrietatis ac puritatis, atque similiter exhibere advenientibus Fratribus humanitatem ac adorationem intuitu caritatis : quoniam satis absurdum est, ut præbens mensam Fratri, imo Christo in Fratre, non simul manduces cum eo, aut alienum te facias ab ejus refectione. Itaque in nullo A horum reprehensibiles erimus, si tenuerimus consuetudinem istam : ut scilicet hora nona unum paximacium manducemus, et aliud reservemus ad vesperam, si forte aliquis superveniat nobis; et si quis venerit, comedamus cum illo paximacium reservatum, nil ultra solitum manducantes. Et hoc modo non contristabit nos Fratris adventus, qui debet nobis esse gratissimus: nam sic ei impendimus opera pietatis, ut nihil de rigore continentiæ relaxemus. Porro si nullus advenerit, manducabimus B soli paximacium illud, tanquam debitum nobis ex institutione canonica, quia ex illo stomachus gravari non poterit, uno paximacio hora nona comesto : quæ aggravatio plerumque contingit his qui æstimantes rigorem abstinentiæ se tenere, totam differunt refectionem ad vesperam. Perceptio namque cibi tunc facta, non sinit sensum esse subtilem ac expeditum in orationibus vespertinis atque nocturnis. Ideo tempus reficiendi utiliter est indultum hora nona, in qua reficiens monachus C non solum erit evacuatus et expeditus in nocturnis vigiliis, imo etiam invenietur aptissimus in vespertinis officiis, digesto jam cibo.

Talibus epulis geminæ duplicisve institutionis saginavit nos Moyses sanctus : demonstrans ac docens nos non solum virtutem ac gratiam discretionis collatione præsenti, sed etiam abrenuntiationis rationem, destinationem quoque ac finem propositi nostri collatione præhabita; ut quod antea sectabamur fervore spiritus D tantum ac zelo Dei, oculis quodammodo clausis, aperiret nobis clarius luce, faciens nos sentire quantum hucusque distabamus a cordis munditia discretionisque linea : quippe quum etiam doctrina seu ratio omnium visibilium artium in hoc mundo non possit subsistere nec acquiri absque intuitu propriæ destinationis ac finis.

COLLATIO III

(Abbatis Paphnutii)

DE TRIBUS ABRENUNTIATIONIBUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De vita sancti Paphnutii.

VIDIMUS in choro illo Sanctorum, hoc est in ordine anachoretarum, qui tanquam purissima astra fulgebant in nocte ac tenebris hujus mundi, S. Paphnutium coruscantem lumine vitæ ac claritate magnæ scientiæ. Fuitque presbyter congregationis nostræ, puta illius quæ morabatur in eremo Scythi, in qua ita duravit usque ad extremam ætatem, ut nunquam e cella sua migraverit ad loca ecclesiæ viciniora : quam cellam cœpit adhuc junior inhabitare, quæ et quinque millibus distabat ab ejus ecclesia; nec voluit ei propinquius habitare ad vitandam fatigationis molestiam die sabbati aut dominica, dum ad ecclesiam venit. Imo nec ab ecclesia illa voluit vacuus ad cellam suam reverti, sed propriis humeris reportavit ad eam vas aquæ qua tota hebdomada utebatur; quumque plus quam nonagenarius esset, nunquam permisit illud sibi portari ab aliquo juniore. Iste vir sanctus ab adolescentia sua in cœnobiis mansit, atque monasticæ disciplinæ cum omni fervore se tradidit, ut in eis modico tempore degens ditaretur scientia atque virtute obedientiæ, imo universarum decore virtutum. Mortificans namque omnes suas voluntates disciplina obedientiæ ac humilitatis, atque per disciplinam istam exstinctis omnibus vitiis, et consummatis virtutibus universis quas docent monasteriorum instituta, vel antiquissimorum Patrum doctrina : succensus ipse Paphnutius ardore sublimioris profectus, A festinavit penetrare deserti secreta, ut nullo humano consortio retrahente, uniretur Deo facilius, cui inter Fratres habitans cupiebat inseparabiliter inhærere. Insuper in solitudine tanto fervore superavit virtutes ipsorum etiam anachoretarum, omniumque vitavit adspectus, penetrans vastiora et inaccessibiliora solitudinis loca, et in eis multo tempore latens : in tantum ut ab ipsis quoque anachoretis deprehendi posset difficulter atque rarissime, et crederetur ab eis delectari ac perfrui quoti- B diano angelorum consortio, ac merito hujus virtutis cognominaretur Bubalus ab eisdem.

CAPITULUM II.

De sermone ejus ac nostra responsione.

CUPIENTES itaque institui ac doceri magisterio ejus, pervenimus advesperante jam die ad cellam ipsius. Qui præmisso aliquanto silentio, quum cœpisset C commendare propositum nostrum, quod scilicet propriam patriam relinquentes, et pro Dei amore peragratis provinciis tantis, conaremur tantopere tolerare paupertatem vastitatemque eremi, et imitari rigorem conversationis illorum, quem ipsi vix sustinerent qui nati et educati sunt in eadem rigiditate atque inopia : respondimus nos ad ejus personam, doctrinam et magisterium pervenisse, ut aliquatenus informari possemus perfectione ac institutionibus tanti viri, quam perfectionem D senseramus ei inesse innumeris documentis; non ut ipsius laudibus gravaremur,

quibus et indigni essemus, aut etiam in conspectu ipsius inflammaremur animi elatione, qua interdum in nostris quoque cellulis titillabamur. Ideo precabamur ut verba illa nobis proponeret, quibus possemus compungi ac humiliari, non quibus possemus nobis ipsis blandiri atque extolli.

CAPITULUM III.

Propositio abbatis Paphnutii.

TUNC ait B. Paphnutius : Tres sunt ordines vocationum ; tres quoque renuntiationes sunt necessariæ monacho in quocumque ordine constituto. Et primo oportet causam inquirere quare diximus tres vocationum ordines esse, ut quum agnoverimus nos divino cultui deditos secundum primum gradum vocationis, temperemus ac disponamus congruentiam ac processum conversationis nostræ juxta sublimitatem gradus illius, proficiendo in melius. Nihil enim proderit sublimiter inchoasse, nisi habeamus processum et finem principio adæquatum. Quod si etiam agnoverimus nos esse extractos de vita mundana ultimo ordine, nihilo minus curemus nos incitare ad meliorem vitam spirituali fervore tanto attentius, quanto videmur ad religionem vocati principio minus probabili. Secundo quoque omnino nos expedit scire causam trinæ abrenuntiationis : quia nequaquam poterimus perfectionem attingere, si vel ignoraverimus eam, vel eam scientes, non studuerimus eam opere consummare.

CAPITULUM IV.

De tribus vocationum generibus.

UT igitur hi tres vocationum modi pandantur speciali distinctione, sciendum quod primus est ex Deo, secundus per hominem, tertius ex quadam necessitate. Itaque ex Deo est, quoties inspiratio cordi A nostro immissa exsuscitat nos ad desiderium vitæ æternæ atque salutis, etiam interdum in somno, hortaturque nos saluberrima compunctione Deum sequi et inhærere præceptis ipsius : quemadmodum in Scripturis legimus Abraham voce dominica evocatum de terra natali et domo patris sui, et de totius cognationis suæ affectibus, Deo ad eum loquente : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. (*Gen.* XII, 1.) Quo etiam modo scimus B. Antonium esse vocatum, qui a sola Deitate B accepit suæ conversionis occasionem. Ingressus namque ecclesiam, et audiens ibi Christum in Evangelio asserentem, Qui non odit patrem et matrem et filios et uxorem et agros, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 26); et, Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21) : suscepit cum summa compunctione cordis hoc Christi consilium tanquam specialiter sibi dictum, confestimque cunctis C renuntians, secutus est Christum, nulla exhortatione aut doctrina hominum provocatus.

Secundus modus vocationis (quem per hominem fieri diximus) est, dum instigati exemplis meritisve Sanctorum, desiderio salutis accendimur : per quem modum nos ipsi sumus conversi, qui incitati monitis virtutibusque S. Antonii, mancipavimus nos huic professioni ac studio. Quo etiam ordine legimus filios Israel de afflictione Ægypti per Moysen liberatos.

D Tertius modus vocationis, ex necessitate quadam descendens, est, dum dediti divitiis aut deliciis mundi inducuntur properare et converti ad Dominum, ingruentibus repente tentationibus seu adversis quæ mortem aut damna rerum aut proscriptionem minantur, vel ex morte carorum compungunt et trahunt quasi invitos ad Creatorem, quem in prosperis sequi spreverunt. Cujus vocationis modum in Scripturis sæpissime reperimus, sicut dum legimus filios Israel ob sua demerita suis

hostibus traditos, eosque rursus conversos Dominum invocasse, eo quod ab inimicis suis crudelissime tractarentur. Unde ait Scriptura : Misit eis Dominus salvatorem Aod, qui utraque manu utebatur pro dextera; itemque : Clamaverunt (inquit) ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel filium Cenez, fratrem Caleb juniorem. De talibus quoque fertur in Psalmo : Quum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum, et recordati sunt quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est; et rursus : Clamaverunt ad Dominum quum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Judic. III, 15. Ibid. 9. Ps LXXVII, 34. 35. Ps. CVI, 6.

CAPITULUM V.

Quod et desidi vocatio prima non prosit, et strenuo postrema non obsit.

LICET harum trium vocationum duo primi modi melioribus innitantur principiis, invenimus tamen quandoque perfectos viros ac ferventissimos spiritu fuisse de tertio gradu seu modo vocationis, qui in se infimus tepidusque consistit: qui viri fuerunt similes illis qui primo modo optimoque principio cœperunt Deo servire, qui etiam reliquam suam vitam laudabili compleverunt fervore. Et iterum vidimus multos primo modo vocatos, tepidos esse effectos, atque ad finem vituperabilem devenisse. Ac proinde, sicut præfatis illis non obfuit quod suo conversi non sunt arbitrio, sed quadam compulsione, quibus et pietas Dei procuravit occasionem hujusmodi, qua ita compungerentur; sic istis primo modo conversis ac tepefactis nil profuit quod habuerunt sublimiora conversionis principia, quia non studuerunt vitam suam residuam terminare congruo fine. Nec enim quidquam obfuit abbati Moysi, qui habitavit in loco eremi hujus qui Calamus appellatur, non, inquam, obfuit ei ad perfectæ beatitudinis meritum, quod ad monasterium decucurrit impulsus metu mortis quæ ei propter homicidium imminebat : quia necessitatem conversionis ita arripuit, quod eam per virtutem convertit in prompti animi voluntatem. Quemadmodum etiam nihil profuit multis (quos nominatim memorare non debeo) quod servitutem Dei aggressi sunt meliori principio, qui deinceps per cordis ignaviam duritiamque sequentem lapsi sunt in teporem ac barathrum mortis profundum. Quod etiam videmus evidenter signatum in vocatione Apostolorum. Quid enim profuit Judæ voluntarie suscepisse gradum apostolatus altissimum, eodem ordine quo vocati sunt Petrus ceterique Apostoli, qui consummans præclara suæ vocationis principia pestifero avaritiæ fine, prorupit usque ad Christi traditionem crudelissimus parricida? Aut quid obfuit Paulo quod repente cæcatus, videtur quasi invitus ad viam salutis attractus, qui deinde toto cordis fervore Dominum sequens, atque initium necessitatis voluntaria devotione commutans ac prosequens, conclusit vitam tantis virtutibus gloriosam optimo fine? Totum ergo in fine consistit, in quo is qui optime inchoavit, reperiri potest ex negligentia sua inferior; et necessitate ad monasticam professionem attractus, effici potest per Dei timorem diligentiamque perfectus.

CAPITULUM VI.

Expositio trium renuntiationum.

NUNC de abrenuntiationibus est dicendum, quas Patrum doctrina et Scripturarum auctoritas protestantur tres esse : quas et quemlibet nostrum oportet studiose implere. Prima est, qua corporaliter spernimus exteriusque relinquimus universas mundi divitias; secunda est, qua respuimus ac vitamus pristinos mores, pravos affectus et vitia carnis ac spiritus; tertia, qua mentem nostram abstrahentes a visibilibus et præsentibus universis, con-

templamur sola æterna, atque invisibilia A toto appetimus corde. Unde et legimus Dominum Abrahæ præcepisse ut hæc tria
Gen. xii, 1. simul perficiantur : Exi (inquit) de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. Primo dixit, De terra tua, id est de facultatibus mundi hujus opibusque terrenis; secundo, De cognatione tua, id est de conversatione ac moribus et peccatis prioribus, quæ nobis a nativitate nostra cohærendo, cognata sunt nobis quasi affinitate consanguinitateque aliqua; tertio, De domo patris tui, id est de omni memo- B ria sæculi quæ menti occurrit. Etenim per David ex Dei persona cantatur de duobus patribus, quorum unus, puta carnalis, est
Ps. xliv, 11. deserendus, alius appetendus : Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Nam qui ait, Audi, filia, pater est utique, et nihilo minus asserit illum esse patrem filiæ suæ, cujus domum aut populum persuadet oblivioni esse tradendum : quod ita impletur, dum mortificati cum Christo ab elementis mundi hujus, con- C templamur juxta doctrinam Apostoli, non
II Cor. iv, 18. ea quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Exeuntesque corde de hac temporali ac visibili domo, oculos nostros mentemque dirigimus in domum cœlestem, in qua sumus æternaliter permansuri. Quod implemus, quando in carne ambulantes, non secundum carnem militamus, cum Apostolo opere et
Philipp. iii, 20. virtute clamantes : Nostra conversatio in cœlis est. Denique his tribus abrenuntia- D tionibus coaptantur proprie tres libri Salomonis. Proverbia namque primæ abrenuntiationi conveniunt, per quorum doctrinam amputantur concupiscentia carnis vitiaque terrena. Secundæ abrenuntiationi competit Ecclesiastes, in quo universa quæ aguntur sub sole, dicuntur vanitas et afflictio spiritus. Tertiæ abrenuntiationi consonat Canticum canticorum, in quo mens visibilia cuncta transcendens, conjungitur Verbo Dei, contemplando cœlestia.

CAPITULUM VII.

Qualiter apprehendenda sit perfectio singularum abrenuntiationum istarum.

QUAPROPTER non multum prodest assumpsisse nos primam abrenuntiationem cum grandi devotione, nisi secundam eodem studio ac fervore adimpleamus. Qua adepta, poterimus ad tertiam pervenire, qua egressi de domo proprii parentis (quem meminimus patrem nobis fuisse ab exordio nativitatis nostræ secundum veterem hominem, quando eramus Ephes. ii, 3.
natura filii iræ sicut et ceteri), convertimus omnem mentis nostræ intuitum ad superna. De quo etiam patre dicitur ad Jerusalem quæ verum Deum contempserat : Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Ezech. xvi, 3.
Cethæa; atque in Evangelio : Vos ex patre Joann. viii, 44.
diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Quem quum dimiserimus, de visibilibus ad invisibilia transmigrando, poterimus cum Apostolo dicere, Scimus II Cor. v, 1.
autem quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod habitationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlo; et quod commemoravimus paulo ante, Nostra con- Philipp. iii, 20, 21.
versatio in cœlis est, unde et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ ; et illud beati David, Quia incola ego sum in Ps. cxviii, 19; xxxviii, 13.
terra, et peregrinus sicut omnes patres mei : quatenus juxta Christi doctrinam tales efficiamur, quales erant de quibus in Evangelio loquebatur ad Patrem : De mun- Joann. xvii, 14.
do non sunt, sicut et ego non sum de mundo ; et rursus ad Apostolos : Si de Ibid. xv, 19.
mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; sed quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Itaque perfectionem hujus tertiæ abrenuntiationis tunc merebimur veraciter obtinere, quando mens nostra nulla contagione corporis hebetata, sed peritissimis

elimationibus expolita ac purificata ab A omni affectione et qualitate terrena, per indesinentem meditationem Scripturarum sanctarum spiritualesque theorias ascenderit eousque ad invisibilia ac divina, ut supernis incorporeisque intenta, non sentiat se circumdatam fragilitate carnis situque corporis ; in hujusmodi quoque rapiatur excessus, ut non solum nullas recipiat voces corporali auditu, nec intuendis prætereuntium imaginibus occupetur, sed neque adspiciat magnitudines adjacentes ac grandes materias oculis carnis objectas. B Cujus rei virtutem ac fidem quis capere nequit, nisi per experientiam didicerit ea quæ dicimus : cujus videlicet interiores oculos Deus ita abstraxerit ab universis præsentibus, ut reputet ea non quasi transitura, sed quasi transacta et quasi in nihilum resoluta ut fumum inanem ; ambulansque instar Enoch cum Deo, et per morum conversionem de humana conversatione translatus, non inveniatur in vanitate sæculi hujus. Quod scriptura Geneseos memorat corporaliter factum in Enoch, C dicendo : Ambulavit Enoch cum Deo, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Apostolus quoque ad Hebræos ait : Fide Enoch translatus est, ut non videret mortem. De qua morte Dominus in Evangelio loquitur : Qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

Gen. v, 22. Ibid. 24. Hebr. xi, 5. Joann. xi, 26.

Quapropter si veram perfectionem desideramus attingere, festinare debemus ut sicut corpore despeximus parentes, patriam, divitias voluptatesque mundi, ita etiam corde hæc omnia relinquamus ; nec aliqua D concupiscentia revertamur ad ea quæ propter Deum dimisimus, quemadmodum filii Israel per Moysen de Ægypto educti, corde reversi sunt illuc, quum corpore non rediissent. Nam relicto Deo qui eos eduxerat cum tanta virtute signorum, venerati sunt idola Ægypti quæ spreverant, sicut ait Scriptura : Reversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron, Fac nobis deos qui præcedant nos. Ne item damnemur cum illis qui in eremo peragrantes, post esum mannæ cœlestis desideraverunt fœtidos cibos vitiorum ac fœtidæ vilitatis; et ne murmuremus cum eis, dicentibus : Bene erat nobis in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus cæpe et allia et cucumeres et pepones. Quæ figura licet in populo illo præcesserit, tamen videmus eam quotidie in nostro ordine et professione impleri. Quicumque enim post mundi abrenuntiationem redit ad pristina facta ac studia, atque ad desideria revocatur priora, cum ingratis illis Judæis proclamat mente ac opere : Bene mihi erat in Ægypto. Et vereor ne tanta sit horum multitudo, quanta tunc fuit turba illorum sub Moyse. Quum enim sexcenta millia armatorum computentur de Ægypto egressa, tamen duo dumtaxat ex illis ingressi sunt terram promissionis.

Act. vii, 39. Exod. xxxii, 1. Exod. xvi, 3; Num. xi, 5, 18. Exod. xii, 37. Num. xiv, 30.

Hinc festinandum est nobis, ut virtutum exempla sumamus a paucis atque rarissimis, quoniam juxta figuram illam prædictam, in Evangelio quoque dicuntur multi vocati, pauci vero electi. Nil igitur proderit nobis abrenuntiatio corporis et transmigratio ex hujus mundi Ægypto localis, nisi obtinuerimus abrenuntiationem secundam, quæ sublimior utiliorque consistit. Nam de abrenuntiatione corporali ait Apostolus : Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod beatus Apostolus nunquam dixisset, nisi in spiritu prævidisset futurum quod aliqui omnibus rebus suis in usus pauperum traditis, pervenire non queunt ad evangelicam perfectionem caritatisque arduum culmen : quia videlicet dominante in eis superbia aut impatientia, retinent in se pristina vitia inconditosque mores, nec ab illis satagunt se purgare, idcirco pertingere nequeunt ad caritatem Dei, quæ nunquam excidit. Qui quum non apprehenderint gradum abrenuntiationis secundum, multo minus apprehendent tertium gradum, qui altior est.

Matth. xxii, 14. I Cor. xiii, 3. Ibid. 8.

[A] Diligenter tamen advertite, quod Apostolus [I Cor. XIII, 3.] non dixit simpliciter : Si distribuero facultates meas in cibos pauperum, et tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest, etc. (videretur enim forte dixisse de illo qui necdum evangelicum implens consilium, reservat sibi adhuc aliquid de facultatibus suis, sicut nonnulli faciunt tepidorum); sed, Si distribuero, inquit, omnes facultates meas in cibos pauperum, id est, etiamsi perfecte abrenuntiavero divitiis istis terrenis.

Denique huic abrenuntiationi adjunxit aliud majus : Si tradidero, inquiens, corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Ac si aliis verbis [Ibidem.] dixisset : Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, secundum evangelicum consilium illud quo dicitur : [Matth. XIX, 21.] Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo (utpote ita renuntians ut nil penitus mihi reservem), huic quoque erogationi adjunxero martyrium et corporis mei combustionem, ita ut corpus meum tradam pro Christo, et tamen impatiens sim, iracundus, invidus aut superbus, aut ex injuriis mihi illatis inflammer, vel quæram quæ mea sunt, seu quæ mala sunt cogitem, aut non libenter ac patienter sustineam universa quæ mihi possunt inferri; nihil mihi proderit exterioris hominis abrenuntiatio atque combustio, interiori homine adhuc pristinis vitiis involuto : eo quod primæ renuntiationis fervore contemnens simplicem mundi hujus substantiam, quæ nec bona nec mala, sed media est, non studui simili fervore abjicere noxias vitiosi cordis mei affectiones, neque curavi dominicam attingere [I Cor. XIII, 4, 5, 7, 8.] caritatem, quæ est patiens et benigna, quæ non æmulatur nec inflatur, non irritatur, nec agit perperam, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, quæ omnia suffert, omnia sustinet; postremo, quæ sectatorem suum nunquam cadere sinit supplantatione peccati.

CAPITULUM VIII.

De propriis divitiis, in quibus consistit animæ pulchritudo aut fœditas.

OMNI ergo instantia festinare debemus ut interior homo noster, seu anima, abjiciat et dispergat universas vitiorum suorum divitias, quas priori conversatione contraxit : quæ jugiter cohærentes corpori nostro ac animæ, sunt propriæ nostræ, et nisi abjectæ fuerint et abscissæ adhuc [B] viventibus nobis in corpore, non desinent nos sequi post mortem. Quemadmodum enim caritas, fons virtutum, ceteræque virtutes in hac vita adeptæ, suum efficiunt amatorem pulchrum ac splendidum etiam post hanc vitam; sic vitia transmittunt mentem obfuscatam, infectam, et quasi tetris coloribus plenam ad perpetuam mansionem futuram. Pulchritudo namque et deformitas animæ generantur qualitate virtutum ac vitiorum. Ex quibus quasi quidam color contractus, reddet animam tam [C] pulchram ac splendidam, ut a Propheta mereatur audire : Concupiscet rex decorem [Ps. XLIV, 12.] tuum; aut faciet eam tam fœtidam ac deformem, ut ipsa propriæ turpitudinis fœtorem confiteatur, ac dicat : Computruerunt [Ps. XXXVII, 6.] et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Unde et Dominus ait ad eam per Jeremiam prophetam : Quare non est obducta cicatrix filiæ populi [Jer. VIII, 22.] mei ? Ideo istæ sunt nostræ divitiæ, quæ cum anima jugiter manent, quas nullus regum aut hostium potest nobis con- [D] ferre neque auferre. Hæ sunt propriæ divitiæ nostræ, quas nec mors valet ab anima separare : quibus renuntiando possumus ad perfectionem pertingere, vel immorando æterna morte perire.

CAPITULUM IX.

De tripartito genere divitiarum.

TRIPLICES autem sunt divitiæ secundum Scripturam : nam quædam sunt malæ, quædam bonæ, quædam mediæ. Ma-

Ps. xxxiii, 11. læ sunt, de quibus asseritur : Divites egu- A
Luc. vi, 24. erunt et esurierunt ; et, Væ vobis diviti-
bus, qui recepistis consolationem vestram :
quas abjecisse est summa perfectio. Ad
quarum distinctionem illi sunt pauperes,
qui in Evangelio voce Christi laudantur,
Matth. v, 3. dicentis : Beati pauperes spiritu, quoniam
ipsorum est regnum cœlorum ; et in Psal-
Ps. xxxiii, 7. mo : Iste pauper clamavit, et Dominus
Ps. lxxiii, 21. exaudivit eum ; itemque, Pauper et inops
laudabunt nomen tuum. Sunt quoque bo-
næ divitiæ, quas acquisivisse magnæ vir-
tutis est ac mercedis. Quas vir justus B
Ps. cxi, 2, 3. possidens collaudatur, dicente David : Ge-
neratio rectorum benedicetur, gloria et
divitiæ in domo ejus, et justitia ejus ma-
net in sæculum sæculi. De quibus item
Prov. xiii, 8. scriptum est : Redemptio animæ viri pro-
priæ divitiæ ; de quibus et in Apocalypsi
dicitur ei qui eis carendo vituperabiliter
Apoc. iii, 16-18. pauper et nudus est : Incipiam te evomere
ex ore meo, quia dicis quod dives sum et
locuples, et nullius egeo, et nescis quia
tu es miser et miserabilis et pauper, et
cæcus et nudus : suadeo ergo tibi emere C
a me aurum ignitum probatum, ut locu-
ples fias, et vestimentis albis induaris, ut
non appareat confusio nuditatis tuæ. In-
super quædam sunt divitiæ mediæ, quæ
possunt esse bonæ et malæ, quoniam ho-
mines possunt eis uti bene et male proprii
arbitrii libertate : de quibus ait Aposto-
I Tim. vi, 17-19. lus, Divitibus hujus mundi præcipe non
sublime sapere, nec sperare in incerto
divitiarum, sed in Deo qui præstat nobis
abunde omnia ad fruendum, et beneface-
re, facile tribuere, communicare, thesau- D
rizare sibi fundamentum bonum in futu-
rum, ut apprehendant veram vitam. Quas
Luc. xvi, 19 et seq. et dives ille, testante Evangelio, retinens
nec indigentibus subministrans, de cujus
micis satiari cupiebat pauper Lazarus, de-
putatus est intolerandis gehennæ incen-
diis et igni æterno.

CAPITULUM X.

Quod nullus possit esse perfectus ex primo tantum gradu renuntiationis.

Has visibiles mundi divitias relinquendo, non nostras sed alienas abjicimus facultates, quamvis nostro labore sint acquisitæ, vel nobis relictæ ex parentum hereditate. Nihil enim, ut dixi, est proprie nostrum, nisi quod corde possessum, et animæ nostræ intus cohærens, non potest nobis auferri ab aliquo. Porro de visibilibus illis divitiis loquitur Christus ad eos qui retinent illas ut proprias, nec volunt ipsas indigentibus communicare : Si in Luc. xvi, 12.
alienis fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis ? Unde non solum quotidiana experientia, sed et Christi sententia ostendit divitias istas esse alienas a nobis. De visibilibus vero pessimis divitiis loquitur Petrus ad Dominum : Ecce Matth. xix, 27.
nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis ? Quos certe Apostolos constat nil amplius dimisisse, nisi vilissima conscissaque retia. Idcirco nisi omnia illa intelligantur de renuntiatione hac vitiorum, quæ vere alta et magna est, non inveniemus Apostolos pretiosum aliquid reliquisse, nec Dominum habuisse causam propter quam largiretur illis beatitudinem tantam, ita ut ab eodem statim audirent : In regeneratione, quum sederit Ibid. 28.
Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Si igitur hi qui perfecte relinquunt terrenas visibilesque divitias, pervenire non possunt certis ex causis ad apostolicam caritatem, nec expedito fervore ascendere ad sublimiorem tertium illum renuntiationis gradum, qui est valde paucorum : quid de se ipsis habent sentire, qui nec primam ac facilem illam renuntiationem perfecte arripiunt, sed sordidas suas pecunias infideliter sibi reservant, et tamen nudo monachi vocabulo gloriantur ? Itaque prima abrenuntiatio rerum est alienarum, propter quod per se sola non potest perfectionem conferre renuntianti, nisi pervenerit ad secundam, quæ vere est nostrarum abrenuntiatio rerum ; quam omnium expulsione vitiorum adepti, tertiæ abrenun-

tiationis fastigia ascendemus, per quam
animo transcendemus ac mente despicie-
mus non solum omnia quæ in hoc mun-
do geruntur, aut a diversis particulariter
possidentur, verum etiam omnium ele-
Rom. VIII, 20. mentorum substantiam tanquam vanitati
subjectam citoque transituram, quamvis
II *Cor.* IV, 18. videatur magnifica; contemplantes, juxta
Apostolum, tantummodo ea quæ non vi-
dentur, ita ut demum mereamur audire
Gen. XII, 1. a Domino quod dixit ad Abraham : Ve-
ni in terram quam monstravero tibi.

Per quod evidenter ostenditur, quod nisi
quis impleverit cum omni mentis ardore
tres abrenuntiationes præfatas, non possit
ad quartum hoc pervenire, quod perfecte
renuntianti tribuitur vice seu loco remu-
nerationis ac pretii, hoc est, ut terram
promissionis ingredi mereatur : non illam
quæ spinas ac tribulos germinat possiden-
ti, sed quæ post passionum omnium ex-
pulsionem, puritate cordis in hoc corpore
possidetur; quam ipse Dominus promittit
Ibidem. se ostensurum : Veni, inquiens, in terram
quam monstravero tibi; quod non potest
virtus aut industria laborantis. Per quod
manifeste probatur initium nostræ salutis
esse ac dependere ex vocatione et gratia
Dei, dicentis : Exi de terra tua; sic et ab
ipso conferri consummationem perfectio-
Ibidem. nis ac puritatis, quum dicit, Et veni in
terram quam monstravero tibi : id est,
non quam tu valeas ex te ipso cognosce-
re, aut ex tua industria reperire, sed quam
ego monstravero tibi, non solum eam igno-
ranti, sed etiam non quærenti. Ex quo
manifeste colligitur, quod sicut currimus
ad viam salutis provocati inspiratione di-
vina, sic quoque deducti illuminatione
magisterioque Spiritus Sancti pervenimus
ad perfectionem et beatitudinem summam.

CAPITULUM XI.

Interrogatio de libero arbitrio hominis et gratia Dei.

GERMANUS : In quo ergo et qualiter
attribuitur libero arbitrio atque indu-
A striæ nostræ, quod laudabiles virtuosique
sumus, si Deus incipit et consummat in
nobis omnia quæ ad perfectionem perti-
nent nostram ?

CAPITULUM XII.

Responsio de dispensatione gratiæ Dei, manente liberi arbitrii voluntate.

PAPHNUTIUS : Hoc merito quæreretis,
si in disciplina ac opere essent tan-
B tummodo principium ejus ac finis, nec
interveniret medietas quædam. Itaque sic-
ut Deus diversis modis operatur occasione
salutis, sic nostrum est occasionibus a
Deo exhibitis et concessis famulari, ob-
temperare, seu cooperari instantius sive
remissius. Nam sicut id quod dictum est,
Exi de terra tua, fuit oblatio Dei vocantis, *Gen.* XII, 1.
ita obeditio fuit Abrahæ exeuntis; et sic-
ut exsecutio verbi illius, Veni in terram,
fuit opus obtemperantis, ita quod subdi-
tur, Quam tibi monstravero, fuit gratia
C Dei jubentis, vel promittentis. Verumta-
men certitudinaliter agnoscamus, quod
quamvis omnem virtutem indefessis ex-
sequamur conatibus, nequaquam tamen
poterimus diligentia aut studio nostro per-
fectionem attingere; nec sufficit humana
sedulitas pervenire ad tam sublimia bea-
titudinis præmia, nisi adipiscamur ea Deo
nobis cooperante, atque cor nostrum ad
salutaria dirigente. Ideo omni momento
cum David orare debemus : Perfice gres- *Ps.* XVI, 5.
sus meos in semitis tuis, ut non movean-
D tur vestigia mea; et rursus cum eo dica-
mus, Statuit supra petram pedes meos, et *Ps.* XXXIX, 3.
direxit gressus meos : ut invisibilis rector
mentis humanæ ad virtutum studia retor-
quere dignetur arbitrium nostrum, quod
proclivius fertur ad vitia ex ignorantia
boni aut delectationibus passionum. Quod
Psalmista uno versiculo apertissime canit,
dicendo : Impulsus eversus sum ut cade- *Ps.* CXVII, 13.
rem : in quo infirmitas liberi designatur
arbitrii; et Dominus suscepit me : per
quod adjutorium Dei ostendit ei esse ad-

junctum, quo nos sustentat ac roborat A suarum auxilio manuum, quum nos conspicit vacillare, ne per liberum arbitrium Ps. XCIII, 18. penitus corruamus. Et rursus : Si dicebam, inquit, Motus est pes meus (lubrica scilicet arbitrii facultate), misericordia tua, Domine, adjuvabat me : per quod iterum suæ mobilitati adjunxit subsidium Dei, quia fatetur esse opus misericordiæ Dei, non suæ industriæ, quod pes suæ fidei Ibid. 19. non est motus. Itemque : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo (qui libero arbitrio sunt orti in me), con- B solationes tuæ lætificaverunt animam meam : quæ per tuam, o Domine, inspirationem infusæ sunt mihi, reserantesque mihi gloriam futurorum bonorum quæ præparasti laborantibus pro te, non solum abstulerunt mihi omnem cordis anxietatem, verum etiam contulerunt mihi lætitiam Ibid. 17. magnam ac multam. Et denuo : Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea : per quod testatur habitaturum se fuisse in inferno liberi arbitrii pravitate, nisi salvatus fuis- C set adjutorio protectioneque Domini. Nam Ps. XXXVI, 23. gressus hominis diriguntur a Domino, non ab arbitrio libero. Et quum ceciderit ju- Ibid. 24. stus suo libero arbitrio, non collidetur. Quare ? Quia Dominus supponit manum suam. Hoc est apertissime dicere : Nullus justorum sufficit sibi ad obtinendam justitiam, nisi divina clementia supposuerit fulcimenta suæ potentiæ ei per momenta singula vacillanti, ne prostratus intereat penitus quum fuerit infirmitate liberi arbitrii lapsus.

CAPITULUM XIII.

Quod directio vitæ nostræ sit ex Deo.

NUNQUAM sancti viri dixerunt se propria industria obtinuisse directionem viæ qua gradiebantur ad perfectionem virtutum, sed directionem hanc deprecaban- Ps. XXIV, 5. tur a Deo, dicentes : Dirige me in veritate Ps. V, 9. tua ; et, Dirige in conspectu tuo viam meam ; et, Notam fac mihi viam in qua Ps. CXLII, 8. ambulem. Alius autem clamat se hoc deprehendisse non solum fide, sed etiam experimento, et quodammodo in ipsa rerum natura, dicendo : Cognovi, Domine, Jer. X, 23. quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Unde Dominus ait ad Israel : Dirigam eum Osee XIV, 9. ego ut abietem virentem, ex me fructus tuus inventus est.

CAPITULUM XIV.

Quod scientia legis divinæ conferatur illuminatione ac magisterio Dei.

DESIDERANT quoque electi et Sancti adipisci scientiam legis, non industria lectionis, sed magisterio et illuminatione Dei, orantes : Vias tuas, Domine, demon- Ps. XXIV, 4. stra mihi, et semitas tuas edoce me ; et, Revela oculos meos, et considerabo mira- Ps. CXVIII, 18. bilia de lege tua ; et, Doce me facere Ps. CXLII, 10. voluntatem tuam, quia Deus meus es tu ; itemque, Qui docet hominem scientiam. Ps. XCIII, 10.

CAPITULUM XV.

Quod a Deo donentur intellectus quo possumus mandata Dei cognoscere, et bonæ voluntatis affectus.

BEATUS quoque David scit se non possidere nisi a Domino ipsum etiam intellectum, quo posset agnoscere Dei mandata, quæ utique noverat scripta esse in D libro legis ; quia hunc postulat a Deo accipere, dicens : Servus tuus ego sum, da mi- Ps. CXVIII, 125. hi intellectum ut discam mandata tua. Qui utique David postquam possedit intellectum a Deo sibi naturaliter præstitum, habebat quoque in promptu notitiam mandatorum Dei quæ scripta erant in lege ; et tamen ita deprecatus est Dominum, quatenus scientiam istam apprehenderet plenius, sciens sibi non posse sufficere quod per creationem accepit, nisi quotidie illuminaretur a Deo ad intelligendum spiri-

tualiter legem, atque ad cognoscendum A mandata ejus apertius. Denique Vas ele- *Philipp.* II, 13. ctionis hoc docet apertius, dicens : Deus operatur in nobis velle et perficere pro *II Tim.* II, 7. bona voluntate; et rursus : Intellige (inquit) quæ dico, dabit enim tibi Dominus intellectum. Quid potuit apertius dici, nisi ut affirmaret in nobis causari a Deo et bonam voluntatem, et operis consumma- *Philipp.* I, 29. tionem? Et iterum ait : Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Quibus verbis declarat donari nobis a Deo B initium conversionis ac fidei, tolerantiamque adversitatum. Quod David agnoscens, oravit sibi hoc ipsum conferri a Deo, quum *Ps.* LXVII, 29. ait : Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis; ostendens quod non sufficiant sibi principia salutis sibi a Deo collata, nisi perficiantur miseratione divina et operatione quotidiana. Non enim liberum *Ps.* CXLV, 7-9. arbitrium, sed Dominus solvit compeditos; non nostra virtus, sed Dominus erigit elisos; non lectionis industria, sed Dominus illuminat cæcos, et sicut habetur in C Græco : Dominus cæcos efficit sapientes. Non nostra cautela, sed Dominus custodit *Ps.* CXLIV, 14. advenas; non nostra fortitudo, sed Dominus elevat seu suffulcit omnes qui corruunt. Hæc autem dicimus, non ut otio locum demus, et studium nostrum ac laborem atque industriam inaniter occupemus aut negligamus; sed ut agnoscamus non posse nos sine adjutorio Dei meritorie operari, nec efficaces esse nostros conatus ad prægrande culmen ac præmium puritatis, nisi fuerit nobis collatum adjutorio D ac misericordia Creatoris. Hinc ait Scri- *Prov.* XXI, 31. ptura : Equus paratur in diem belli, a *I Reg.* II, 9. Domino autem victoria tribuetur, quia non *Ps.* XXXII, 17. in fortitudine sua roborabitur vir; et fal- *II Cor.* X, 17. lax equus ad salutem, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Oportet nos igitur cum *Ps.* CXVII, 14. beato David cantare : Fortitudo mea et laus mea Dominus; non liberum arbitrium, sed Dominus factus est mihi in salutem. Quod et Doctor gentium non ignorans, clamat se factum ministrum idoneum novi Testamenti, non suo merito aut sudore, sed Dei miseratione : Non sumus, inquiens, *II Cor.* III, 5. idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quod expressius dici potest : idoneitas nostra ex Deo est. Nam subdit : Qui et *Ibid.* 6. idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.

Denique Apostoli in tantum senserunt universa ad salutem spectantia a Deo sibi concessa, ut fidem quoque postularent præstari seu perfici ab eodem, dicentes : Adauge nobis fidem; *Luc.* XVII, 5. præsumentes adipisci plenitudinem fidei non a libero arbitrio, sed credentes eam sibi præstandam a Domino. Insuper docet Salvator quam lubrica, infirma insufficiensque consistat fides nostra, nisi Dei auxilio roboretur, dicens ad Petrum : Simon, Simon, ec- *Ibid.* XXII, 31, 32. ce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi ut non deficiat fides tua. Quod alius in semetipso sentiens quodammodo fieri, videns fidem suam infidelitatis fluctibus trahi ad subversionem perniciosi naufragii, exoravit : Domine, adjuva incredulitatem me- *Marc.* IX, 23. am. In tantum autem senserunt evangelici et apostolici viri universa bona fieri auxilio Dei, quod fatebantur se non posse ipsam fidem suam servare illæsam viribus suis aut libertate arbitrii; ideo postulabant eam sibi a Deo donari ac adjuvari. Quæ si indiguit auxilio Dei in Petro ne deficeret, quis erit tam præsumptuosus et cæcus, ut credat se non indigere quotidiano auxilio Dei ad custodiam fidei suæ? Præsertim quum Dominus in Evangelio hoc ipsum evidenter expresserit, dicens : Sicut palmes non potest fructum facere *Joann.* XV, 4. a semetipso, nisi manserit in vite, ita et vos, nisi in me manseritis; et rursus ait : Sine me nihil potestis facere. *Ibid.* 5. Quam ineptum ergo atque sacrilegum sit aliquid boni adscribere industriæ propriæ, et non potius opi ac gratiæ Dei, manifeste probatur, quum Christus Dominus protestetur neminem posse spirituales facere fructus sine inspiratione cooperationeque sua. Hinc

Jacob. I, 17. Jacobus quoque apostolus : Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum; *Zach.* IX, 17. ideo, Si quid bonum est, Dei est, et si quid optimum, ab ipso est. Idcirco con- I *Cor.* IV, 7. stanter dixit B. Paulus : Quid habes quod non accepisti ? quid gloriaris quasi non acceperis ?

CAPITULUM XVI.

Quod moderatio et tolerantia tentationum tribuatur a Domino.

BEATUS quoque Apostolus docet, quod efficacia tolerantiæ qua possumus sustinere tentationes, consistat in moderatione pietatis divinæ potius quam in nostra *Ibid.* X, 13. virtute, dicendo : Tentatio vos non apprehendat nisi humana; fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Denique idem Apostolus protestatur, quod Deus aptet seu roboret animas nostras ad omne opus bonum, et operetur in nobis *Hebr.* XIII, 20, 21. quæ sibi sunt placita, dicens : Deus autem pacis qui eduxit de morte pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se. Quod etiam Thessalonicensibus impertiri oravit, II *Thess.* II, 16, 17. quum ait : Ipse autem Dominus Jesus Christus, et Deus pater noster qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

CAPITULUM XVII.

Quod perpetuitas timoris Dei nobis a Domino conferatur.

PRÆTEREA Deus per Jeremiam testatur, quod ipse nobis infundat timorem sui, quo eum firmiter valeamus te- A nere : Dabo, inquiens, eis cor unum et *Jer.* XXXII, 39, 40. animam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis et filiis eorum post eos, et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam benefacere eis, et timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me. Rursus per Ezechielem disseruit : Dabo eis cor novum, et spiritum *Ezech.* XI, 19, 20; XXXVI, 26-28. novum ponam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant B et faciant ea, et sint mihi in populum; et ego sim eis in Deum.

CAPITULUM XVIII.

Quod initium bonæ voluntatis et consummatio ejus a Deo sit.

EX quibus manifeste docemur initium bonæ voluntatis nobis conferri a Deo, quum per se ipsum aut per alicujus hominis exhortationem, vel per adversita- C tem, trahit nos ad viam salutis. Conformiter hinc probatur et ipsam virtutum perfectionem donari ab eo, nostrum vero hoc esse, ut intensius sive remissius exsequamur exhortationem atque auxilium Dei; et per hoc justissime promeremur gloriam aut tormenta, eo quod negligimus aut studemus congrua obeditione et devotione occurrere dispositioni ac providentiæ Dei nobis exhibitæ benignissima dignatione. Quod in Deuteronomio evidenter ita describitur : Quum introduxerit te Do- *Deut.* VII, 1-3. D minus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri et robustiores te, tradideritque tibi eas Dominus, percuties eas usque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia. Itaque Scriptura testatur hoc esse gratiæ Dei, quod introducuntur in terram promissionis, quod multæ gentes co-

ram eis delentur, quod item traduntur in A manus eorum nationes numero et fortitudine excedentes. Porro, an populus Israel percutiat eos usque ad internecionem, an reservet eos et parcat, et utrum ineat cum eis fœdus societque conjugia, an non, hoc Scriptura docet esse ipsius Israeliticæ plebis. Quo testimonio distincte insinuatur, quid adscribere debeamus arbitrio libero, quid dispensationi et quotidiano auxilio gratiæ Dei; quod item Dominus per gratiam suam præstet nobis occasiones salutis, prosperosque profectus atque victo- B riam. Nostrum vero est, causas salutis intensius aut remissius exsequi. Quod etiam videmus evidenter expressum in curatione cæcorum. Quod enim Jesus transiit ante eos, gratia fuit providentiæ dignationisque suæ. Quod autem clamabant, dicentes :
Matth. xx, 30. Miserere nostri, fili David; opus fuit fidei et credulitatis eorum. Quod visum receperunt, fuit munus miserationis divinæ. Quod autem post utriuslibet muneris perceptionem perseveret tam gratia Dei quam facultas liberi arbitrii, declarat exemplum C
Luc. xvii, 12-18. decem leprosorum simul a Domino curatorum. Ex quibus dum unus per liberi arbitrii facultatem rependit gratiarum actionem, Christus alios novem requirens, ac unum illum collaudans, ostendit se retinere jugem vicissitudinem seu respectum adjutorii sui etiam circa ingratos. Nam hoc ipsum donum est suæ visitationis aut miserationis, quod gratum suscipit et commendat, ingratos vero requirit ac reprehendit.

D

CAPITULUM XIX.

Quod nihil geratur a nobis in mundo hoc sine Deo.

CREDERE tamen indubitanter debemus, nil prorsus in hoc mundo fieri sine Deo et providentia ejus. Nam omnia fiunt voluntate aut permissione ipsius : ut bona credantur fieri voluntate atque auxilio Dei; mala vero permissione ipsius, dum protectio Dei nos deserit, et propter nequitias et duritiam cordis nostri dominari permittit nobis diabolum aut ignominiosas corporis passiones. Quod etiam evidentissime docemur verbo Pauli, dicentis :
Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; Rom. I, 26.
et iterum : Quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Ibid. 28.
Hinc Dominus loquitur per Prophetam : Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi; propter quod dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Ps. LXXX, 12, 13.

CAPITULUM XX.

Objectio de potestate liberi arbitrii.

GERMANUS : Hoc testimonium apertissime demonstrat liberum arbitrium, quum dicitur : Si populus meus audisset me; Ibid. 14.
itemque, Et non audivit populus meus vocem meam. Ibid. 12.
Quum enim dicit : Si audisset; ostendit in potestate ejus fuisse acquiescere et non acquiescere. Quomodo ergo non est salus nostra collocanda in nostra potestate, quum Deus contulerit nobis facultatem audiendi et non audiendi?

CAPITULUM XXI.

Responsio, quod liberum arbitrium nostrum semper indigeat adjutorio Dei.

PAPHNUTIUS : Acute considerastis hoc verbum, Si audisset me; sed nequaquam attenditis quis loquatur ad audientem vel non audientem, neque quod sequitur : Pro nihilo utique inimicos ejus humiliassem, et super tribulantes eum misissem manum meam. Ibid. 15.
Nemo ergo conetur ita assumere ad defensionem liberi arbitrii ea quæ diximus, prava interpretatione ea retorquens : quæ idcirco protulimus ut probaremus nihil fieri sine

Deo. Nemo, inquam, sic ea accipiat ut ni- A tatur auferre ab homine gratiam Dei et quotidianam provisionem ipsius, per hoc quod dicitur : Et non audivit populus vo- *Ps.* LXXX, 12, 14. cem meam ; et iterum : Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset ; sed attendat quod sicut facultas liberi arbitrii demonstratur in ipsa obedientia populi, ita quotidiana provisio Dei clamantis ac monentis circa populum, declaratur per verba prætacta. Quum enim *Ibid.* 14. Dominus ait : Si populus meus audisset me ; ostendit se primo locutum esse ad B populum : quod a Domino fieri solet non solum per legem litteris scriptam, sed etiam per hortamenta quotidiana, quemadmodum ait per Isaiam : *Is.* LXV, 2. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi. Utrumque ergo potest testimonio isto probari : Si populus meus audisset me, etc. Nam sicut liberum arbitrium demonstratur per obedientiam populi, sic dispensatio atque auxilium Dei declarantur principio ac fine ejusdem versiculi, quum Dominus asserit se primo locutum, et deinde affirmat se humiliaturum fuisse adversarios populi sui, si populus suus ipsum audisset. Non enim volumus liberum arbitrium removere per ea quæ diximus, sed probare quod adjutorium gratiæ Dei sit necessarium ei per dies singulos ac momenta.

Postremo abbas Paphnutius emisit de cella sua ante mediam noctem nos his sermonibus eruditos, et compunctos magis quam alacres : qui nobis sua collatione dedit hoc maxime, ut quum putaremus nos posse attingere culmen perfectionis per primam abrenuntiationem, quam toto virtutis conatu studebamus implere, jam inciperemus cognoscere quod necdum incepimus somniare monachorum fastigia seu perfectionem eorum præcipuam ; nam de secunda abrenuntiatione Patrum eruditi in nostro cœnobio, nihil omnino audivimus de abrenuntiatione tertia, in qua omnis continetur perfectio, et quæ alias duas variis modis transcendit.

COLLATIO IV

(Abbatis Danielis)

DE CONCUPISCENTIA CARNIS ET SPIRITUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De vita abbatis Danielis.

INTER ceteros christianæ sapientiæ viros, vidimus abbatem Danielem æqualem virtutibus his qui morabantur in Scythi, specialius tamen ornatum humilitate. Qui merito suæ puritatis ac mansuetudinis promotus est ad diaconatum a beato Paphnutio ejusdem solitudinis presbytero, quum junior esset multis. In tantum namque abbas Paphnutius congratulabatur virtutibus Danielis, ut quem sibi parem noverat gratia ac meritis vitæ, festinaret sibi æquare sacerdotii dignitate. Unde non ferens Danielem diutius occupari in ordine ministerii inferioris, et cupiens sibi successorem dignissimum providere, provexit eum ad presbyteratus honorem. Sed abbas Daniel pristinam humilitatem non deserens, nunquam exercuit actum ordinis sublimioris seu sacerdotalis præsente Paphnutio; imo abbate Paphnutio spirituales hostias offerente, iste exercuit diaconatus officium. Verumtamen spes successionis atque electio in hac parte defraudavit sanctum Paphnutium, quum tamen talis esset ac tantus ut in multis gratia prophetiæ fulgeret. Nam paulo post, Danielem hunc præmisit ad Dominum, quem sibi instituit successorem.

CAPITULUM II.

Inquisitio, unde oriatur repentina commotio mentium ab ineffabili gaudio ad mœstissimam cordis dejectionem.

A BEATUM itaque Danielem interrogavimus, cur sedentes in cellulis nostris repleremur interdum tanta alacritate, imo ineffabili gaudio quodam, tantaque exuberantia spiritualium sacratissimorumque intellectuum, ut non solum non possimus verbis exprimere, imo nec sensu concipere; pura quoque ac prompta effunderetur oratio, et mens spiritualibus fructibus plena, in somno etiam orans, sentiret preces suas efficaces et leves pervenire ad Deum; deinde sine causa repleremur B repente angustia, et irrationabili quadam premeremur tristitia, ut non solum sentiremus nos a spirituali intellectu arescere, verum etiam cella horresceret, atque oratio nostra esset instabilis, vaga et quodammodo ebria : ita ut quamvis ingemisceremus et conaremur ad pristinam dispositionem et alacritatem reverti, non tamen possemus, sed quanto intentius mens revocaretur ad Dei intuitum, tanto vehementius raperetur ad evagationes et discursus nutantes ac lubricos, omnique spirituali C fructu redderetur destituta, ita ut nec desiderio gloriæ, nec metu gehennæ posset excitari ab hoc somno letali. Ad hoc ipse respondit.

CAPITULUM III.

Responsio super hac quæstione.

TRIPLEX causa hujus sterilitatis, de qua quæritis, assignata est a majoribus nostris : primo enim contingit ex ne- D gligentia nostra; secundo, ex impugnatione diaboli; tertio, ex dispensatione probatio-

neque Dei. Ex negligentia etenim nostra A descendit, quum procedente tepore ex vitio nostro, habemus nos coram Deo remisse et incircumspecte, et noxiis cogitationibus per ignaviam desidiamque nutrimur; sicque terram nostri cordis germinare facimus spinas ac tribulos, quibus in ea nascentibus, consequenter efficimur steriles atque ab omni spirituali fructu et contemplatione inanes. Porro ex impugnatione diaboli oritur, quum et bonis actibus dediti, retrahimur ab optimis intentionibus ignoranter aut invite, adversario B cor nostrum intrante sua versuta calliditate.

CAPITULUM IV.

Quod duplex sit causa dispensationis ac probationis divinæ.

DISPENSATIONIS autem seu probationis Dei in isto duplex est causa. Prima, ut paulisper relicti a Deo, et propri- C am infirmitatem experientes humiliterque pensantes, non extollamur de præcedente alacritate ac puritate nobis pie collata ex visitatione divina : sicque probantes nos ita relictos non posse nostris gemitibus atque industria recuperare priorem illum lætitiæ ac munditiæ statum, intelligamus præteritam ac amissam cordis alacritatem fuisse nobis collatam non nostro labore, sed Dei dignatione, eam quoque rursus esse petendam de pietate, illuminatione ac gratia Creatoris. Secunda hujus proba- D tionis est causa, ut comprobetur perseverantia, constantia ac desiderium cordis nostri, et manifestetur qua cordis intentione atque orationum instantia requiramus visitationem Spiritus Sancti nos deserentem : et ita videntes quam difficulter recuperentur amissa alacritas ac puritatis lætitia, studeamus recuperatas sollicitius custodire attentiusque tenere. Negligentius quippe solet custodiri quod creditur posse faciliter reparari.

CAPITULUM V.

Quod studium et industria nostra nil valeat sine adjutorio Dei.

PER quæ evidenter probatur, quod misericordia et gratia operentur semper in nobis ea quæ bona seu meritoria sunt, et quod studium laborantis nil possit per se; nec industriam animi, quantumcumque conetur, posse recuperare pristinum statum, et illud Apostoli semper in nobis impleri : Non volentis neque currentis, sed *Rom.* IX, 16.
miserentis est Dei. Qui interdum visitare dignatur negligentes ac resolutos sancta inspiratione præfata et spiritualium meditationum exuberantia, inspiratque indignos et suscitat pigritantes, ignorantiæ cæcitate possessos illuminat, et clementer nos arguit et castigat, infundens se cordibus nostris, ut vel sic provocemur exsurgere instigati ipsius compunctione de somno nostræ inertiæ. Denique in visitationibus istis implemur frequenter etiam odoribus ultra omnem humanæ compositionis suavitatem prædulcibus, ita ut mens delectatione hac resoluta rapiatur in spiritualem excessum, et obliviscatur se commorari in carne.

CAPITULUM VI.

Quod utile nobis sit interdum a Deo quasi relinqui.

SANCTUS quoque David cognovit prætactam derelictionem seu Dei recessum tam utilem esse, quod non oravit ne in nullo penitus relinqueretur a Deo. Hoc namque sciebat incongruum esse sibi aut humanæ naturæ ad quamlibet perfectionem pervenienti; sed deprecatus est derelictionem illam potius temperari in se, dicens : Non me derelinquas usque- *Ps.* CXVIII, 8.
quaque. Ac si diceret aliis verbis : Scio quod soleas sanctos tuos utiliter interdum relinquere, quatenus probes eos; aliter enim ab adversario tentari non possunt,

nisi a te fuerint paululum derelicti. Idcirco A
non rogo ut me nunquam relinquas, quia
non expedit mihi, ne scilicet propriam
infirmitatem non recognoscens, negligam
Ps. cxviii, 71. dicere : Bonum mihi quia humiliasti me;
vel ne caream exercitio spiritualiter prœliandi. Quod sine dubio habere non potero, si indesinenter mihi cohæreat tua protectio : qua me suffultum tentare Zabulus non audebit, sed objiciet aut exprobrabit tibi vel mihi quod contra tuos athletas solet calumniosa voce proferre :
Job i, 9, 10. Num gratis Job colit Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Sed magis oro ne me deseras *usquequaque,* quod Græce sonat : usque ad nimietatem. Quantum enim mihi utile est quod paululum me relinquis, ut probetur constantia desiderii mei, tantum nocivum est mihi si propter demerita mea me nimium deseras : quoniam nulla virtus humana poterit sua constantia perdurare, si tuo auxilio deseratur diutius in tentatione; imo protinus succumbet fortitudini aut calliditati tentantis, nisi tu ipse, qui humanarum es cognitor virium atque luctaminum moderator,
I Cor. x, 13. non permiseris nos tentari supra id quod possumus, sed feceris et cum tentatione proventum ut sustinere possimus. Præterea tale aliquid legimus mystice designatum in libro Judicum de exterminatione spiritualium gentium Israeli inimicantium :
Judic. iii, 1, 2. Hæ sunt gentes, ait Scriptura, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et haberent consuetudinem cum hostibus
Ibid. 4. prœliandi; et rursus : Dimisitque eos Dominus, ut in ipsis experiretur Israelem, an audirent mandata Domini, an non. Quam utique pugnam Dominus reservavit non quasi invidens quieti plebis suæ, aut male consulens eis, sed sciens eam utilissimam ipsis, ut dum filii Israel deprimerentur impugnatione gentium præfatarum, sentirent se Dei auxilio jugiter indigere; sicque perdurantes in meditatione et invocatione ipsius, non dissolverentur inertia, nec amitterent usum bellandi exercitiumque virtutum. Frequenter enim securitas atque prosperitas dejecerunt quos adversa superare non potuerunt.

CAPITULUM VII.

De utilitate pugnæ quam ponit Apostolus in colluctatione carnis et spiritus.

LEGIMUS quoque in Apostolo, pugnam hanc esse utiliter insitam membris nostris, quemadmodum dicit : Caro enim Galat. v, 17.
concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Habes et hic pugnam corpori nostro invisceratam, dispensatione seu moderatione Dei id procurante. Quidquid enim generaliter et sine exceptione cunctis inest hominibus, quid aliud potest dici, nisi naturaliter attributum humanæ substantiæ post hominis primi ruinam? Et quod universis innatum est, credi debet insitum esse arbitrio Dei non nocentis, sed consulentis aut providentis. Porro causam belli inter carnem et spiritum dicit Apostolus : Ut non quæcumque vultis, illa fa- Ibidem.
ciatis. Ergo si id quod Deus procuravit ob hoc ne faciamus omne quod volumus, impleatur, quid aliud credendum est esse quam noxium? Denique pugna hæc carnis ac spiritus insita nobis moderamine Conditoris, est quodammodo utilis atque ad meliorem statum provocans ac impellens : qua sublata, succederet pax perniciosa.

CAPITULUM VIII.

Quid sit quod in capitulo quodam Apostoli, tertia adjiciatur voluntas, post concupiscentias carnis ac spiritus sibi invicem adversantes.

GERMANUS : Quamvis videatur jam nobis quidam intellectus prælucere in verbis Apostoli, tamen quia sententiam ejus non possumus adhuc lucide penetra-

re, cupimus nobis hæc evidentius declarari. Tres enim res hic insinuari videntur : prima, est carnis adversus spiritum pugna ; secunda, est concupiscentia spiritus contra carnem ; tertia, est voluntas nostra quæ tanquam media collocatur, de qua dicitur : Ut non quæcumque vultis, illa faciatis. De qua re quamvis, ut dixi, colligamus quasdam occasiones intelligentiæ ex prædictis, volumus tamen aliquid lucidius nobis super hoc disputari, quoniam inde se obtulit occasio disputationis istius.

CAPITULUM IX.

Responsio de intellectu recte interrogantis.

DANIEL : Discernere divisiones et lineas quæstionum est portio intellectualis notitiæ, et maxima pars intelligentiæ est scire quid nescias. Propter quod dicitur : Insipienti interroganti sapientia reputabitur. (*Prov.* XVII, 28, juxta LXX.) Nam quamvis interrogans ignoret vim propositæ quæstionis, tamen quia prudenter inquirit, hoc ipsum reputatur ei ad sapientiam quod prudenter agnoscit quid nesciat. Itaque secundum divisionem nostram præhabitam, tres res in verbis prædictis tanguntur : videlicet concupiscentia carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, quarum mutua pugna habet hanc causam, ut ea quæ volumus facere nequeamus. Quarta igitur superest causa, quam non considerastis : ut scilicet id quod nolumus faciamus. Nunc igitur restat ut prius cognoscamus vim concupiscentiarum duarum, videlicet carnis et spiritus, et ita demum valeamus discutere quæ sit nostra voluntas posita inter utrasque ; deinde similiter discernamus quid possit non esse nostræ voluntatis.

CAPITULUM X.

Quod vocabulum carnis accipiatur multis modis.

HOC nomen, caro, multipliciter in Scripturis accipitur. Interdum enim significat integrum hominem qui ex anima A constat et corpore, ut ibi : Verbum caro factum est (*Joann.* I, 14); et, Videbit omnis caro salutare Dei nostri (*Luc.* III, 6). Interdum vero significat homines carnales et impios, ut ibi : Non permanebit spiritus meus in hominibus, eo quod caro sint (*Gen.* VI, 3). Interdum autem ponitur pro peccatis, ut ibi : Vos autem non estis in carne, sed in spiritu (*Rom.* VIII, 9); et rursus, Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* XV, 50); nam subditur ibi : Neque corruptio incorruptelam possidebit. Quandoque vero accipitur pro cognatione et propinquitate, ut B ibi : Ecce nos os tuum et caro tua sumus (*II Reg.* V, 1); et Apostolus ait : Si quomodo ad æmulationem provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis (*Rom.* XI, 14). Quærendum ergo secundum quam harum quatuor significationum accipienda sit *caro* in verbis illis Apostoli. Manifestum est namque dictum illud Apostoli, Caro concupiscit adversus spiritum (*Galat.* V, 17), stare non posse si *caro* sumatur primo modo; nec etiam si secundo modo accipiatur, quia quum dicitur, Caro concupiscit adversus spiritum, non capitur C *caro* ita abrupte pro homine peccatore sicut quum legitur, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod sint caro (*Gen.* VI, 3). Neque enim de rebus substantialibus, sed actualibus loquitur, quæ in uno eodemque homine colluctantur sigillatim aut pariter cum quadam vicissitudine mutationeque temporis.

CAPITULUM XI.

Quid hoc loco dicatur caro ab Apostolo ; et quid sit concupiscentia spiritus.

D IDCIRCO hoc loco nomine carnis debemus accipere non carnis substantiam, sed carnis voluntatem, seu pessima desideria ejus ; per spiritum quoque intelligere nos oportet non aliquam spiritualem substantiam, sed bona ac spiritualia desideria animæ. Quem sensum idem Apostolus alio loco evidenter expressit, quum ait : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit ad- (*Galat.* V, 16, 17.)

versus spiritum, spiritus vero adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quæ utraque desideria carnis et spiritus quum sint in uno eodemque homine, intestinum bellum intra nos geritur omni die, dum concupiscentia carnis quæ præcipitanter fertur ad vitia, gaudet deliciis quæ ad præsentem pertinent requiem corporalem : quibus concupiscentia spiritus adversans, ita desiderat spiritualibus studiis totaliter inhærere, ut optet etiam necessarios carnis usus excludere ; sic cupiens spiritualibus jugiter occupari, ut appetat nullam curam fragilitati carnis impendere. Caro luxuriis atque libidine delectatur, spiritus vero nec ipsis naturalibus desideriis acquiescit. Caro cupit cibo ac somno repleri, spiritus jejuniis atque vigiliis saginatur, ut cibum ac somnum cupiat non admittere ad necessarium usum vitæ. Caro appetit abundare copiis universis, spiritus ne panem quidem vult habere exiguum. Caro cupit lavacris nitida fieri et quotidianis turbis adulantium constipari, spiritus gaudet pauperie sordium ac vastitate inaccessibilis eremi. Caro fovetur honoribus ac laudibus hominum, spiritus gloriatur adversitatibus tribulationum.

CAPITULUM XII.

Quæ sit voluntas nostra quæ inter concupiscentiam carnis ac spiritus ponitur.

INTER has ergo utrasque concupiscentias voluntas animæ consistens in medio vituperabiliore, nec vitiorum voluptatibus oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit : sic quærens a passionibus abstinere carnalibus, ut tamen non velit necessarios sustinere dolores sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri ; desiderans obtinere castimoniam corporis absque castigatione ipsius, puritatemque cordis sine vigiliarum labore, atque cum requie carnis spiritualibus abundare virtutibus, et absque ulla convitiatione gratiam patientiæ possidere, humilitatem quoque apprehendere Salvatoris sine jactura mundani honoris, sectari etiam simplicitatem religionis cum vanitate sæcularis ambitionis, et Christo servire cum laude hominum ac favore, districtionem æquitatis ac veritatis proferre absque alicujus offensione, postremo, sic consequi bona futura, ut non amittat præsentia. Quæ voluntas nunquam sinet nec faciet nos ad veram perfectionem attingere, sed collocabit nos in teterrimo quodam tepore, et assimilabit nos illi cui in Apocalypsi Dominus increpatorie loquitur : Scio opera tua, quia nec frigidus es nec calidus ; utinam frigidus esses aut calidus ! nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc.* III, 15, 16.

Tales ergo nos facit hæc voluntas, nisi bella altrinsecus insurgentia confregerint hunc tepidissimum statum. Nempe dum obtemperantes huic nostræ voluntati, voluerimus nos ad hanc remissionem paululum relaxare, confestim insurgunt aculei carnis, qui nos suis vitiis passionibusque lædentes, nequaquam permittunt nos stare in illa puritatis qualitate qua delectamur : imo ad illam nos trahunt frigidam voluptatem ac viam spinosam quam abhorremus. Rursus si spiritus fervore succensi, et opera carnis volentes exstinguere, tentaverimus nos totos conferre cum quadam animi elatione ad studia virtutum immoderata, sine ulla consideratione fragilitatis humanæ, interpellans imbecillitas carnis revocat et retardat ab illa indiscreta spiritus nimietate : sicque fit ut repugnante sibi mutuo utraque concupiscentia colluctatione alterna, illa animæ voluntas, quæ non vult se totam carnalibus desideriis dare, neque virtutum laboribus insudare, temperetur quodammodo moderamine justo ; dum hæc contentio inter utrasque concupiscentias excludit illam perniciosiorem animæ voluntatem, ponens in corpore nostro observantiam æquitatis, quæ justo examine discernit, moderatur atque contemperat confinia carnis ac spiritus, non permittens mentem

spirituali ardore succensam declinare a A dextris, nec carnem aculeis vitiorum gravatam, a sinistris. Dumque hæc pugna quotidie agitatur in nobis utiliter, venire compellimur salubriter ad quartum illud quod nolumus, ut cordis puritatem acquiramus non securitate aut otio, sed jugi sudore et cordis contritione, castitatemque carnis custodiamus ac reservemus districtis jejuniis, vigilantia, fame ac siti; mentis quoque directionem ad Deum capiamus lectione, vigiliis, oratione continua, solitudinisque secreto; patientiam insuper B conservemus per exercitia tribulationum, sicque nostro serviamus Auctori cum perpessione blasphemiarum et saturitate opprobriorum ; veritatem atque justitiam proferamus et exsequamur etiam, si opus fuerit, cum odio et inimicitiis mundi ; et ita per talem colluctationem in nostro corpore militantem protracti a securitate illa ignava et provocati ad istum laborem studiumque virtutum, retineamus æquitatem optime mediam et discretam.

Sic itaque hinc fervor spiritus, illinc C gelidissimus rigor carnis contemperent calore moderatissimo tepidum nostræ voluntatis arbitrium, ut concupiscentia spiritus non permittat pertrahi mentem ad effrenata peccata, nec carnis fragilitas spiritum patiatur extolli aut ferri ad virtutum irrationabiles indiscretosque appetitus, ne aut ex immoderato spiritus fervore pullulent omnium fomites vitiorum, aut ex irrationabili appetitu virtutum erumpat elatio, graviore telo confodiens; sed justa æquilibratio colluctationis horum succe- D dens, servet sanam moderatamque viam inter utraque illa, docens militem Christi semper incedere regali itinere. Sicque fiet, dum ex tepore prædictæ ignavissimæ seu tepidissimæ voluntatis mens fuerit excessive devoluta ad desideria carnis, mox refrenetur per sinceram concupiscentiam spiritus, ipso spiritu nequaquam acquiescente vitiis carnis; et rursus, si spiritus noster immoderato fervore extenderit se ad impossibilia per cordis excessum, fragilitate corporis non pensata, retrahatur ad justum examen, atque transcendens tepidissimum nostræ voluntatis statum, incedat viam perfectionis utilissima temperie planoque tramite cum sudore industriæ. Denique huic simile aliquid legimus dispensatum et factum a Domino in ædificatione turris Babel, ubi exorta linguarum *Gen.* XI, 9.
confusio repente compescuit ausus hominum sacrilegos ac nefandos. Permansisset etenim ibi pravus consensus iniquorum adversus Deum, imo et contra eos qui attentare cœperant majestatem divinam, nisi diversitas linguæ inter se repugnans compulisset illos dispensatione divina in meliorem proficere statum per dissonantiam vocum, et quos perniciosus consensus animaverat ad excidium sive interitum sui, revocasset bona utilisque discordia ad salutem, dum interveniente divisione linguarum, cœperunt humanam fragilitatem sentire, quam impia inspiratione elati antea nesciebant.

CAPITULUM XIII.

De utilitate cunctationis seu moræ quæ oritur ex colluctatione carnis et spiritus.

CUNCTATIO autem tam utilis nobis oritur ex diversitate pugnæ prædictæ, tamque salutaris dilatio ex concertatione hujusmodi, ut dum retrahimur ab executione et opere eorum quæ vitiose concipimus, resistente corporis mole, revocemur interdum in statum meliorem pœnitudine subsequente, aut emendatione quæ solet descendere ex operis procrastinatione, seu recognitione ipsius interveniente. Denique dæmones et spirituales nequitiæ, qui nullo carnis obstaculo retardantur ab executione desideriorum suorum, quum sint de eminentiore angelorum ordine lapsi, deteriores exstant hominibus : eo quod possibilitate eorum desideriis adjacente, non vereantur inflexibili pravitate perficere id quod semel nequiter conceperint; quoniam sicut animus eorum est

velox ad excogitandum, ita eorum substantia est pervigil et absoluta ad exsequendum ; dumque suppetit eis prava facultas agendi quæ cupiunt, nulla deliberatio salutaris interveniens emendat eorum malum conceptum.

CAPITULUM XIV.

De inemendabili malitia spiritualium nequitiarum.

SPIRITUALIS namque substantia, nulla carnis mole ligata, sicut non recipit excusationem pravæ voluntatis in se exortæ, ita excludit velamen suæ malitiæ : quum non sit extrinsecus lacessita aut mota impugnatione carnis aliqua ad peccandum quemadmodum nos, sed accensa vitio suæ voluntatis solius ; ideoque non habet remedium. Nam sicut corrumpitur non sollicitante eam aliqua terrena materia, ita obtinere non potest indulgentiam aut pœnitentiæ locum. Ex quibus aperte colligitur, quod concertatio ista quæ suscitatur in nobis inter carnem et spiritum, non solum consistat innoxia, verum etiam magnam nobis utilitatem inducat.

CAPITULUM XV.

Quid nobis prosit concupiscentia carnis adversus spiritum.

PRODEST (inquam) in primis, quoniam desidiam et negligentiam nostram mox arguit, et tanquam diligentissimus pædagogus, non concedit nos unquam deviare a linea seu rectitudine districtionis ac disciplinæ : imo si nostra securitas paululum excesserit congruæ severitatis mensuram, confestim nos stimulat flagellis incentivorum et increpat, competenter quoque revocat ad parcitatem. Secundo, quoniam dum de gratia Dei et merito puritatis ac castitatis, viderimus nos longo tempore ita immunes a genitali pollutione ut credamus nos amplius non esse A inquietandos nec ipsa simplici carnis commotione, atque per hoc cœperimus superbire in secretis conscientiæ nostræ aut inaniter gloriari, quasi carnem fragilem non gestemus : pugna seu concupiscentia illa nos cito humiliat ac retundit, visitando nos suo fluxu, quamvis simplici et occulto, suisque stimulis admonet nos homines esse. Quum enim cetera vitia etiam graviora ac nociviora soleamus indifferenter incurrere, nec tamen ex eorum perpetratione tam facile compungamur et humili- B emur, tamen in isto peculiariter humiliatur conscientia nostra, quæ hac illusione mordetur recordatione passionum suarum etiam neglectarum, intelligens evidenter immundam se factam naturalibus incentivis, quæ quum immundior esset spiritualibus vitiis, hoc nescivit : sicque protinus recurrens ad emendationem prioris ignaviæ, salubriter admonetur ne confidat super successibus præteritæ puritatis, quam se declinantem a Deo permodice conspicit perdidisse, et sciat se non posse C donum hujus puritatis possidere nisi tantum per gratiam Dei, de quo per quotidiana ipsius rei experimenta docemur, ut si desideramus perpetuam cordis integritatem sortiri, studeamus humilitatis virtutem jugiter retinere.

CAPITULUM XVI.

De incentivis carnis, quibus nisi humiliaremur gravius peccaremus.

D DENIQUE spirituales substantiæ, seu angeli mali, suo casu testantur quod elatio ex puritate prætacta descendens, perniciosissima nobis esset et cunctis sceleribus plus obesset, nec aliquid utilitatis nos esse consecuturos pro castitate quacumque : quoniam angeli quum nullam sustineant carnis titillationem, perpetue sunt dejecti a sublimi cœlestique statione ob solam cordis elationem. Itaque nisi hæc titillatio carnis humiliaret nos atque retunderet, et circa spiritualium vitiorum

purgationem sollicitos redderet ac intentos, essemus omnino absque remedio tepidi : utpote non habentes negligentiæ fragilitatisque nostræ indicem in carne aut conscientia nostra sedentem; nec unquam studeremus pertingere ad perfectionis fervorem, nec teneremus districtionem frugalitatis aut continentiæ.

CAPITULUM XVII.

De eunuchorum tepore.

HINC plerumque videmus teporem hunc animi esse in his qui spadones sunt corpore : quoniam tanquam ab impugnatione hac liberi, non festinant in veritate quærere aut possidere laborem abstinentiæ corporalis nec cordis contritionem, imo nec spiritualium vitiorum expurgationem. Qui status a carnali qualitate descendens, efficitur animalis, qui est procul dubio deterior gradus : ipse est enim qui de frigido pergens ad tepidum, detestabilior perhibetur a Deo.

CAPITULUM XVIII.

Interrogatio, quid intersit inter carnalem et animalem.

GERMANUS : De utilitate colluctationis inter carnem et spiritum evidenter disseruisti, ut nobis videtur : ita ut eam credamus quodammodo palpabilem factam manibus nostris. Ideo cupimus edoceri quid intersit inter virum carnalem et animalem, et qualiter animalis possit deterior esse carnali.

CAPITULUM XIX.

De triplici statu animæ.

AD hoc Daniel dixit : Juxta Scripturæ doctrinam tres status sunt animarum :
A primus carnalis, secundus animalis, tertius spiritualis; quos legimus ab Apostolo designari. De carnali etenim ait : Lac vobis I *Cor.* III, 2.
dedi, non escam, necdum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Et rursus : Quum sit inter *Ibid.* 3.
vos zelus et contentio, nonne carnales estis? De animali quoque testatur : Animalis *Ibid.* II, 14.
autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi. De spirituali vero subjungit : Spiritualis au- *Ibid.* 15.
tem judicat omnia, ipse vero a nemine
B judicatur; itemque : Vos qui spirituales *Galat.* VI, 1.
estis, instruite eos qui hujusmodi sunt, in spiritu lenitatis. Itaque festinandum est nobis, ut quum renuntiantes desierimus esse carnales, id est, a sæcularium conversatione cœperimus separari, atque a manifesta illa carnis pollutione cessare, nitamur tota virtute spiritualem apprehendere statum : ne forte blandientes nobis quia videmur secundum exteriorem hominem sæculo renuntiasse, aut carnalium inquinamenta fornicationum deseruisse, redda-
C mur deinceps remissiores circa ceterarum emendationem passionum, tanquam qui jam apprehenderimus ipsam perfectionem; et ita detenti inter illam corporalem renuntiationem et reputationem hanc vanam, nequeamus assequi gradum spiritualis profectus, existimantes nobis ad perfectionem abunde sufficere quod secundum exteriorem hominem segregati videmur de conversatione et voluptatibus hujus mundi, aut quod immunes simus a corruptione aut commixtione carnali; et
D ita viventes in illo tepido statu, qui censetur deterior, noverimus nos ex ore Domini evomendos, juxta sententiam ejus qua ait : Utinam calidus esses aut frigi- *Apoc.* III, 15, 16.
dus; nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Nec immerito Dominus asserit eos cum quadam sui pectoris convulsione evomendos, quos semel receperat in visceribus caritatis, et tepefacti sunt noxie : qui quum potuissent Domino præbere quodammodo salutarem substantiam sive escam per incor-

porationem in ipsum, maluerunt avelli a visceribus ejus; tanto deteriores effecti cibis illis qui nunquam illati sunt ori Dei, quanto detestabilius reputamus id quod nausea compellente projicimus. Quod enim est frigidum, quum imponitur ori nostro, fit calidum, et cum salubri suavitate percipitur; quod autem semel per nauseam est abjectum, non possumus sine grandi horrore etiam a remoto adspicere, nec dignamur id labiis applicare.

Tepidus ergo rectissime fertur esse deterior, quia carnalis quis, utpote gentilis aut sæcularis, accedit facilius ad salutarem conversionem perfectionisque culmen, quam monachus non arripiens viam perfectionis secundum regulæ disciplinam, qui semel recessit ab igne spiritualis fervoris. Sæcularis quippe aut gentilis ex corporalibus suis vitiis saltem humiliatus, et carnali contagione immundum se sentiens, ad fontem veræ purificationis quandoque compunctus accurrit, horrescens gelidissimum statum suum, sicque spirituali ardore succensus convolabit ad perfectionem facilius. Qui autem semel cum tepore exorsus cœpit abuti nomine monachi, neque arripuit iter hujus professionis humilitate ac fervore quo debuit, infectus semel hac miserabili lue seu culpa atque in ea quodammodo resolutus, non poterit ulterius recta sapere per se ipsum, neque alterius monitis erudiri. Dicit enim in corde suo, ut asserit Dominus : Quia dives sum et locuples, et nullius egeo; cui quod sequitur, convenienter aptatur : Tu es miser et miserabilis, et pauper et cæcus et nudus. In hoc quoque factus deterior sæculari, quod non cognoscit se esse miserum, cæcum, nudum, emendationeque dignum, vel indigentem exhortatione ac institutione alterius : propter quod nullam admittit exhortationem verbi salubris, non intelligens se prægravari damnabilioremque fieri ex ipso nomine monachi, omniumque reputatione se deprimi potius coram Deo; quia dum creditur ab omnibus sanctus et tanquam Dei famulus honoratur, necesse est ut in futuro subdatur graviori judicio atque majori supplicio.

Apoc. III, 17.

Postremo, quid diutius immoramur his quæ per experientiam satis cognoscimus? Nam frequenter conspeximus quosdam frigidos et carnales, id est paganos et sæculares, ad spiritualem pervenisse fervorem; tepidos autem et animales ad eum venisse non vidimus. Quos etiam Deus per Prophetam sic detestatur ut spiritualibus doctoribusque præcipiat, ut eos non hortentur nec instruant, nec semen verbi cœlestis in eos projiciant, quasi in sterilem infructuosamque terram spinis ac tribulis plenam; sed ut illis contemptis, excolant potius novam terram, id est, paganis ac sæcularibus instanter ac fervide prædicent, juxta illud in Jeremia : Hæc dicit Dominus viro Juda et habitatori Jerusalem, Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. *Jer.* IV, 3.

CAPITULUM XX.

De male abrenuntiantibus.

PORRO (quod dicere pudet) videmus multos ita abrenuntiasse, ut probentur nihil mutasse de vitiis ac moribus pristinis, sed solum statum ac habitum sæcularem. Nam acquirere optant pecunias quas nec antea habuerunt, vel certe quas ante habebant retinere non cessant. Imo, quod exstat lugubrius, eas augere desiderant hoc colore, quoniam dicunt justum esse ut ex illa pecunia nutriant famulos suos aut Fratres, vel ut congregent Fratres instituantque cœnobium, cujus personas præsumunt se posse dirigere tanquam abbates. Qui si vere viam perfectionis inquirerent, hoc potius tota virtute niterentur implere, ut scilicet exuti ac liberi ab universis pecuniis, affectionibus, et occupationibus suis prioribus, ita collocarent se ipsos singulares ac nudos sub imperio seniorum, ut non solum non ge-

rerent curam aliorum, sed nec sui ipsorum. Econtrario autem evenit, ut dum ipsi Fratribus præesse festinant, nunquam senioribus subjiciantur : atque a superbia inchoantes, dum alios regere cupiunt, ipsimet nunquam merentur discere aut agere quæ Deo sunt placita; estque necesse juxta Salvatoris sententiam, ut effecti cæci duces cæcorum, simul in foveam cadant.

Matth. xv, 14.

Denique, quamvis sit unum genus hujus superbiæ, duplex tamen est species ejus : una quæ veritatem et gravitatem semper mentitur seu simulat; alia quæ effrenata libertate resolvitur in risus fatuosque cachinnos. Et prima species taciturnitati congaudet, hæc secunda dedignatur arctari silentio, nec confunditur passim etiam inepta proferre, dum erubescit ceteris inferior sive indoctior judicari. Alia harum specierum ex elatione ambit clericatus officium, alia despicit illud tanquam incongruum et indignum suæ pristinæ dignitati aut vitæ, ac meritis suorum natalium. Quarum superbiarum quæ consistat deterior, discutiat ac perpendat uniuscujusque examen. Sane unum ac idem inobedientiæ genus est violare superioris mandatum, aut propter instantiam operis, vel propter desiderium otii, et æque dispendiosum sive nocivum est statuta monasterii transgredi propter somnum et propter vigiliam : ita quod tantum est prævaricari abbatis mandatum ut dormias, quantum ut vigiles, nec alius superbiæ fomes est spernere Fratrem propter jejunium ejus, aut propter refectionem ipsius; nisi quod perniciosiora et a remediis longiora seu incurabiliora sunt vitia quæ erumpunt et fiunt sub specie coloreque virtutum atque imagine spiritualium rerum, quam ea quæ aperte gignuntur ex voluntate carnali et prava radice. Hæc enim tanquam aperta mala ac languida arguuntur citius et curantur celerius; illa vero tanquam sub colore virtutum teguntur, incurata perdurant, faciuntque deceptos periculosius ac desperatius ægrotare.

CAPITULUM XXI.

De his qui contemptis magnis, occupantur in parvis.

NUNC qualiter exprimatur illud ridiculum, quod quosdam videmus, qui post fervorem primæ renuntiationis qua reliquerunt res familiares aut plurimas opes aut sæcularem militiam, atque ad monasterium contulerunt se ipsos, tanto studio esse devinctos in his, id est tam inordinate affici his, quæ penitus abscindi non valent, sed hujus professionis conversationi sunt necessaria, ut in affectu et sollicitudine horum superent passionem et affectionem pristinarum omnium facultatum? Quibus profecto modicum proderit majores opes sprevisse, quoniam transtulerunt affectus earum in res parvas ac viles; quum tamen propter reformandos et exstirpandos illos affectus etiam magnæ opes sint contemnendæ. Nam vitium cupiditatis quod exercere nequeunt circa pretiosa et magna, retinent circa viliores materias : per quod demonstratur se non abscidisse, sed commutasse pristinam passionem. Siquidem nimia cura intenti circa sportellam, saccellum, codicem, mattam, et consimilia, quamvis vilissima, detinentur eadem libidine seu inordinata affectione et delectatione qua ante. Quæ etiam tanta æmulatione custodiunt ac defendunt, ut non erubescant propter ea contra Fratrem irasci : imo, quod turpius est, etiam litigare. In quibus adhuc laborantes ægritudine pristinæ cupiditatis, non sunt contenti habere secundum mensuram numerumque communem ista quæ usus corporis sive necessitas monachum cogit tenere: in hoc quoque monstrantes avaritiam sui cordis, quum ea quibus indigent, student copiosius possidere quam ceteri, vel modum diligentiæ excedentes, custodiunt ea peculiarius atque attentius, et ab aliorum contactu et usu ea præservant quæ debent universis Fratribus esse commu-

nia; quasi diversitas metallorum obnoxia A sit peccato et non ipsa passio cupiditatis, et quasi sit sine culpa irasci pro parvis ac vilibus rebus, quum hoc ipsum non liceat pro rebus magnis et pretiosis, et quasi non idcirco abjecerimus pretiosiores materias ut disceremus facilius spernere viliora. Quid etenim differt, an quis passionem cupiditatis exerceat circa opes amplas et magnas, an circa res viliores? nisi quod in hoc reprehensibilior quis exsistat, quod quum maxima spreverit, minimis superetur. Hinc abrenuntiatio ista non obtinet cordis perfectionem, quia quum habeat substantiam pauperis, non abjicit divitis voluntatem.

COLLATIO V

(Abbatis Serapionis)

DE NATURA VITIORUM, PRÆCIPUE TAMEN DE OCTO VITIIS CAPITALIBUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Adventus noster ad cellam abbatis Serapionis, et inquisitio de impugnatione ac generibus vitiorum.

FUIT in cœtu illo antiquissimorum Patrum vir nomine Serapion, virtute discretionis valde ornatus, cujus Collationem describere dignum reor. Cupientibus itaque nobis ut aliquid loqueretur de impugnationibus vitiorum, per quod eorum causæ atque origines clarius panderentur, ita incepit. Cf. p. 153 D.

CAPITULUM II.

Narratio Serapionis de octo principalibus vitiis.

OCTO sunt principalia vitia quæ humanum genus impugnant : quorum primum est gula, secundum luxuria, tertium avaritia, quartum ira, quintum tristitia, sextum acedia, septimum jactantia seu vana gloria, octavum superbia.

CAPITULUM III.

De duobus generibus vitiorum, et quadruplici effectu eorum.

HORUM vitiorum duo sunt genera. Aut enim naturalia sunt, ut gula; aut extra naturam, ut avaritia. Porro efficientia eorum est quadruplex. Nam quædam sine actione carnali nequeunt consummari, ut gula et fornicatio; quædam sine ulla corporis actione complentur, sicut superbia et gloria vana; aliqua quoque sumunt extrinsecus causas suæ productionis, ut avaritia atque ira; alia intestinis motibus excitantur, sicut acedia itemque tristitia.

CAPITULUM IV.

Recapitulatio de gula et fornicationis passione, et de curatione earum.

UT autem hæc eadem manifestiora reddamus, non solum disputatione, sed etiam testimoniis Scripturarum : gula et fornicatio quum naturaliter corpori nostro inhæreant, interdum etiam oriuntur instigatione prurituque carnis absque ullo animi incitamento; sed ad hoc quod opere consummentur, materia indigent, et sic corporali actione veniunt in effectum. Propter quod ait apostolus Jacobus : Unusquisque tentatur a propria concupiscentia; deinde quum concupiscentia fuerit concepta, parit peccatum; peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem. (Jacob. I, 14, 15.) Unde nec primus Adam per gulam decipi potuit, nisi materiam cibi habendo in promptu, abutendoque ea; neque secundus Adam, videlicet Christus, tentatur sine præsentatione materiæ, quum dicitur ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. (Matth. IV, 3.) Porro quod fornicatio non perficiatur nisi per corpus, omnibus constat. Propter quod de spiritu fornicationis Dominus ait ad sanctum Job : Virtus ejus in lumbis ejus, et potestas ejus super umbilicum ventris ejus. (Job XL, 11.) Hinc duo hæc vitia quæ explentur per corpus, indigent pe-

culiarius etiam continentia corporali ultra A spiritualem animæ curam. Nam ad reprimendos eorum stimulos non sufficit sola mentis industria, quæ solet quandoque sufficere contra iram, tristitiam ac ceteras passiones, quas et mentis industria novit expugnare sine ulla carnis afflictione; non autem gulam atque luxuriam, nisi et castigatio accesserit corporalis, quæ vigiliis, jejuniis ac laboribus exercetur, quibus localis separatio a vitiorum istorum objectis est adjungenda : quæ sicut ex vitio carnis ac animæ generantur, ita B nequeunt superari nisi utriusque labore.

Denique, quamvis Apostolus generaliter dicat omnia vitia esse carnalia, nam inimicitias, rixas, hæreses numerat inter opera carnis; (*Galat.* v, 19.) nos tamen duplici divisione distinguimus ea, quatenus curationes et naturæ eorum evidentius pateant diligentiusque pensentur. Dicimus namque quædam esse carnalia, quædam vero spiritualia. Illa quoque vitia vocamus carnalia, quæ specialiter pertinent ad sensum ac fomitem carnis, quibus caro sic delectatur C ac pascitur ut etiam quietas incitet mentes, atque invitas vicissim alliciat ad sui appetitus consensum. Unde in quorumdam persona ait Apostolus : (*Ephes.* II, 3.) Et nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum; et eramus natura filii iræ, sicut et ceteri. Spiritualia autem vitia dicimus, quæ solius animæ oriuntur instinctu, nec aliquid voluptatis conferunt carni : imo gravissimis languoribus eam afficiunt, et animam tantum nutriunt delectatione mi- D serrima. Idcirco hæc vitia indigent simplici cordis medicina; carnalia vero, ut diximus, non nisi duplici medicina curantur. Hinc plurimum prodest studentibus puritati, ut primitus subtrahant sibi materias carnalium passionum, seu fugiant illas ex quibus oriri potest occasio aut recordatio mali animæ eorum adhuc infirmæ. Corpori namque necessario subtrahenda est species materiaque alliciens, ne concupiscentia conetur prorumpere in effectum; animæ quoque utiliter apponenda est meditatio Scripturarum et pervigil cura solitudinisque remotio, ne concupiscentiam cogitatione concipiat. In ceteris autem vitiis humana consortia nihil obsunt, quin imo multum prosunt his qui vere desiderant carere peccatis, quoniam ex frequenti hominum præsentia amplius arguuntur; dumque correpta crebrius manifestantur, celeriori medicina sanantur.

CAPITULUM V.

Quomodo Christus solus absque peccato tentatus sit.

PROPTEREA Dominus noster Jesus, qui dicitur ab Apostolo tentatus per omnia secundum similitudinem nostram, (*Hebr.* IV, 15.) dicitur tamen tentatus absque peccato, id est sine contagione passionis carnalis : utpote nequaquam expertus concupiscentiæ carnalis aculeos, quibus alii punguntur etiam ignorantes atque inviti. Nam Christo nulla inerat similitudo seminationis aut conceptionis humanæ, quum Archangelus ejus conceptionem ita annuntiet : (*Luc.* I, 35.) Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

CAPITULUM VI.

Cur diabolus Christum tentaverit.

DE illis autem passionibus seu peccatis debuit tentari Christus, incorruptam Dei imaginem ac similitudinem possidens, de quibus et Adam tentatus est quum adhuc erat in Dei imagine nondum corrupta aut violata : hoc est de gula, vana gloria, atque superbia; non de illis quibus involutus est Adam post divini transgressionem præcepti, imagine ac similitudine Dei jam violata in eo ex vitio proprio. Gula quippe fuit quod præsumpsit come-

dere de fructu ligni prohibiti; vana gloria, A
Gen. III, 5. quum dicitur : Aperientur oculi vestri ; superbia, quum dicitur : Eritis sicut dii, scientes bonum et malum. In his itaque tribus legimus etiam Christum fuisse tentatum : de gula, quum dixit ei diabolus :
Matth. IV, 3. Dic ut lapides isti panes fiant; de vana
Ibid. 6. gloria, quum dicitur : Si Filius Dei es, mitte te deorsum ; de superbia, quum ostendens ei omnia mundi regna gloriam-
Ibid. 9. que eorum, asseruit : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me ; ut dum Christus eisdem tentationibus est pulsatus B quibus et homo primus, doceat nos suo exemplo qualiter tentatorem vincere debeamus.

I Cor. XV, 45. Idcirco et ille dicitur Adam, et iste : ille primus ad ruinam et mortem, hic primus ad resurrectionem et vitam. Per illum omne genus hominum condemnatur, per istum omne genus hominum liberatur. Ille de rudi et intacta terra plasmatur, iste de Maria virgine procreatur. Hinc sicut necessarium fuit Christum tentationes suscipere, ita non oportuit eum C excedere aut peccare. Nec potuit Zabulus Christum de fornicatione tentare, a quo fuerat victus in tentamine gulæ : quia nec primus Adam fuisset devictus, nisi deceptus illecebris tentatoris acquievisset passioni libidinis generatrici. Hinc Filius Dei non dicitur absolute venisse in similitu-
Rom. VIII, 3. dine carnis, sed in similitudine carnis peccati : quia quum esset in eo vera caro, manducans, bibens, dormiens, clavorum confixionem veraciter patiens, non tamen veraciter habuit peccatum quod caro D in ceteris per prævaricationem contraxit. Non enim expertus est stimulos concupiscentiæ carnalis ignitos, qui et nolentibus nobis oriuntur in interioribus nostris, natura causam administrante; sed participando naturam humanam, accepit similitudinem quamdam carnis peccati. Quum enim naturalia opera exerceret atque humanas infirmitates omnes perferret, æstimatus est etiam subjacere huic passioni gulæ aut concupiscentiæ, ut per has infirmitates videretur in carne sua portare conditionem et labem hujus peccati jam dicti. Denique, de illis vitiis tentavit solum Christum in quibus vicerat hominem primum : conjiciens Christum instar ceterorum aliis vitiis superandum, si vinceret eum in his in quibus vicerat protoplastum.

Itaque diabolus in primo certamine confutatus et victus, non potuit Christo inferre secundum morbum de radice principalis vitii pullulantem, puta concupiscentiam libidinosam de gula nascentem : quoniam vidit Christum nullatenus admisisse initialem causam ægritudinis hujus, videlicet gulam; eratque superfluum ut speraret a Christo fructum peccati carnalis, cujus semina seu radices cernebat eum nullatenus admisisse. Quamvis secundum Lucam, qui tentationem illam qua dicitur : Si Filius Dei es, mitte te deor- Luc. IV, 9.
sum; ponit ultimam, hæc superbiæ passio possit intelligi, ita ut illa superior quam Matthæus ponit tertiam, in qua juxta Lu- Matth. IV, 8, 9.
cam, diabolus Christo ostendit omnia regna mundi in momento temporis, accipiatur impugnatio avaritiæ. Ita, quod Christus de gula invictus, tentari a dæmone de fornicatione non potuit, idcirco diabolus ad avaritiam transiit, Christum tentans de ea quam Zabulus scivit omnium malorum esse radicem. In qua iterum superatus, non audebat Christum tentare de aliquo vitio ex avaritia emanante, sed transiit ad passionem extremam, puta superbiam; qua noverat sæpe tentari perfectos qui cetera vicerunt peccata, per quam meminerat corruisse se ipsum, quum Lucifer esset, et alios plures secum absque incitamento præcedentium passionum. Juxta ordinem hunc prædictum, a Luca evangelista descriptum, impugnatio et figura tentationum quibus diabolus aggressus est primum Adam et istum, elegantissime congruit.
Nam dictum est Adæ : Aperientur oculi Gen. III, 5.
vestri; Christo ostendit omnia regna mun- Luc. IV, 5.
di. Adæ dixit : Eritis sicut dii; Christo Gen. III, 5.
autem : Si Filius Dei es. Luc. IV, 9.

CAPITULUM VII.

De consummatione vanæ gloriæ atque superbiæ absque opere corporali.

NUNC disseramus ordine præinducto, de efficientiis ceterarum passionum, quarum narrationem interrumpere compulit nos declaratio gulæ tentationisque Christi. Itaque vana gloria et superbia solent consummari seu ad effectum perduci absque ullo opere corporali. In quo enim egent actione carnali, quæ sola voluntate laudis B acquirendæ et humanæ gloriæ consequendæ generant abundanter mortem animæ captivatæ propter prohibitionem divinam et concupiscentiam in se malam ? Aut quem effectum corporalem habebat antiqua superbia prædicti Luciferi, quam sola cogitatione animoque concepit, dicente Propheta : Qui dicebas in corde tuo, In (Is. XIV, 13, 14.) cœlum conscendam, supra astra Dei ponam solium meum ; ascendam super altitudinem nubium, eroque similis Altissimo ? Qui Lucifer sicut nullum habuit C incentorem aut suggestorem hujus superbiæ, sic sola cogitatio fecit ei consummationem criminis tanti ac ruinæ perpetuæ, quum nulla subsecuta sint opera affectatæ illius tyrannidis.

CAPITULUM VIII.

De avaritia, quod sit extra naturam, et qualiter differat a ceteris vitiis.

INSUPER avaritia et ira, quamvis non D sint unius naturæ (nam avaritia extra naturam est, ira autem originale seminarium habet in nobis), nihilo minus modo simili oriuntur, quoniam sæpe sumunt extrinsecus causas suæ commotionis. Infirmiores namque multoties conqueruntur se corruisse in vitia ista ex provocatione aut instinctu quorumdam, seque præcipitatos affirmant ad iram aut avaritiam aliorum exemplo aut certe injuria. Amplius, quod avaritia sit extra naturam hinc clare pro-A batur, quia nec originale principium habet in nobis, neque concipitur de materia quæ pertingit aut pertinet ad participationem carnis aut animæ, vel ad substantiam vitæ. Certum est enim nihil pertinere ad usum aut necessitatem naturæ communis præter escam quotidianam ac potum ; reliquæ vero materiæ, quantumlibet magno studio et amore serventur, sunt tamen ab humana indigentia alienæ, sicut probatur usu ipsius vitæ. Ideo avaritia tanquam innaturalis exsistens, non tentat monachos B nisi male fundatos ac tepidos. Porro naturalia vitia tentare non cessant etiam probatissimos monachos, atque in solitudine commorantes. Quod tam verissimum esse probatur, ut agnoscamus gentes quasdam esse ab avaritia penitus liberas, quia nequaquam receperunt ægritudinem vitii hujus consuetudine prava. Credimus quoque mundum illum qui ante diluvium fuit, diutissime ignorasse rabiem avaritiæ hujus, quæ in unoquoque recte abrenuntiante exstinguitur sine labore : quum scilicet C quis, facultatibus universis abjectis, ita assumpserit disciplinam cœnobii ut nec unum sibi reservet denarium. Cujus rei testes invenire possumus multa millia hominum, qui omnibus suis plene renuntiantes, ita hanc passionem in momento brevissimo eradicaverunt, ut nec tenuiter pulsentur ab ea ulterius. Qui omni tempore vitæ suæ contra gulam pugnantes, securi ab ea esse non possunt, nisi dimicaverint contra ipsam circumspectione cordis præcipua atque assidua abstinentia D corporis.

CAPITULUM IX.

De acedia atque tristitia, qualiter oriantur.

TRISTITIA et acedia generari solent absque provocatione exteriore, ut diximus. Nam solitarios et eremitas ab omni humano consortio separatos frequenter et amarissime vexant : quod verissimum esse

sciunt in solitudine commorantes qui interioris hominis pugnas experti sunt.

CAPITULUM X.

De sex vitiorum concordia, et cognatione duorum ab eis differentium.

HÆC igitur octo vitia licet diversimode oriantur atque dissimiles efficientias habeant, sex tamen, videlicet gula, fornicatio, avaritia, ira, tristitia, acedia, connexa sunt quadam cognatione, et ut ita dixerim, concatenatione, ita quod unum generet aliud : sicut de gula oritur fornicatio, de fornicatione avaritia, de avaritia ira, de ira tristitia, de tristitia acedia. Ideo contra vitia ista pugnandum est simili modo ac ordine, ita ut primo certemus contra vitium illud ex quo nascitur sequens. Facilius namque arescit noxia latitudo sive proceritas arboris, si radices ejus antea nudatæ fuerint aut excisæ. Sic et rivi infestantium aquarum protinus siccabuntur, quum generator eorum fons ac venæ profluentes fuerint solerti industria obturatæ. Ideo, ut vincatur acedia, ante est superanda tristitia; et prius eradicanda est ira, ut expellatur tristitia. Sic et avaritia primo est conculcanda, ut iracundia exstinguatur; fornicatio quoque est refrenanda, ut avaritia evellatur; atque ut fornicatio evitetur, gulam oportet reprimere. Residua etiam duo, videlicet vana gloria et superbia, simili modo connexa sunt, ita ut incrementum prioris sit generatio consequentis. Nam vana gloria parit superbiam. Sed a præcedentibus sex vitiis penitus diversificantur, nec simili societate eis confœderantur; et non solum non generantur ex illis, imo contrario modo et ordine suscitantur. Nam illis evulsis, ista vehementius insurgunt et male fructificant, et mortificatione illorum pullulant et succrescunt vivacius. Unde et diverso modo impugnamur his vitiis. Siquidem in unumquodque illorum sex vitiorum tunc cadimus, quum a vitiis ea

A præcedentibus victi fuerimus; sed majus periculum imminet incidendi hæc duo peccata, quum victores vitiorum facti consistimus. Omnia itaque vitia quemadmodum incremento præcedentium generantur, ita illorum diminutione eradicantur. Hinc et vana gloria primo est præfocanda ac evitanda, ut excludi possit superbia; sicque semper prioribus vitiis superatis, sequentia mox cessabunt, et præcedentium exstinctione passiones residuæ deficient absque labore. Et licet octo ista vi-
B tia connexa sibi sint et permixta ratione præhabita, specialius tamen dividuntur in quatuor conjugationes ac copulas : nam gula et fornicatio peculiari fœderantur consortio, avaritia quoque et ira, deinde tristitia et acedia; postremo vana gloria et superbia specialius sibi sociantur.

CAPITULUM XI.

De qualitate et origine cujuslibet vitii.

C UTQUE nunc disputemus sigillatim de speciebus cujuslibet vitii, gulæ sunt tres species : prima, quæ incitat monachum ad refectionem ante legitimam horam; secunda, quæ gratulatur ventris repletione et quarumlibet escarum voracitate; tertia, quæ accuratos et lautos appetit cibos. Quæ tres species non modico damno feriunt monachum, nisi studuerit se ab omnibus eis pari studio ac observantia emundare. Quemadmodum namque absolutio jejunii nequaquam est præsumenda
D ante horam statutam, ita ventris ingluvies atque escarum sumptuosa et exquisita coctura sunt amputandæ. Nempe ex his tribus speciebus gulæ nascuntur diversæ ac pessimæ culpæ. De prima enim gignitur odium monasterii; deinde horror et intolerantia ejusdem habitaculi inde excrescit : quam intolerantiam discessio et fuga velocissima mox sequentur. De secunda specie suscitantur igniti luxuriæ libidinisque aculei. Tertia vero avaritiam valde parit, nec sinit monachum usquam fun-

dari in paupertate Christi perfecta, cujus A passionis vestigia nobis inesse isto deprehendimus signo : dum scilicet ab aliquo Fratrum ad refectionem detenti, non sumus contenti sumere cibum eo sapore quo a Fratre paratus est, sed importuna effrenataque libertate petimus aliquid superfundi. Quod fieri nullo modo oportet, tribus ex causis. Primo, quia mens monachi debet semper versari in omni exercitatione patientiæ ac parcitatis, et juxta Apostolum, discere in quibus est sufficiens esse. (*Philipp.* IV, 11.) Nullatenus etenim poterit refrenare B desideria carnis occulta sive majora, qui degustatione modicæ insuavitatis aut insipiditatis motus, non potuit ad momentum refrenare gutturis sui delicias. Secundo, quia interdum contingit ut Frater non habeat quod petitur superfundi seu adjici, et ita incutitur verecundia paupertati vel frugalitati ipsius, dum paupertas ejus manifestatur, quam maluit soli Deo cognitam esse. Tertio, quoniam sapor quem petimus adjici, quandoque displicet aliis, sicque multis injuriam irrogamus, dum sa- C tisfacere cupimus gulæ et concupiscentiæ nostræ : propter quod ista libertas est penitus detestanda.

Præterea tres sunt species fornicationis. Prima est illicita utriusque sexus commixtio. Secunda fit absque tactu femineo, pro qua Onan filius Judæ patriarchæ percussus describitur (*Gen.* XXXVIII, 10); quæ in Scripturis immunditia appellatur, de qua Apostolus : Dico, inquit, innuptis et viduis, Bonum est illis si permanserint sicut ego : quod si non continent, nubant ; melius est enim nubere D quam uri (*I Cor.* VII, 8, 9). Tertia est quæ mente concipitur, de qua in Evangelio loquitur Christus : Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28). Quas tres species beatus Apostolus docet pari modo eradicandas, dicendo : Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem (*Coloss.* III, 5); et iterum de duabus : Fornicatio, inquit, et immunditia nec nominentur in vobis (*Ephes.* V, 3); itemque, Scitote quoniam omnis fornicator (*Ibid.* 5) et immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Quæ tria ut a nobis pari diligentia caveantur, eadem exclusio a regno Dei perterret nos.

Insuper tres sunt avaritiæ species : prima, quæ non sinit renuntiantes nudari divitiis et facultatibus suis; secunda, quæ persuadet ut majori cupiditate resumamus quæ propter Deum reliquimus, seu pauperibus dedimus; tertia, quæ instigat ad desiderandum vel acquirendum ea quæ nec ante habuimus. Iræ quoque tres sunt species : una, quæ intus exardescit; secunda, quæ in verba et facta prorumpit, de quibus hortatur Apostolus : Nunc autem deponite et vos omnem iram et indignationem (*Coloss.* III, 8); tertia, quæ non solum fervet et durat per horam ut aliæ duæ, sed per dies et tempora reservatur. Quæ omnia æqualiter abhorrere, vitare atque damnare debemus. Amplius, tristitiæ duæ sunt species : una, quæ generatur ira cessante, vel damno illato, aut desiderio cassato seu impedito; alia, quæ descendit ex irrationabili mentis anxietate aut desperatione. Acediæ quoque duæ sunt species : una, quæ ad somnum inclinat; alia, quæ cellam deserere ac fugere monet. Porro quamvis vana gloria sit multiplex et in diversas species dividatur, duo tamen sunt genera ejus : unum, quo de carnalibus et manifestis inaniter gloriamur; aliud, quo inflammamur desiderio vanæ laudis pro spiritualibus et occultis.

CAPITULUM XII.

In quo vana gloria sit utilis.

VERUMTAMEN vana gloria utiliter in re una assumitur ab incipientibus, his præsertim qui adhuc carnalibus vitiis instigantur : verbi gratia, si tunc dum de fornicatione tentantur, mente conceperint sacerdotalis officii dignitatem, aut famam qua a multis creduntur esse immaculati et sancti; et ita saltem hac consideratione

declinent concupiscentiæ stimulos, judicando eos turpes atque indignos suæ famæ aut ordini tali, et retundendo majus malum malo minore. Tolerabilius quippe est quemquam pulsari gloria vana, quam fornicationem incidere, de qua aut non aut vix reparari valeat post ruinam. Quod unus Prophetarum eleganter expressit, dicendo : Propter me longe faciam furorem meum, et laude mea infrenabo te, ne intereas; id est, dum laudibus vanæ gloriæ caperis, nequaquam ad profunda inferni decurras, et irrevocabiliter demergaris consummatione mortalium peccatorum.

Is. XLVIII, 9.

Nec mirum quod tanta vis inest vanæ gloriæ passioni, ut valeat refrenare eum qui pene cadit in fornicationis fœtorem, quum sæpissime sit probatum experimentis multorum quod eum quem suo veneno semel corruperit, tam infatigabilem reddat, ut faciat eum vix sentire biduana aut triduana jejunia. Quod etiam scimus in hac eremo quosdam esse confessos sæpe, quod scilicet constituti in cœnobiis Syriæ, sine labore toleraverunt jejunium quinis seu quinque diebus continuo; nunc vero dicunt se tanta fame affligi a tertia hora, ut vix queant quotidiana differre jejunia usque ad nonam. Super qua re abbas Macarius pulchre respondit cuidam quærenti cur fame pulsaretur in eremo a tertia hora, qui in cœnobio non sensit esuriem contemnendo seu differendo refectionem frequenter hebdomada integra : Quia hic nullus est testis jejunii tui qui te suis laudibus nutriat ac sustentet; ibi autem saginavit te digitus hominum et gloriæ vanæ refectio. Denique hujus rei figura, qua diximus vitium fornicationis excludi superveniente vanæ gloriæ spiritu, exprimitur pulchre satis in libro Regum, ubi describitur quod Nabuchodonosor rex transtulit populum Israel, a Nechao rege Ægypti captivatum, de finibus Ægypti ad terram suam, non ut populum Israel restitueret pristinæ libertati aut terræ natali, sed ut longius asportaret eos, ad suam videlicet regionem. Quæ figura rite in hac re completur. Nam quamvis tolerabilius sit deservire vanæ gloriæ quam fornicationi, difficilius tamen disceditur a dominatione ac jugo vanæ gloriæ : et ei subjectus, quasi longiori spatio captivus abductus, difficilius revertetur ad terram natalem et libertatem. Et merito increpatio illa prophetica ad eum dicitur : Quare inveteratus es in terra aliena ? Recte enim dicitur inveteratus in terra aliena, qui a terrenis vitiis non innovatur seu emundatur.

IV Reg. XXIV, 14, 15.

Baruch III, 11.

Postremo superbiæ duæ sunt species : prima carnalis, secunda spiritualis ; et ista spiritualis perniciosior est, et specialius eos impugnat qui in virtutibus profecerunt.

CAPITULUM XIII.

De varia impugnatione omnium vitiorum.

HÆC itaque octo vitia quum impugnent omne humanum genus, non tamen uno modo omnes invadunt. In alio namque principalem locum obtinet spiritus fornicationis, in alio superequitat iracundiæ furor, in alio vana gloria tyrannice dominatur, in alio superbia arcem tenet. Et quum omnes homines ab omnibus vitiis impugnentur, diverso tamen modo ac ordine singuli impugnantur, laborant et certant.

CAPITULUM XIV.

De instituendo certamine contra peccata secundum molestationem ipsorum.

IDEO ita debemus arripere prælia contra hæc vitia, ut unusquisque exploret et penset quo vitio maxime infestetur, et contra illud potissime prælietur : totam cordis sui sollicitudinem figens circa illius observationem et expugnationem, et dirigens contra illud quotidiana spicula jejuniorum, contra illud emittens cunctis momentis suspiria cordis ac crebra gemituum tela; impendens etiam contra illud vigiliarum labores et meditationes salu-

bres, indesinentes quoque orationum fletus ad Dominum fundens, impugnationis suæ victoriam a Deo jugiter et confidenter deposcens. Impossibile namque est quempiam promereri triumphum de qualibet passione, priusquam cognoverit non se posse obtinere victoriam sui certaminis propria industria aut suo labore; quum tamen necesse sit eum die noctuque omni cura sollicitum esse, ut valeat emundari. Quumque se senserit ab illo vitio liberatum, rursus perlustret cordis sui secretum, ac perscrutetur quæ major aut pejor culpa seu passio sit in eo, et contra eam specialissime omnia spiritualia arma assumat ac moveat : sicque semper fortioribus vitiis victis, obtinebit facilem celeremque victoriam de residuis malis, quia et mens processu triumphorum fiet robustior, et debiliorum pugna succedens faciet ei promptiorem præliorum proventum; ut fieri solet ab his qui consueverunt coram regibus congredi seu pugnare contra quaslibet bestias, intuitu præmiorum, quod spectaculum vocatur pancarpum. Hi primo arripiunt pugnam contra bestias fortiores aut ferociores : quibus devictis, facilius superant reliquas minus impetuosas et minus terribiles. Sic et fortioribus vitiis primitus expugnatis et infirmioribus succedentibus, sortiemur perfectam victoriam absque discrimine. Nec tamen putandum quod quis principaliter contra unum vitium dimicans, quasi incautus tela aliorum non prospiciens, possit facilius lædi ictu inopinato : quod nequaquam contingit. Impossibile namque est ut is qui pro cordis sui emundatione sollicitus est, et mentis suæ intentionem armaverit ad expugnandum vitium unum quodcumque, non habeat generalem quemdam horrorem similemque custodiam contra vitia reliqua. Qualiter enim merebitur victoriam obtinere de illa passione quam appetit expugnare, qui vitiorum contagio indignum se facit ope et gratia purgationis aliorum ? Sed quum principalis intentio cordis nostri assumpserit sibi specialem pugnam adversus aliquam passionem, orabit attentius pro exstirpatione illius, peculiari supplicans cura ac studio ut diligentius se observet, atque per hoc celerem mereatur adipisci victoriam. Hinc etiam legislator docet nos ordinem præliorum exercere debere, nec tamen de nostra virtute confidere : Non timebis (inquiens) eos, quoniam Dominus Deus tuus in medio tui est ; Deus magnus et terribilis consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes : non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ; dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet eos donec penitus deleantur. *Deut.* VII. 21-23.

CAPITULUM XV.

Quod nihil valeamus contra peccata sine auxilio Dei, propter quod non debemus extolli de expulsione eorum.

SIMILITER Moyses legislator hortatur ne in vitiorum victoria extollamur, quum ait : Ne postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris et habitaveris in eis, habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti et auri cunctarumque rerum copiam, elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis, et ductor tuus fuit in solitudine magna et terribili. Salomon quoque in Proverbiis ait : Si ceciderit inimicus tuus, noli gloriari, in supplantatione autem ejus noli extolli, ne videat Dominus et non placeat ei, et avertat iram suam ab illo; id est, ne Deus perspiciens cordis tui elationem, discedat ab impugnatione illius, et tu derelictus a Deo, rursus incipias illa passione vexari quam ante per gratiam Dei superasti. Non enim orasset Propheta dicens : Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi ; nisi scivisset quosdam propter eorum elationem iterum tradi eisdem vitiis quæ vicerant, ut humilientur. Hinc certi si-

Ibid. VIII. 12-15. *Prov.* XXIV. 17, 18, juxta LXX. *Ps.* LXXIII. 19.

mus, tam rerum experimentis quam in- A
numeris Scripturarum testimoniis eruditi,
quod non valeamus viribus nostris tantos
hostes dejicere, nisi fulciamur Dei solius
auxilio : propter quod totam nostram vi-
ctoriam referre debemus ad Deum. Unde
Deut. ix, per Moysen Dominus loquitur : Ne dicas
4, 5. in corde tuo, quum deleverit eas Dominus
Deus tuus in conspectu tuo, Propter ju-
stitiam meam introduxit me Dominus ut
terram hanc possiderem, quum propter
iniquitates suas istæ deletæ sint nationes.
Neque enim propter justitias tuas et æqui- B
tatem cordis tui tu ingredieris ut possi-
deas terras eorum; sed quia illæ egerunt
impietatem, te introeunte deletæ sunt. Ro-
go quid apertius potuit dici contra per-
niciosam opinionem præsumptionemque
nostram, qua totum quod agimus adscri-
bere volumus libero arbitrio aut nostræ
industriæ? Ne dicas (inquit) in corde tuo,
quum deleverit Dominus Deus tuus illas
in conspectu tuo, Propter justitiam meam
introduxit me Dominus ut terram hanc
possiderem. Nonne evidenter expressit his C
qui habent oculos animæ reseratos et au-
res ad audiendum : Quum bella carnalium
vitiorum tibi successerint prospere, et vi-
deris te liberatum de cœno eorum et de
conversatione mundana, non id adscribas
tuæ virtuti aut sapientiæ, inflatus proven-
tu pugnæ atque victoriæ tuæ, credens te
victoriam obtinuisse de spiritualibus ne-
quitiis aut carnalibus vitiis propter labo-
res et studium tuum ac libertatem arbi-
trii : quibus nequitiis ac vitiis in nullo
prorsus prævaluisse potuisses, nisi auxi- D
lium Dei te roborasset ac protexisset.

CAPITULUM XVI.

De significatione septem gentium quarum terras accepit populus Israel; et quare interdum dicantur septem gentes, aliquando plures.

HÆ sunt septem gentes quarum terras
Deus se promisit daturum filiis Is-
rael de Ægypto egressis. Et quoniam, teste
I Cor. x, 11. Apostolo, omnia in figura contigerunt il-
lis, debemus scripta illa accipere pro no-
stra exhortatione. Sic etenim legitur :
Quum introduxerit te Dominus Deus tuus Deut. vii,
in terram quam possessurus ingredieris, 1, 2.
et deleverit gentes multas coram te, He-
thæum et Gergesæum et Amorrhæum, Cha-
nanæum et Pherezæum et Hevæum et Je-
busæum, septem gentes multo majoris
numeri quam tu es, et robustiores te, et
tradiderit eas Dominus Deus tuus tibi, per-
cuties eas usque ad internecionem. Quod
vero multo majoris numeri esse dicuntur,
ista est ratio : quoniam plura sunt vitia
quam virtutes. Ideo in catalogo seu enu-
meratione septem esse dicuntur, in expu-
gnatione vero absque certo numero expri-
muntur. Numerosior namque est populus
passionum carnalium quam Israel : qui
numerus procedit de hoc septenario vitio-
rum fomite ac radice. Inde enim procedunt
homicidia, hæreses, contentiones, furta,
falsa testimonia, blasphemiæ, comessati-
ones, ebrietates, detractiones, ludicra, tur-
piloquium, mendacia, perjuria, stultilo-
quia, scurrilitas, inquietudo, rapacitas,
amaritudo, clamor, indignatio, contemptus,
murmuratio, tentatio, desperatio, ac alia
multa quæ longum est explicare. Quæ
quum a nobis levia reputentur, audiamus
quid Apostolus sentiat, aut quam senten-
tiam proferat de eisdem : Neque mur- I Cor. x, 10.
muraveritis, inquit, sicut quidam illorum
murmuraverunt, et perierunt ab extermi-
natore; et de tentatione : Neque tente- Ibid. 9.
mus, ait, Christum, sicut quidam illorum
tentaverunt, et a serpentibus perierunt.
Contra detractionem quoque ait Scriptu-
ra : Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Prov. xx, 13, juxta LXX.
De desperatione Apostolus : Qui desperan- Ephes. iv, 19.
tes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ,
in operationem omnis immunditiæ. Por-
ro quod clamor damnetur, quemadmodum
indignatio atque blasphemia, apertissime
edocemur, eodem Apostolo præcipiente :
Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et Ibid. 31.
clamor, et blasphemia tollatur a vobis,
cum omni malitia.

Alia quoque quamplura istis similia vi-

tia ex octo illis nascuntur, quamvis sint multo plura numero quam virtutes; victis tamen illis principalibus octo vitiis, protinus conquiescunt, et simul cum illis delentur internecione perpetua. De gula quippe oriuntur comessationes et ebrietates; de fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra et stultiloquium; de avaritia, mendacia, fraus, furta, perjuria, turpe lucrum, falsa testimonia, violentia, rapacitas; de ira, homicidia, clamor et indignatio; de tristitia, rancor, pusillanimitas, amaritudo et desperatio; de acedia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, evagatio, instabilitas mentis et corporis, verbositas, curiositas; de vana gloria, contentiones, hæreses, jactantia atque præsumptio novitatum; de superbia, contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio. Præterea, quod hæ pestes seu culpæ sint etiam fortioris naturæ, sentimus manifeste ex impugnatione earum. Fortius enim in nostris militat membris delectatio carnalium passionum aut vitiorum, quam studia virtutum, quæ non acquiruntur nisi cum maxima cordis corporisque contritione. Si autem spiritualibus oculis intuearis illas innumerabilium et invisibilium hostium turbas
Ephes. vi, 12. quas enumerat Apostolus, dicens : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; illud quoque si perpendas quod de homine justo fertur in Psalmo :
Ps. xc, 7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; clare cognosces quod multo majoris sint numeri ac validiores quam nos carnales et terreni, quum data sit illis spiritualis aeriaque substantia.

CAPITULUM XVII.

Interrogatio de comparatione septem gentium et octo vitiorum.

GERMANUS : Quomodo ergo octo sunt vitia nos impugnantia, quum per
A Moysen septem gentes dinumerentur quæ Israelitico populo adversantur; et qualiter utile nobis est terras vitiorum nunc possidere ?

CAPITULUM XVIII.

Responsio, quomodo secundum octo vitia, octo gentium numerus impleatur.

SERAPION : Omnium absoluta est sententia, quod octo sint principalia vitia
B quæ monachum tentant. Quæ figuraliter designata sub nominibus gentium præfatarum, idcirco non ponuntur in numero tanto, quoniam Moyses, imo Deus per Moysen, in Deuteronomio loquebatur filiis Israel de Ægypto egressis, atque ab una fortissima gente Ægyptiaca liberatis. Quæ figura in nobis quoque rectissime adimpletur, quia de sæculi laqueis expediti, gula caremus; et habemus jam simili ratione conflictum contra septem peccata, prima passione, videlicet gula, quæ jam
C victa est, minime computata. Cujus etiam terra non datur in possessionem Israeli, sed divinitus ei præcipitur ut egrediatur de illa atque perpetue deserat eam. Idcirco jejunia ita sunt moderanda, ut non compellamur per immoderantiam, ad quam inducit defectio sive infirmitas carnis, reverti rursus ad terram Ægyptiam, id est ad pristinam gulæ et carnis concupiscentiam, quam abjecimus quum huic mundo renuntiaremus. Quod figuraliter illi perpessi sunt qui in solitudine ollas carni- Exod. xvi, 3.
D um cupiebant, super quas in Ægypto sedebant.

CAPITULUM XIX.

Cur una gens deseri, septem vero jubeantur occidi.

DENIQUE quod gens illa, puta Ægyptia, in qua nati sunt filii Israel, non jubetur penitus trucidari, sed deseri, ceteræ autem septem gentes præcipiuntur usque

ad internecionem occidi, ista est ratio : A quoniam quantumcumque spiritualiter inflammati ingressi fuerimus eremum solitudinemque virtutum, nequaquam tamen carere valemus vicinitate ac ministerio et quodam quotidiano commercio gulæ. Semper etenim vivit in nobis naturalis affectus cibi ac potus tanquam ingenitus, licet amputare conemur appetitus eorum superfluos : qui sicut per omnia deleri non possunt, sic cauta declinatione vitandi [Rom. XIII, 14.] sunt; sicut docet Apostolus : Carnis curam ne feceritis in desideriis. Dum igitur re- B tinemus naturalem affectum hujus curæ, quam jubemur non prorsus abscindere, sed absque inordinatis desideriis exhibere, non exstinguimus Ægyptiam nationem, sed quadam discretione separamur ab ea, non cogitando de superfluis delicatisque [I Tim. VI, 8.] epulis, sed simplici victu et amictu contenti. Quod etiam figuraliter ita mandatur [Deut. XXIII, 7.] in lege : Non abominaberis Ægyptium, quia fuisti incola in terra ejus. Necessarius quippe victus non denegatur corpori sine ejus periculo ac animæ vitio. Motus C vero illarum septem perturbationum seu passionum, tanquam omnifarie noxiarum, exterminandi sunt penitus ab actibus no- [Ephes. IV, 31.] stræ animæ; de quibus ait Apostolus : Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia auferatur a vobis, cum [Ibid. V, 3, 4.] omni malitia; itemque, Fornicatio autem et omnis immunditia et avaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Possumus ergo abscindere radices vitiorum istorum, quæ superinducta sunt naturæ, sed usum gulæ D non possumus penitus amputare : nam quantumlibet profecerimus, non possumus non esse quod nascimur. Quod ita esse monstratur tam conversatione omnium perfectorum quam nostra, qui sumus exigui. Qui perfecti quum absciderint reliquarum stimulos passionum, eremumque introeant toto mentis fervore ac corporis nuditate, tamen nequeunt liberari a provisione victus quotidiani ac præparatione annui panis.

CAPITULUM XX.

De natura gulæ per comparationem ad aquilam.

FIGURA gulæ, qua necesse est monachum quamvis spiritualem ac summum arctari, designatur proprie satis similitudine aquilæ : quæ quum fuerit ultra altitudinem nubium sublimata volatu altissimo, ita ut a nullo mortalium possit videri, rursus compellitur ventris necessitate ad valles infimas ac terrena descendere, atque cadaveribus mortuis se unire. Quibus indiciis aperte probatur, spiritum gulæ non posse, ut cetera vitia, totaliter resecari, sed ejus aculeos et appetitus superfluos tantum retundi virtuteque animi cohiberi.

CAPITULUM XXI.

De perseverantia gulæ contra philosophos disputata.

SENEX quidam disputans cum philosophis, qui eum pro christiana simplicitate putabant superandum ut rusticum, eleganter expressit vitii hujus, videlicet gulæ, naturam sub figura atque colore hujus problematis : Multis creditoribus pater meus me reliquit obnoxium. Ceteris integre solvens, liberatus sum ab omni molestia repetitionis eorum; uni satisfacere nequeo quotidie persolvendo. Quumque illi ignorantes vim propositæ quæstionis, postularent declarationem ipsius, respondit : Multis naturalibus vitiis fui constrictus, sed Deo mihi inspirante affectum spiritualis libertatis, satisfeci spiritualibus illis [creditoribus], renuntians huic mundo ac omnem hereditatem paternam relinquens. Sed absolutus ab omnibus illis, carere non potui stimulis gulæ : quam licet redegerim ad parvam mensuram atque vilissimam quantitatem, non tamen evito vim compulsionis ejus quotidianæ; sed exactione ejus jugiter moneor ut in-

terminabilem quamdam solutionem usui A ejus appendam, incessabile quoque vectigal indictionibus ejus exhibeam. Tunc philosophi, qui senem istum ante despexerant tanquam idiotam ac rusticum, asseruerunt eum eminenter cognoscere primam philosophiæ partem, id est scientiam ethicam seu moralem : valde mirantes quod id naturaliter cognovit quod ei nulla eruditio contulerat sæcularis, quum ipsi nequiverint hæc tam clare addiscere multo labore ac diuturna doctrina. Hæc de gula specialiter dixisse sufficiat. Nunc rever- B tamur ad collationem quam cœperamus exponere de generali vitiorum cognitione.

CAPITULUM XXII.

Cur Deus prædixerit Abrahæ gentes decem esse expugnandas a populo Israel.

QUUM Deus loqueretur ad Abraham de Gen. xv, 19-21. futuris, numeravit gentes decem, non septem tantum, quarum terra daretur posteris ejus : de quo nihil quæsistis. Qui denarius numerus evidenter impletur, quum C idololatria blasphemiaque adduntur : quibus duobus peccatis subjecta fuit impia gentium multitudo et blasphema Judæorum caterva in spirituali Ægypto, id est, in hoc sæculo nequam conversans, ante notitiam Dei gratiamque baptismi. Si autem renuntians mundo et inde per gratiam Dei egressus, victor gulæ effectus spiritualem intraverit eremum, id est secreta virtutum, suscipiet bella contra septem gentes quæ per Moysen numerantur, id est contra septem peccata principalia D jam præfata, liberatus de impugnatione trium gentium, utputa gulæ, idololatriæ, atque blasphemiæ.

CAPITULUM XXIII.

Quomodo nobis sit utile terras vitiorum possidere.

AMPLIUS, quod possidere jubemur terras perniciosarum harum gentium, intelligendum est ita : unumquodque vitium habet in corde nostro propriam stationem seu mansionem, quam vindicans et usurpans sibi in anima nostra, exterminat Israelem, id est divinorum contemplationem, et ei adversari non cessat. Non enim possunt vitia cohabitare virtutibus : Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? II Cor. vi, 14. Sed quum vitia fuerint superata ab Israelitico populo, hoc est a virtutibus contra ea pugnantibus, obtinebit deinde castitas locum quem in corde nostro spiritus concupiscentiæ occupavit, et locum furoris ac iræ patientia vindicabit; locum mortiferæ tristitiæ possidebit tristitia salutaris gaudio plena; locum quem vastabat acedia, actuabit, fecundabit et excolet fortitudo; locum quem conculcavit superbia, honestabit humilitas : sicque expulsis vitiis singulis, virtutes eis contrariæ possidebunt eorum loca in anima. Quæ virtutes seu loca non immerito appellantur filii Israel, id est animæ Deum contemplantes. Qui etiam filii Israel, hoc est virtutes seu actus virtutum, quum universas cordis expulerint passiones, magis credendi sunt recuperasse proprias possessiones quam invasisse alienas.

CAPITULUM XXIV.

Quod terræ ex quibus expulsi sunt populi Chananæorum, fuerint deputatæ filiis Sem.

PORRO, ut docet vetus historia, filii Sem quondam in terræ divisione acceperunt has terras Chananæorum in quas postmodum introducti sunt filii Israel : quas terras violenta iniquitate possedit ad tempus posteritas Cham. In quo probatur judicium Dei esse justissimum : quoniam Chananæos expulit de locis alienis quæ occupaverunt injuste, et filiis Israel reddidit terram patrum suorum deputatam eis in divisione terrarum. Quæ res figurativa adimpletur in nobis verissime, quoniam Deus deputavit locum et possessionem nostræ voluntatis virtutibus, non peccatis. Quæ virtutes a propria regione, seu animæ voluntate, post originale pecca-

tum expulsæ sunt, insolescentibus vitiis A quasi populis Chananæis. Quumque virtutes has recuperaverimus per diligentiam nostram auxiliante gratia Dei, aut Deo totaliter conferente, non alienum occupant locum, sed recipiunt proprium.

CAPITULUM XXV.

Diversa testimonia de significatione octo vitiorum.

Matth. xii, 43-45. OCTO vitia ista in Evangelio designan- B tur, quum dicitur : Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit; tunc dicit, Revertar in domum meam unde exivi; et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam; tunc vadit et assumit alios spiritus septem nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Ecce sicut in Deuteronomio legimus septem gentes, excepta gente Ægyptiorum de qua egressi sunt filii Israel, ita et hic C dicuntur reverti spiritus septem immundi, excepto eo qui narratur primo egressus ab homine. De hoc septenario numero ac fomite vitiorum in Proverbiis dicitur :
Prov. xxvi, 25. juxta LXX. Si te rogaverit inimicus tuus voce magna, ne consenseris ei, septem enim nequitiæ sunt in anima ejus; id est, si superatus gulæ spiritus cœperit ficta humiliatione tibi blandiri, rogans ut cœptum tuum relaxes fervorem, et aliquid ei impertias quod excedit continentiæ modum et justæ discretionis mensuram : ne resolvaris adu- D latione ipsius, nec revertaris ad pristinam remissionem aut priores concupiscentias gulæ, eo quod tibi arrideat securitas quædam expugnationis illius, qua videris paulisper quietior factus a carnalibus incentivis. Sic enim blandiendo quodammodo
Luc. xi, 24. dicit : Revertar in domum meam priorem. Et procedentes confestim cum eo septem spiritus vitiorum, erunt acriores passione illa primitus superata, atque mox trahent te ad deteriora genera vitiorum.

CAPITULUM XXVI.

Quod devicta passione gulæ, laborandum sit pro ceteris virtutibus obtinendis.

CONTINENTIÆ igitur atque jejuniis insistentes, festinare debemus, ut passione gulæ devicta, nequaquam sinamus animam nostram a ceteris virtutibus necessariis vacuam esse, sed omnes vires cordis nostri studiosius occupemus in eis : ne rediens concupiscentiæ spiritus, inveniat nos inanes et a virtutibus ipsis vacantes, jamque non sufficiat sibi aditum parare sibimet soli, sed introducat secum in animam nostram septem alia vitia, faciatque novissima nostra prioribus deteriora. Turpior namque erit anima graviusque damnabitur, quæ se renuntiasse sæculo gloriatur, si octo hæc vitia dominentur eidem, quam fuerat olim in sæculo constituta, quum nondum fuerat monasticam vitàm ac monachi nomen professa. Nam hi septem spiritus idcirco nequiores dicuntur spiritu illo qui fuit primo egressus, quoniam desiderium gulæ per se non esset tam noxium, nisi introduceret passiones alias graviores, puta luxuriam, avaritiam, iram, tristitiam, acediam, vanam gloriam atque superbiam : quas certum est per se noxias esse ac peremptorias animæ. Ideo nunquam poterit perfectionem ac puritatem acquirere, qui eas existimat soli corporali jejunio obtinendas, nisi sciat se ob hoc debere abstinentiam corporalem assumere, quatenus carne jejuniis humiliata, possit facilius alia vitia expugnare, non resistente nec insolescente carne suæ saturitatis ingluvie.

CAPITULUM XXVII.

Quod non sit idem ordo prœliorum qui ponitur in numero vitiorum.

SCIENDUM tamen, quod non sit idem ordo præliorum in omnibus nobis, quia ut diximus, non omnes impugnamur eodem modo, et oportet unumquemque ar-

ripere pugnam secundum exigentiam belli seu vitii quo specialius infestatur : ita ut necesse sit unum primum conflictum inire adversus peccatum quod tertium est in ordine octo principalium vitiorum ; alium vero contra vitium quartum aut quintum, et ita de ceteris, prout hoc aut illud vitium magis regnat aut sævit in nobis, et prout modus impugnationis requirit. Denique oportet nos instituere atque peragere ordinem præliorum contra peccata, secundum quod proventus victoriæ et A triumphi successus faciunt nos compendiosius pervenire ad plenitudinem perfectionis puritatemque cordis.

Hucusque Serapion disputans nobis de natura octo principalium vitiorum, tam lucide reseravit genera passionum in corde nostro latentium, quarum causas et affinitates non poteramus ante cognoscere neque discernere, quum tamen ab ipsis vastaremur seu impugnaremur quotidie, ut videremur nobis conspicere eas tanquam in speculo ante nos positas.

COLLATIO VI

(Abbatis Theodori)

DE NECE SANCTORUM.

CAPITULUM PRIMUM.

Descriptio eremi, et inquisitio de nece Sanctorum.

IN partibus Palæstinæ juxta vicum Thecue, in quo natus est Amos propheta, vastissima solitudo est usque ad Arabiam ac Mortuum mare, ubi fluenta Jordanis ingressa deficiunt, et cineres Sodomorum amplissime extenduntur. In hac eremo monachi summæ vitæ ac sanctitatis commorati diutissime, interfecti sunt repente a discurrentibus Sarracenorum latrunculis. Et quamvis sciremus eorum corpora cum tanta veneratione prærepta tam a pontificibus regionis illius quam ab universa Arabum plebe, et inter reliquias martyrum condita, ita ut innumerabiles populi e duobus oppidis concurrentes, ad gravissimum se pararent certamen, atque eorum contentio usque ad gladiorum conflictum progressa sit, dum pia devotione inter se litigabant qui eorum justius possiderent Sanctorum illorum sepulturam atque reliquias, aliis gloriantibus de hoc quod Sancti illi eis vicinius morabantur, aliis de hoc quod de eorum terra ac populo essent; nos tamen non mediocriter offensi seu stupefacti ac moti tam ex parte nostra quam ex parte Fratrum de hac re valde scandalizatorum, et inquirentes cur viri tam virtuosi tantique meriti apud Deum ita sint a latrunculis interempti, et cur Deus sustinuerit tantum facinus perpetrari circa famulos suos, ita ut viros cunctis mirabiles traderet manibus impiorum, mœsti perreximus ad S. Theodorum, virum in conversatione actuali præcipuum, qui morabatur in Cellis : qui locus situs inter Scythi et Nitriam, a monasteriis quoque Nitriæ quinque millibus distans, dividitur ab eremo Scythi, in qua nos habitabamus, solitudine ac spatio millium octoginta. Quumque querelam fecissemus Theodoro de nece prædictorum virorum, admirantes tantam Dei patientiam, quod scilicet viros tam eximii meriti permisisset taliter trucidari, ut hi qui merito suæ sanctitatis debuerant alios liberare de tali persecutione et tentatione, non eripuerunt se ipsos de manibus impiorum, aut cur Deus concessisset fieri crimen tam grande in servos suos tam sanctos ac caros : ad hæc beatus respondit Theodorus.

Cf. p. 67 A.

CAPITULUM II.

Responsio abbatis Theodori ad quæstionem propositam.

QUÆSTIO ista solet illorum corda turbare qui parum fidei atque scientiæ possidentes, arbitrantur merita Sanctorum præmiari in vita hac brevi, quum tamen in præsenti non fiat hoc, sed in futuro. Ceterum nos qui non sumus in hac vita tantum sperantes in Christo (ne secundum Apostolum, miserabiliores simus omnibus hominibus, quia quum non recipiamus in vita ista bona nobis desuper repromissa, etiam in futuro privabimur eis, si tali incredulitate fallamur), non ergo errare debemus incredulorum opinione, ne ignorata fidei veritate et veræ asser-

I Cor. xv, 19.

tionis doctrina, inveniamur titubantes ac trepidi quum consimilibus tentationibus aut tribulationibus fuerimus traditi, et ne injustitiam atque injuriam sive incuriam rerum humanarum Deo (quod dictu etiam nefas est) adscribamus, quia Deus sanctos viros et recte viventes in tentatione non protegat, nec bonis retribuat bona, nec malis mala in hac præsenti vita; sicque mereamur damnari cum illis de quibus per increpationem loquitur Sophonias pro-
Soph. I, 12. pheta : Dicunt in cordibus suis, Non faciet Dominus bene, sed neque faciet male; vel certe in eorum numero inveniamur qui
Malach. II, 17. Deum querimoniis his blasphemant : Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est Deus judicii? Et ne addamus bla-
Ibid. III, 14, 15. sphemiam subsequentem : Vanus est qui servit Deo; aut quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ditati sunt facientes iniquitatem et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt.

Ut ergo possimus evadere ignorantiam istam, quæ radix et causa est pravissimi hujus erroris, primo scire debemus quid sit vere bonum, et quid malum; sicque tenentes in his non falsam vulgi opinionem sed veram Scripturarum doctrinam, nequaquam decipiemur errore infidelium hominum.

CAPITULUM III.

De tribus quæ sunt in hoc mundo, videlicet bonis, malis, ac mediis.

Tria in hoc mundo inveniuntur : utpote bonum, et malum, ac medium. Itaque scire debemus quid sit proprie bonum, et quid malum, atque quid medium, ut fides nostra per veram scientiam roborata, perduret in cunctis tentationibus inconcussa. Nihil igitur credendum est principaliter esse bonum in rebus humanis, nisi sola virtus, quæ perducens nos
A ad divina fide sincera, facit nos jugiter inhærere summo et invariabili bono. Nihil quoque proprie malum est nisi peccatum, quod a bono Deo nos separans, diabolo copulat. Porro media sunt, quæ pertinere possunt ac derivari ad partem utramque juxta arbitrium et affectum utentis, sicut divitiæ, potestas, honor, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa et mors, paupertas, infirmitas carnis, adversitas, hisque similia, quæ secundum utentis affectum et qualitatem pos-
B sunt prodesse, et item obesse. Nam et divitiæ frequenter proficiunt ad salutem, secundum Apostolum divitibus hujus mundi præcipientem faciliter tribuere, indi- *I Tim.* VI, 18, 19.
gentibus communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut per hos usus divitiarum apprehendant veram vitam. Secundum Evangelium quoque, divitiæ utiles sunt his qui faciunt sibi ami- *Luc.* XVI, 9.
cos de iniquo mammona. Retorquentur autem divitiæ istæ in malum et nocent, dum reponuntur tantum ad thesaurizan-
C dum aut ad luxuriandum, nec indigentibus dispensantur. Præterea potestas et honor, robur et sanitas corporis, quam vere sint media et ad utramque partem trahibilia ex hoc clare faciliterque probatur, quod multi Sanctorum in veteri Testamento omnibus his bene sunt usi, atque in summa opulentia ac culmine dignitatum et corporali fortitudine constituti, fuerunt acceptissimi Deo; et econtrario qui his male potiti sunt et ad suæ nequitiæ obsequium ea traxerunt, non immerito sunt
D puniti aut interfecti, quod liber Regum docet multoties esse factum. Denique quod vita et mors mediæ sunt, protestatur nativitas S. Joannis Baptistæ et ortus Judæ. Nam vita Joannis in tantum profuit sibi, ut nativitas ejus contulerit gaudium etiam aliis, juxta quod scriptum est : Multi in *Ibid.* I, 14.
nativitate ejus gaudebunt; de vita vero Judæ asseritur : Bonum ei erat si natus *Matth.* XXVI, 24.
non fuisset homo ille. De morte quoque Joannis omniumque Sanctorum cantamus : Pretiosa in conspectu Domini mors San- *Ps.* CXV, 15.

ctorum ejus; de morte vero Judæ et con- Ps. xxxiii, 22. similium sibi : Mors peccatorum pessima. Rursus, quam utilis sæpe sit carnis infirmitas, pandit beatitudo Lazari ulcerosi. Cujus quum nulla alia merita describantur, pro hoc solo meruit sinum Abrahæ introire beatissima morte, quoniam paupertatem infirmitatemque corporis patientissime toleravit. Amplius egestas, persecutiones et injuriæ, quæ mala esse censentur totius vulgi opinione, quam necessariæ utilesque consistant hinc clare monstratur, quod sancti viri eas non solum non vitaverunt, imo etiam maxime appetierunt, et eas fortiter tolerando amici Dei effecti sunt et vitæ æternæ præmia consecuti. Unde ait II Cor. xii, 10, 9. Apostolus : Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in afflictionibus, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; quum enim infirmor, tunc potens sum, quoniam virtus in infirmitate perficitur. Idcirco qui maxima mundi opulentia, potestatibus atque honoribus magis abundant, non sunt credendi ex hoc principale bonum obtinuisse, quod in solis consistit virtutibus, sed medium quoddam. Nam sicut sunt bona et accommoda bene utentibus, quibus præbent occasionem boni operis ac fructum vitæ æternæ; sic male utentibus inutilia ac nociva inveniuntur, et fiunt eis occasio culpæ ac mortis.

CAPITULUM IV.

Quod malum nulli invito possit inferri ab alio.

HANC itaque divisionem triplicem fixe et immobiliter retinentes, et cognoscentes quod nihil sit bonum nisi virtus ex Dei timore ac dilectione procedens, nec malum nisi peccatum et separatio mentis a Deo : discutiamus nunc diligenter an Deus unquam permiserit malum inferri Sanctis suis per se, aut per alium aliquem. Quod sine dubio nunquam invenies factum, quoniam nunquam potuit aliquis A inferre peccatum alteri nolenti et resistenti, sed ei dumtaxat qui illud in se suscepit cordis ignavia et voluntate corrupta. Denique quum diabolus voluisset beato Job inferre peccatum, adhibens ad hoc universas suæ nequitiæ machinas, exspoliassetque eum non solum facultatibus cunctis, verum etiam percussisset eum ulcere Job ii, 7. pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis, et intolerandis suppliciis post illum tam atrocem ac insperatum dolorem de morte totius sobolis suæ, nequaquam B potuit ei infligere maculam culpæ : qui in omni adversitate immobilis perseverans, nullatenus consensit blasphemio.

CAPITULUM V.

Objectio, qualiter Deus dicatur creare malum.

GERMANUS : Frequenter legimus in Scripturis, quod Deus creavit atque intulit hominibus malum, ut est illud : C Quoniam absque me non est Deus, ego Is. xlv, 6, 7. Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans mala; et iterum : Si erit malum in Amos iii, 6. civitate quod Dominus non fecit?

CAPITULUM VI.

Responsio ad objectionem præfatam.

THEODORUS : Scriptura interdum abu- D sive ponit malum pro adversitate seu afflictione; non quod afflictio per naturam sit mala, sed quia dure sentitur a patientibus eam, et mala videtur his quibus infertur utiliter. Deus namque hominibus loquens, necesse est ut humanis verbis atque affectibus eloquatur : sic et sectio sive salubris adustio quæ pie infertur a medico his qui putrefacti sunt ulcere, mala videtur eisdem; quemadmodum calcar equo, et delinquenti correctio. Omnes etiam disciplinæ sentiuntur

ad præsens amaræ ab his qui erudiuntur, A
Hebr. XII, 11. sicut ait Apostolus : Omnis autem disciplina in præsenti non videtur esse gaudii sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ;
Ibid. 6, 7. et, Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit; quis enim est filius quem non corripit pater? Itaque mala pro afflictionibus aliquando poni solent, secundum illud :
Jonæ III, 10. Pœnituit Dominum super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit; et
Joel II, 13, juxta LXX. iterum : Quia tu, Domine, misericors et B
miserator, et pœnitens in malitiis, id est super tribulationibus et ærumnis quas nobis propter peccata nostra infligis. Quas alius Propheta sciens utiles esse quibusdam, sic orat, non invidens sed consulens
Is. XXVI, 15, juxta LXX. saluti eorum : Adde illis mala, Domine, adde mala gloriosis terræ; et ipsemet Do-
Jer. XI, 11. minus : Ecce, inquit, inducam super eos mala, id est dolores et vastitates, ut eis salubriter castigati, cogantur tandem reverti ac festinare ad me quem in prosperis contempserunt. Ideo ista non sunt C
principalia mala : ad bonum proficiunt, et pariunt eis æternorum merita gaudiorum.

Ut ergo ad quæstionem propositam recurramus, universa dura atque pœnalia quæ nobis ab adversariis irrogantur, et mala putantur, non sunt simpliciter mala, sed media; nec talia sunt qualia esse putantur ab eo qui intulit ipsa animo furibundo, sed qualia patiens senserit et acceperit ea. Unde quum viro sancto infertur mors, non infertur ei malum, sed medium quoddam. Quod quum malum sit peccatori, ju- D
sto requies est et absolutio culparum su-
Job III, 23. arum : mors enim requies viro cujus via abscondita est. Ideo nullum sustinet justus detrimentum ex morte, quia nil patitur novi, sed quod passurus erat necessitate naturæ, passus est ex inimici malitia non sine augmento gloriæ suæ æternæ; sicque posuit debitum mortis humanæ, quod inevitabili lege reddendum est, cum fructu passionis uberrimo ac magnæ remunerationis mercede.

CAPITULUM VII.

An reus sit qui justo intulit mortem, quum justus habeat de morte mercedem.

GERMANUS : Ergo si justus occisus non solum nil mali perpessus est, sed etiam mercedem passionis consequitur, qualiter reus est qui mortem ei inferendo non nocuit, sed profuit?

CAPITULUM VIII.

Responsio ad hæc.

THEODORUS : Nos disputavimus de proprietate boni et mali ac medii, non de affectu eorum qui ista committunt. Non enim impius aut iniquus ideo erit impunitus, quia malitia sua justo nocere non potuit. Patientia etenim viri justi proficit ad mercedem, non illi qui mortem sive supplicium intulit, sed ei qui injuriam sibi illatam æquanimiter tulit. Hinc inferens punietur juste pro sua sævitia, quia nocere volebat, et sustinens nihil omnino mali perpessus est, quia virtute patientiæ suæ pie sustinens tentationes et dolores sibi inflictos, ea quæ malo animo sibi illata sunt, fecit pertinere ac sibi prodesse ad melioris status profectum atque æternæ vitæ felicitatem.

CAPITULUM IX.

Exemplum Job a diabolo tentati, et Christi a Juda traditi; et quod justo plus conferant ad salutem adversa quam prospera.

NEQUE enim patientia sancti Job acquisivit mercedem diabolo, qui suis tentationibus illustriorem fecit ipsum beatum Job, sed ipsimet sancto Job qui eas viriliter pertulit; nec Judas remunerabitur beatitudine æternali, quia proditio ejus profecit ad generis humani salutem. Non enim considerandus est proventus operis, sed agentis affectus. Idcirco immobili te-

neamus doctrina, quod nulli possit ab alio malum culpæ inferri, nisi qui illud admiserit pusillanimitate atque ignavia proprii cordis.

Adversa quoque et sinistra faciamus bono rectoque usu pertinere ad dexteram partem, ut quæcumque fuerint nobis illata, II Cor. vi, 7. fiant nobis arma justitiæ, juxta doctrinam Apostoli. Duabus etenim partibus, et ut ita dixerim, manibus, videmus subsistere interiorem hominem nostrum : nec quisquam carere potest hac sinistra, id est adversitate quam diximus, sed in hoc cognoscitur virtus ejus esse perfecta, si convertat utraque in dexteram, bene eis utendo. Denique ut id quod dicimus, manifestius intelligatur, habet vir sanctus dexteram (id est successus spiritualiter prosperos), in qua est, dum spiritu fervens dominatur concupiscentiis universis, ab omni diabolica impugnatione quietus respuit aut abscidit vitia absque difficultate atque labore, quum sublimatus a terra contemplatur cuncta præsentia ac terrena tanquam fumum inanem umbramque vacuam, et despicit ea velut mox transitura, dum futura per mentis excessum non solum ardentissime concupiscit, verum etiam clarius intuetur, quum efficacius spiritualibus pascitur theoriis, dum conspicit cœlestia sacramenta sibi lucidius reserata, dum puriores et alacriores orationes fundit ad Dominum, dum mentis ardore succensus ita ad invisibilia et æterna transmigrat tota mentis alacritate, ut non sentiat se esse in carne.

Insuper habet vir sanctus sinistram, dum tentationum implicatur turbinibus, dum incentivorum calore inflammatur ad desideria carnis, dum igne perturbationis accenditur ad furorem et iram, dum vana gloria aut elatione pulsatur, dum tristitia mortem operante opprimitur, dum acediæ impugnatione concutitur, dum omni spirituali fervore subtracto, quodam torpore tabescit, ita ut non solum cogitationibus rectis ac fervidis destituatur, sed psalmodia quoque, oratio et cellæ remotio sibi si- A mul horrescant, et instrumenta cuncta virtutum intolerabili quodam ac tetro fastidio ei sordescant; quibus dum monachus impugnatur, sciat se parte sinistra vastari.

Quicumque ergo in prosperis, seu his quæ dexteræ partis sunt, non fuerit inaniter gloriatus nec elatione inflatus, et contra ea quæ sinistræ partis sunt viriliter dimicans, nulla desperatione corruerit, imo potius de contrariis assumpserit quædam patientiæ arma ad exercitationem virtutis : iste utraque manu utetur pro Judic. iii, 15. B dextera, et in utroque eventu triumphator effectus, consequetur victoriæ palmam tam de actu sinistro quam dextero. Qualem legimus sanctum Job exstitisse, qui utique per dexteram coronabatur, quando septem filiorum pater exsistens et opu- Job i, 2, 3, 5. lentus ac dives incedens, obtulit pro purificatione illorum sacrificia quotidiana, cupiens eos exhibere acceptos et familiares Deo magis quam sibi; et quando janua ejus patebat omni advenienti, dum erat Ibid. xxix, 15; xxxi, 20, 21, 29. pes claudorum oculusque cæcorum, dum C humeri infirmorum calefiebant de velleribus ovium ejus, quando erat orphanorum viduarumque pater, quando nec corde gavisus est de inimici sui ruina. Præterea idem in parte sinistra triumphabat in adversitatibus sublimiori virtute, dum uno momento orbatus filiis septem, non conficiebatur acerbo luctu ut pater, sed ut verus Dei famulus de impletione voluntatis sui Creatoris gaudebat ; quum ex locuplete factus pauperrimus, ex divite nudus, ex forte infirmus, ex glorioso ac D inclyto despectus atque ignobilis, incorruptam animi fortitudinem conservabat; dum item omni substantia opibusque privatus sedit in sterquilinio, et tanquam se- Ibid. ii, 8. verissimus proprii corporis carnifex, cum testa detersit saniem profluentem, ex omni quoque parte membrorum detraxit vermium cumulos, imprimens digitos in vulnerum suorum profunda. In quibus omnibus nequaquam lapsus est in aliquam blasphemiam desperando, nec contra Creatorem suum murmuravit in aliquo : imo

nullatenus territus tentationum acerbitate A ac mole, scidit et abjecit ipsum suum indumentum, quod ei superfuit ex omni pristina facultate, et quod solum poterat a diaboli destructione præservari, quoniam ipso tunc vestiebatur : hoc, inquam, abjecit ultra nuditatem quam sibi intulerat durissimus prædo diabolus. Abscidit
Job I, 20. etiam et tentatori suo projecit comam capitis sui, quæ sola intacta remanserat de bonis gloriæ suæ prioris; sicque abscindens quod sæviens tentator ei reliquerat, tripudiavit contra eumdem cœlesti voce, B
Ibid. II, 10. qua dixit : Si bona suscepimus de manu
Ibid. I, 21. Domini, mala cur non sustinebimus? Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc; Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est ; sit nomen Domini benedictum.

Amplius ipsum Joseph merito ambidexterum appello, qui in prosperis inventus
Gen. XXXVII, XXXIX, *passim.* est suo patri gratior, religiosior fratribus, acceptior Deo; in adversis quoque castus et domino suo fidelis, mitissimus carceris C vinctus, injuriarum immemor, beneficus invidis, et interemptoribus fratribus, quantum erat in ipsis, non solum pius sed etiam munificus. Hi ergo et eorum consimiles recte vocantur ambidexteri, quoniam utraque manu utebantur pro dextera, et transeuntes inter hæc quæ Apostolus
II *Cor.* VI, 7, 8. sanctus dinumerat, pariter dicunt : Per arma justitiæ a dexteris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam. De qua dextera et sinistra Salomon in persona Sponsæ ait in Canti- D
Cant. II, 6. cis : Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Quas utrasque utiles esse designat, quum lævam sive sinistram dicit sub capite positam, cui subjacere debent adversæ partes ac reliquæ vires tanquam principali cordis. Quam sententiam confirmat Apostolus, dicens :
Rom. VIII, 28. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Dicens enim, Omnia cooperantur in bonum, comprehendit universa, non solum prospera, sed etiam quæ putantur adversa, per quæ se transisse describit in alio loco, dicens : Per II *Cor.* VI, 7, 8, 10.
arma justitiæ quæ a dexteris et quæ a sinistris, id est per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, ut tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes. Omnia igitur quæ prospera reputantur et dexteræ partis esse dicuntur, quæ designavit Apostolus nominibus gloriæ et bonæ famæ; illa quoque quæ æstimantur adversa, quæ evidenter expressit per ignobilitatem atque diffamiam; omnia, inquam, hæc efficiuntur viro justo ac perfecto arma justitiæ, si ea magnanimiter tulerit, quia per hæc dimicando, et eis pro armis utendo per quæ impugnari putatur, eisque munitus contra eos qui ingerunt ea, tanquam arcu et gladio scutoque fortissimo, acquirit sibi profectum patientiæ ac virtutum, capiens gloriosissimum triumphum constantiæ ex hostium telis quæ sibi letaliter inferuntur. Nec prosperis dumtaxat elatus nec adversis dejectus, sed itinere plano et via regia semper incedens, a veræ tranquillitatis statu nequaquam movetur quasi ad dexteram, supervenientibus lætis ac prosperis, nec ingruentibus adversis impellitur quasi ad lævam, dominante tristitia. Porro de his qui per singulos casus occurrentes mutantur juxta qualitatem et varietatem hujusmodi casuum, dicitur : Stultus mu- *Eccli.* XXVII, 12.
tatur ut luna. Quemadmodum enim de sapientibus ac perfectis dicitur : Diligenti- *Rom.* VIII, 28.
bus Deum omnia cooperantur in bonum; ita de infirmis ac stultis ait Scriptura : Omnia adversa viro insipienti; quia nec *Prov.* XIV, 7, juxta LXX.
proficit prosperis, nec emendatur adversis. Ejusdem namque virtutis est adversa ac tristia fortiter tolerare, et prospera moderari, ut certissimum est quod nullum eorum possit sufferre qui in uno dejicitur. Facilius tamen potest quis dejici prosperis quam adversis. Adversa namque aliquando retrahunt humiliantque invitos, et compunctione saluberrima faciunt eos minus peccare, aut vitam totaliter emendare; pro-

spera vero perniciosis ac mollibus blandimentis mentem extollentia, securos felicitatis suæ eventu ruina majori prosternunt. A

CAPITULUM X.

De virtute viri perfecti, qui ambidexter figuraliter nuncupatur.

ISTI sunt ergo qui in Scripturis ambidexteri figuraliter nuncupantur, sicut Aod fuisse narratur in Judicum libro : Qui utraque manu pro dextera utebatur. (Judic. III, 15.) Quam B perfectionem possumus spiritualiter possidere, si prosperis moderate et ordinate utamur, adversa vero sciamus nobis accidere ut exerceant nos pro tempore, et erudiant ad salutem, et perfectos nos faciant ad patientiam possidendam. Sponsa vero optat sibi insolubiliter cohærere ac jungi dexteram, ad confovendam et conservandam se jugiter salutari amplexu Sponsi. (Cant. II, 6.) Itaque ambidexteri sumus, quando præsentium rerum copia seu inopia nos non mutat, ita quod abundantia non im- C pellit nos ad voluptatem nocivæ remissionis, nec inopia ad desperationem aut querimoniam trahit nos; sed in utroque eventu Deo similiter regratiantes, æqualem acquirimus fructum de prosperis et adversis : qualem se fuisse testatur verus ille ambidexter gentium Doctor : Ego (inquiens) didici, in quibus sum, sufficiens esse; scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum), et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati : omnia possum in eo qui me D confortat. (Philipp. IV, 11-13.)

CAPITULUM XI.

De duplici genere tentationum, quæ modo triplici inferuntur.

QUAMVIS diximus duplicem esse tentationem, videlicet per prospera et adversa, sciendum tamen quod homines tribus ex causis tentantur : primo, ob suam probationem; secundo, ob suam emendationem; tertio, propter delictorum suorum demerita. Propter probationem, quemadmodum legimus Abraham, Job et multos Sanctorum pertulisse tribulationes innumeras. Unde ad populum Israel in Deuteronomio dicitur : Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ in animo tuo versabantur, utrum custodires mandata ejus, an non. (Deut. VIII, 2.) In Psalmo quoque loquitur Deus : Probavi te apud aquam Contradictionis; (Ps. LXXX, 8.) et Job : An putas me tibi locutum aliter quam ut appareres justus ? (Job XL, 9, juxta LXX.)

Denique ob emendationem contingit tentatio, quum Dominus tradit justos tentationibus variis pro parvis ac levibus culpis, ut eos humiliet, quia de sua puritate aliquid elationis admiserunt : ut excoquens in eis omnem sordem cogitationum, et (ut verbis Prophetæ utar) omnem scoriam quam videt in occultis eorum, (Is. I, 25.) perducat eos ad futurum examen tanquam aurum purum; non permittens in eis aliquid residere quod ignis judicii post vitam hanc scrutans, in ipsis reperiat purgaturus cruciatu pœnali, secundum illud Psalmistæ : Multæ tribulationes justorum; (Ps. XXXIII, 20.) et iterum scriptum est : Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo increparis; quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit : quis enim est filius quem non corripit pater ? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis. (Hebr. XII, 5-8.) In Apocalypsi quoque loquitur Dominus : Ego, quos amo, arguo et castigo. (Apoc. III, 19.) Ad tales etiam ait per Jeremiam sub figura Jerusalem : Castigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius. (Jer. XXX, 11.) Pro qua salutari emendatione orat David : Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum. (Ps. XXV, 2.) Jeremias quoque utilitatem tentationis hujus intelligens, ait : Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et (Jer. X, 24.)

Is. XII, 1. non in furore tuo; et Isaias : Confitebor (inquit) tibi, Domine, quoniam iratus es mihi; conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Insuper, pro vitiorum demeritis infertur plaga tentationis, ut ubi Deus minatur se *Deut. XXXII, 24.* plagas inflicturum populo Israel : Dentes, inquiens, bestiarum immittam in eos, etc.; *Jer. II, 30, juxta LXX.* et alibi : Frustra percussi filios vestros, disciplinam non accepistis; atque in Psal- *Ps. XXXI, 10.* mo : Multa flagella peccatoris; in Evangelio *Joann. V, 14.* quoque : Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Invenimus sane et quartam rationem tentationum, quoniam Scripturarum auctoritate cognoscimus quosdam puniri ad manifestandum gloriam Dei ac opera ejus, *Ibid. IX, 3.* sicut in Evangelio asserit Dominus : Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in ipso; et *Ibid. XI, 4.* rursus : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per ipsam.

Sunt et alia ultionum genera quibus percutiuntur ad præsens qui ultra modum peccarunt, sicut legimus damnatos fuisse Dathan et Abiron. De qualibus etiam Apo- *Rom. I, 26, 28.* stolus dicit : Proptér quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum. Quod ceteris omnibus judicandum est gravius. De talibus quippe ait *Ps. LXXII, 5.* Psalmista : In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Non enim merentur salvari visitatione Dei paterna in sæculo isto, nec digni sunt temporalibus plagis consequi medicinam, qui *Ephes. IV, 19.* desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis erroris et immunditiæ, qui obduratione cordis et usu atque frequentia delinquendi excedunt purgationem hujus brevissimi temporis et ultionem vitæ præsentis. Quibus Dominus *Amos IV, 11.* exprobrat per Amos prophetam : Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et facti estis sicut torris raptus de incendio, et nec sic redistis ad me, dicit Dominus; et rursus per Jeremiam : *Jer. XV, 7.* Interfeci, inquit, et perdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi; et iterum de talibus dicitur Deo : Per- *Jer. V, 3.* cussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, noluerunt reverti. Circa quorum curationem videns Propheta frustra esse consumptam omnem hujus temporis medicinam, desperans quodammodo de eorum salute, proclamat : Defecit sufflatorium in igne, frustra *Ibid. VI, 29, 30.* conflavit conflator, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ; argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos.

Denique Deus conqueritur se adhibuisse inaniter hanc salutaris ignis purgationem circa duratos sceleribus, sub persona Jerusalem infecta rubigine vitiorum profunda, dicendo : Pone eam super prunas va- *Ezech. XXIV, 11-13.* cuam, ut incalescat et liquefiat æs ejus, et confletur in medio ejus inquinamentum ejus; multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem : exsecrabilis immunditia tua, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis. Quamobrem Dominus tanquam peritissimus medicus, conspiciens nullum genus remedii superesse quod infirmitati eorum possit aptari, expensis omnibus salutaribus medicinis, superatur quodammodo magnitudine pravitatum, atque a sua clementi castigatione cessare compellitur. Propter quod ait : Jam non irascar *Ibid. XVI, 42.* tibi amplius, et zelus meus recessit a te. Porro de illis quorum cor non duravit in frequentia vitiorum, nec indigent severissima illa ignis medicina, sed salutaris eruditio verbi eis sufficit ad salutem, Dominus protestatur : Emendabo eos in auditu *Osee VII, 12, juxta LXX.* tribulationis suæ.

Non ignoramus esse et alias causas ultionum quæ infliguntur his qui gravissime deliquerunt, non ad expianda eorum flagitia, neque ad removenda transgressionum demerita, sed ad emendationem aliorum viventium : quemadmodum factum scimus in Jeroboam filium Nabat, Baasa, Achab et Jezabel, dicente Scriptu- *III Reg. XXI, 21-24.* ra : Ecce ego demetam posteriora tua, et

interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum in Israel; et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa, quia egisti ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel; canes quoque comedent Jezabel in agro Jezrael; si mortuus fuerit Achab in civi-
III Reg. xxi, 22. tate, etc.; et item : Non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum. Non quod hæc brevis et momentanea pœna sufficeret expurgare profana facinora Jeroboam, qui primus instituit aureos vitulos ad perpetuam plebis transgressionem et impiam ejus separationem a Deo, vel ad expurganda tam innumera tamque nefaria sacrilegia aliorum jam prædictorum; sed ut ceteris qui futura negligendo aut non credendo, flectebantur tantummodo consideratione præsentium vindictarum, terror incuteretur exemplo præsentium ultionum quas videbant ac metuebant : sicque cognoscerent Deum altissimum habere providentiam actuum humanorum ac dispensationis quotidianæ, per experimenta talium ultionum; et per pœnas hujusmodi, quas gravissime formidabant, viderent clarissime Deum esse omnium operum retributorem.

Postremo invenimus quosdam pertulisse eamdem mortis sententiam pro levio-
Num. xv, 36. ribus culpis, ut patet de illo qui sabbato
Act. v, 5, 10. ligna collegit, et de Anania ac Saphira qui modicum de pretio suæ servaverunt substantiæ ex infidelitatis cujusdam errore : non quod horum peccata fuerunt tam magna ut prædictorum regum Israeliticæ plebis, sed quoniam præsumptores novæ transgressionis reperti, debuerunt ceteris dare exemplum terroris ac pœnæ, sicut dederunt eis exemplum culpæ; ut quisquis talia de cetero attentaret, sciret se in futuro judicandum ac puniendum secundum eamdem formam qua illi puniti sunt, etiam si differatur ejus supplicium in præsenti.

Et quoniam percurrendo genera tentationum ac ultionum, videmur fecisse A digressionem a proposita narratione qua dicebamus virum perfectum manere in utraque tentatione semper immobilem, nunc revertamur ad idem.

CAPITULUM XII.

Quomodo justus debeat esse similis non ceræ, sed signatorio adamantino.

MENS igitur justi non debet esse similis ceræ aut alteri molli materiæ, quæ B semper cedit figuræ signantium et juxta formam imprimentis formatur, ac formam sibi impressam tamdiu tenet donec rursus formetur ab aliquo; ita ut nunquam in sua qualitate persistens, convertatur semper ac transeat ad figuram quæ ei imprimitur. Idcirco mens nostra debet assimilari signatorio seu sigillo adamantino, ut immobilem tenens suæ tranquillitatis dispositionem virtutisque statum, universa sibi incurrentia signet atque transformet ad convenientiam sui status; ipsa vero C nullis valeat incursibus deformari.

CAPITULUM XIII.

Interrogatio, an mens possit jugiter in una et eadem qualitate durare.

GERMANUS : Potestne mens nostra unum statum jugiter retinere, et in eadem qualitate semper persistere ?

D

CAPITULUM XIV.

Responsio ad quæstionem propositam.

THEODORUS : Necesse est ut renovatus Ephes. iv, 23.
quis spiritu mentis suæ, aut omni die proficiat, extendens se semper ad ea quæ Philipp. iii, 13.
ante sunt, juxta Apostolum, aut si neglexerit, consequens est ut redeat retro atque ad pejus labatur. Idcirco mens nullatenus valet in una ac eadem qualitate durare : velut si quis conetur navem sua impul-

sione movere contra impetum fluminis violenti, necesse est eum vel ad superiora conscendere virtute brachiorum dividentium aquas, aut virtute brachiorum deficiente ferri deorsum. Quapropter istud erit evidens nostri detrimenti indicium, si intellexerimus nos nihil amplius acquisivisse stabilitatis; nec dubitemus nos retrorsum abductos, quacumque die non senserimus nos ad superiora progressos : quia (ut dixi) mens hominis non potest jugiter in eodem statu persistere, nec aliquis Sanctorum in hac carne consistens, apicem virtutum sic possidet ut perseveret immobilis; quia necessarium est aliquid virtutibus addi aut subtrahi, imo in omni creatura nulla potest talis esse perfectio quæ non subjaceat mutabilitatis passioni, juxta illud in libro beati Job : Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Solum namque Deum immutabilem confitemur, cui soli loquitur sanctus Propheta : Tu autem idem ipse es; et ipsemet loquitur per Prophetam : Ego Dominus, et non mutor; quoniam ipse naturaliter semper bonus, semper plenus, semper perfectus, cui nil addi potest aut minui. Ideo debemus nos semper extendere ad studia et profectus virtutum sollicitudine indefessa, et virtuosis exercitiis nos jugiter occupare, ne cessante profectu, sequatur defectio : quia (ut diximus) mens in uno et eodem statu manere non valet, ut scilicet nec incrementa virtutum acquirat, nec detrimenta sustineat. Nam non acquirere est amittere : nempe qui desinit a proficiendi affectu, non aberit a periculo deficiendi.

Job xv, 14, 15. — *Ps.* ci, 28. — *Malach.* iii, 6.

CAPITULUM XV.

Quod detrimentum sit discedentis a cella.

HINC tenenda est jugis inhabitatio cellæ. Quoties namque quis fuerit evagatus de cella, toties quum in eam redierit, titubabit atque turbabitur tanquam novus habitator ipsius. Nec enim poterit sine labore ac dolore recuperare illam animi intentionem et devotionem quam acquisierat residendo in cella, si fuerit relaxata; atque per hoc retro abductus, non de acquisito cogitabit quod superadjicere potuit, si cellam non fuisset egressus, sed gaudebit potius si se senserit recuperasse statum quem perdidit. Nam sicut præteritum et amissum tempus nequit recuperari, ita nec emolumenta seu profectus quæ perierunt, possunt restitui. Quantumlibet etenim mens post hæc fuerit ad bonum intenta, instantis diei est profectus et temporis præsentis quæstus, non reparatio lucri semel amissi.

CAPITULUM XVI.

De mobilitate supernarum virtutum.

SUPERNAS virtutes seu angelos mutabilitati subjacere, ut diximus, declarant, qui de eorum numero corruerunt vitio voluntatis corruptæ. Unde nec illi putandi sunt immutabilis esse naturæ, qui perseverant in beatitudine in qua exstant creati. Aliud namque est immutabilis esse naturæ, aliud per immutabilis Dei gratiam non mutari, concurrente ad hoc virtutis industria ac boni custodia. Quidquid enim per diligentiam acquiritur aut tenetur, potest etiam per negligentiam deperire aut perdi. Ideo scriptum est : Ne justifices hominem ante exitum suum; quia videlicet adhuc positus in loco, et ut sic loquar, in scammate colluctationum, quamvis vincere soleat et consequatur frequentes victoriæ palmas, non tamen potest esse securus a metu et suspicione incerti proventus. Ideo solus Deus bonus et immutabilis dicitur, quoniam bonitatem naturaliter possidet, non studio alicujus industriæ. Nulla igitur virtus potest immobiliter possideri ab homine; sed ut partim * jugiter teneatur, necesse est eam custodiri ea semper sedulitate atque industria qua fu-

Eccli. xi, 30, juxta LXX. — * partu

erat acquisita : imo quod verius est, oportet eam conservari dono seu beneficio gratiæ adjuvantis.

CAPITULUM XVII.

Quod nemo labatur subitaneo casu.

PORRO qui cadit, nequaquam credendus est subitanea corruisse ruina, sed decipitur pravæ institutionis exordio, aut per longam mentis incuriam virtute animi paulatim labente; sicque vitiis sensim increscentibus, miserabili ruit casu. Nam ante contritionem præcedit ruina, et ante ruinam cogitatio prava : quemadmodum domus non labitur subito, nisi paulatim corruerint munimenta tectorum ex antiquo defectu fundamentorum, aut ex longa desidia habitatorum parvissimis guttis paulatim intrantibus, tectis autem per vetustam negligentiam patefactis et lapsis, influit ventorum imbriumque tempestas. In pigritiis enim humiliabitur contignatio, et in segnitie manuum stillabit domus. Quod idem Salomon aliis verbis designat menti spiritualiter evenire, dicendo : Stillicidia ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua; eleganter comparans negligentiam sive incuriam mentis tecto domatique neglecto, quoniam per negligentiam primo intrant ad animam minutissima stillicidia passionum, quæ si non curentur utpote parva ac levia, corrumpunt tigna virtutum : quo facto, influit imber copiosissimus vitiorum, per quem in die hiemali, id est tempore tentationis, per impulsum diaboli expellitur mens de habitatione virtutum, in qua ante per diligentiæ circumspectionem se retinens, requievit tanquam in domo propriæ possessionis.

(Prov. XVI, 18, juxta LXX. — Eccle. X, 18. — Prov. XXVII, 15, juxta LXX.)

His auditis, percepimus infinitam spiritualis alimoniæ voluptatem, ita ut gaudio repleremur majore ex ista collatione, quam ante repleti eramus tristitia de nece Sanctorum injusta. Non solum edocti sumus de quibus dubitabamus, verum etiam quæ nescivimus interrogare ex tenuitate nostri ingenii, didicimus ex interrogatione hujus abbatis.

COLLATIO VII

(Abbatis Sereni prima)

DE MOBILITATE ANIMÆ ET SPIRITUALIBUS NEQUITIIS.

CAPITULUM PRIMUM.

De castitate abbatis Sereni.

CUPIENTES manifestare mentibus studiosorum, virum summæ sanctitatis ac continentiæ, abbatem nomine et re Serenum, serenitatis speculum, quem singulari veneratione sumus præ ceteris venerati, arbitramur non aliter posse nos adimplere desiderium nostrum, nisi inseramus nostris libellis collationes ipsius. Cui tam peculiari beneficio Dei, infusa est virtus castitatis supra omnes virtutes quæ per Dei gratiam refulgebant non solum in ejus vultu, sed etiam in actu moribusque ipsius, ut nec in sopore sentiret se inquietari stimulis carnis, imo nec naturalibus incentivis. Ad quam tam præcipuam carnis puritatem qualiter pervenerit auxilio gratiæ Dei, necessarium reor primitus explicare, quia videtur fuisse supra conditionem naturæ humanæ.

CAPITULUM II.

Interrogatio præfati senis de statu cogitationum nostrarum.

HIC igitur abbas pro interna castitate cordis ac animæ obtinenda insistens infatigabiliter nocturnis diurnisque precibus, jejuniis atque vigiliis, quum vidisset se obtinuisse vota seu desideria orationum suarum, et universos ardores carnalis concupiscentiæ esse exstinctos in corde suo, accensus gustu suavissimo puritatis, zelo castitatis exarsit in majorem
A puritatis affectum, et cœpit ferventioribus obsecrationibus, acrioribus quoque jejuniis deprecari, ut mortificatio passionis hujus quæ interiori homini suo fuit concessa solo dono gratiæ Dei, in tantum extenderetur atque perveniret ad exterioris hominis puritatem, ut nec ulterius pulsaretur illo naturali ac simplici motu qui etiam in parvulis atque lactentibus excitatur. Ad quod petendum fuerat animatus experimento adepti muneris, utpote prædictæ castitatis interioris, quod se noverat
B consecutum non merito suorum laborum, sed gratia Dei : credens Deum multo facilius posse radicitus mortificare ac tollere hos stimulos carnis, quos et industria artis humanæ solet quandoque auferre poculis vel medicamentis, aut ferri incisione; quum jam Deus ei dedisset munere gratioso cordis puritatem quæ altior est, et quam impossibile est obtinere humano labore ac studio. Quumque obsecrationi huic cum lacrimis indesinenter insisteret, venit ad eum angelus Dei in visione no-
C cturna, et quasi aperiens uterum ejus, avulsit quamdam strumam ignitam de ipsius visceribus, illamque projiciens, et omnia intestina sua propriis locis restituens, dixit : Ecce incentiva carnis tuæ abscissa sunt, et scias te hodie percepisse perpetuam corporis castitatem quam fideliter poposcisti. Hoc breviter dixisse sufficiat de gratia huic seni peculiariter data. Ceterum superfluum puto aliquid loqui de ceteris ejus virtutibus, quas communiter possidebat cum reliquis summis viris, ne
D specialis narratio facta de eo, aliis videatur auferre quod de eo singulariter recitare-

tur. Inflammati igitur summo desiderio A collationis tanti abbatis, in Quadragesima eum accessimus. Qui quum interrogasset nos tranquillissima voce de statu cogitationum nostrarum et interioris hominis statu, aut quid habitatio eremi tanto tempore contulisset nobis ad puritatis profectum, respondimus ei querimoniis istis.

CAPITULUM III.

Responsio de instabilitate animæ.

COMPUTATIO seu diuturnitas temporis habitatioque deserti, ex quibus conjicis debuisse nos consequi perfectionem hominis interioris, hoc solum contulit nobis, ut disceremus quid esse non valeamus, non tamen fecit nos esse quales esse optamus. Non enim videmus nos assecutos fixam stabilitatem desideratæ puritatis, aut robur aliquod firmitatis, aut lumen scientiæ, sed solum augmenta confusionis atque pudoris. Quum enim studium omnium artium ad hoc exerceatur quotidie, C ut a trepidis rudimentis ad certam notitiam stabilemque peritiam crescens, incipiat nosse quæ ante ambigue noverat, aut penitus ignorabat, firmoque gradu procedens, versetur in qualitate artis illius perfecte et sine ulla difficultate; econtrario ego in studio puritatis hujus laborans, id solum me profecisse reperio, ut sciam quid esse non possim. Ex quo sentio aliud nihil mihi conferri quam luctum, cum tanta cordis contritione ut nunquam desit materia seu ratio lacrimarum, nec tamen D talis esse desinam qualis esse non debeo. Ideoque quid prodest didicisse quod summum est, si cognitum nequeat obtineri? Nempe quum senserimus directionem cordis nostri tendere ad puritatem intentam, mens inde insensibiliter revoluta, vehementiori prolabitur impetu ad evagationes priores; sicque quotidianis intra se compugnationibus occupata, incessanter abducitur captivitatibus aversionibusque innumeris, ut desiderata emendatio quasi desperetur a nobis. Per singula namque momenta lubricis discursibus evagatur. Quumque revocatur ad Dei timorem contemplationemve spiritualem, rursus celerius distrahitur, priusquam in illis firmetur; et dum quasi expergefacti senserimus cor nostrum ab intentione proposita evagari, reducentesque illud ad contemplationem unde corruerat, voluerimus illud munditiæ colligare ac Deo unire tenacissima intentione tanquam vinculo quodam, in ipso conatu nostro deficimus, et citius B quam anguilla elabitur puritas ipsa ab anima nostra. Ob quam rem æstuantes seu insudantes talibus custoditionibus quotidianis, nec tamen cernentes aliquod robur stabilitatis ex ipsis nostro animo accessisse, desperatione fracti, ad hanc opinionem deducimur, ut credamus has evagationes inesse generi humano vitio naturæ, et non nostro.

CAPITULUM IV.

Disputatio senis de statu animæ et virtute ejus.

SERENUS : Periculosæ præsumptionis est, de natura cujuslibet rei aliquid definire sententiamque proferre, rebus necdum recte discussis, nec ratione earum rite collecta. Est quoque incautum, ex consideratione propriæ fragilitatis sumere conjecturam et proferre judicium, non ex statu et qualitate ipsius artis aut ex experientia aliorum. Velut si quis ignarus artis natandi, et sciens corpus suum non posse super aquas jacere sine submersione, velit ex imperitiæ suæ experientia judicare neminem posse natare.

Itaque, terrenum habitaculum aggravat mentem multa cogitantem. Sap. IX, 15. Hæc igitur ex conditione suæ naturæ nunquam potest otiosa consistere, et nisi salubre ei aliquid immittatur in quo suos actus motusque exerceat, et in quibus jugiter occupetur, necesse est eam undique propria mobilitate discurrere atque per omnia volitare, donec assuefacta exercitio longo

usuque diuturno, experiatur et discat quas A materias debeat præparare et infundere suæ memoriæ, circa quas agat suos indefessos volatus, quibus et immorando robur acquirat, sicque prævaleat extrudere pravas inimici suggestiones quibus distrahebatur, et possit durare in statu quem cupit. Non ergo debemus hanc cordis evagationem adscribere Creatori vel naturæ humanæ, quum veraciter dicat Scriptura : *Eccle.* VII, 30, juxta LXX. Deus fecit hominem rectum, et ipsi quæsierunt cogitationes malas. Idcirco a nobis dependet qualitas cogitationum, quum B scriptum sit : *Prov.* XIX, 8, juxta LXX. Cogitatio bona scientibus eam appropinquat; vir autem prudens inveniet eam. Porro quidquid inveniri potest, subjectum est prudentiæ seu industriæ nostræ; et si inventum non fuerit, imputandum est non vitio ipsius naturæ, sed nostræ imprudentiæ atque desidiæ. Cui sensui concordat Psalmista, qui ait : *Ps.* LXXXIII, 6. Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine; ascensiones in corde suo disposuit. Videtis ergo in nostra ditione seu potestate consistere, ut disponamus et concipiamus in C cordibus nostris ascensiones, id est cogitationes pertingentes ad Deum, sive descensus, id est cogitationes ad terrena et carnalia corruentes. Quæ si in potestate nostra non essent, Christus non increpasset Pharisæos, dicendo : *Matth.* IX, 4. Quid cogitatis mala in cordibus vestris? nec per Prophetam jussisset : *Is.* I, 16. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; et, *Jer.* IV, 14. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Aliter, quomodo Deus in die judicii exigeret a nobis rationem cogitationum nostrarum D sicut et operum, secundum quod per Isaiam minatur : *Is.* LXVI, 18. Ecce ego venio ut congregem opera et cogitationes eorum cum omnibus gentibus et linguis? Nec aliter possemus damnari sive defendi testimonio cogitationum in metuendo Dei examine, quum tamen dicat Apostolus : *Rom.* II, 15, 16. Et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua judicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum.

CAPITULUM V.

De perfectione animæ, sumpta ex similitudine evangelici centurionis.

Mens ergo perfecta pulcherrime figuratur per evangelicum illum centurionem, cujus virtus atque constantia qua non cessit nec abducebatur quibuslibet cogitationibus occurrentibus, sed recto judicio bonas admisit malasque facillime repulit, descripta est tropica seu figurativa significatione, qua dixit : Nam et ego homo *Matth.* VIII, 9. sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit. Si ergo et nos viriliter dimicaverimus contra passiones et vitia, et subjecerimus eas ditioni discretionique nostræ, ac militantes in carne nostra, subjugare poterimus imperio rationis instabilem cogitationum nostrarum tumultum, ac passiones exstinguere, atque dominicæ crucis salutari vexillo expellere a pectore nostro adversariarum potestatum durissimas turbas, tunc promovebimur tantorum meritis triumphorum ad spirituales hujus centurionis perfectiones et gradum, quem in Exodo legimus per Moysen mystice designatum, quum dicitur : Constitue tibi *Exod.* XVIII, 21. chiliarchas sive tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. Sic et nos dignitate hac sublimati, habebimus potestatem et virtutem hanc imperandi, qua non quibuslibet cogitationibus abducamur, sed his quibus spiritualiter delectamur valeamus inhærere ac immorari, ita ut pravis cogitationibus imperemus, dicentes : Abite, et abeant; bonis vero, Venite, et veniant; servo quoque nostro, videlicet corpori, similiter injungamus ea quæ sunt continentiæ ac virtutum, et sine ulla contradictione deserviat, non jam suscitans nobis stimulos carnis saluti contrarios, sed omnem famulatum spiritui exhibens.

Denique qualia sint arma hujus centurionis, et quæ præliorum exercitia spectent ad eum, pandit Apostolus, dicens :

II Cor. x, 4. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, A
sed potentia Deo. Dixit qualia sint, utpote
non carnalia et infirma, sed potentia Deo.
Deinde insinuat ad quos conflictus sint
Ibid. 4-6. extendenda : Ad destructionem, inquiens,
munitionum ; cogitationes purgantes et
omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem
intellectum in obedientiam Christi, et in
promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, quum impleta fuerit vestra obedientia.

Quæ arma sigillatim percurrere quamvis B
sit necessarium, tamen alterius temporis
hoc est. Sed volo vobis tantummodo reserare genera ac proprietates armorum
quibus debemus jugiter esse accincti, si
I Reg. xxv, 28. volumus prælia Domini præliari, et inter
Ephes. vi, 16. centuriones evangelicos militare. Sumite,
inquit, scutum fidei, in quo possitis omnia
tela ignita nequissimi exstinguere. Ergo
fides est scutum, quæ in se suscipiens ardentissima libidinum jacula, mortificat ea
metu futuri judicii et credulitate cœlestis
Ibid. 14. regni. Et loricam, ait, caritatis ; caritas C
namque est quæ vitalia cordis nostri circumdans ac muniens, objiciens se mortiferis vulneribus passionum, non permittit
sagittas diaboli penetrare cor nostrum :
I Cor. xiii, 7. Omnia etenim suffert, omnia patitur, om-
Ephes. vi, 17. nia sustinet. Et galeam, inquit, spem salutis. Galea munimen est capitis. Quoniam
ergo Christus est caput nostrum, debemus
istud semper munire spe futurorum, tanquam inexpugnabili galea, in tentationibus
et persecutionibus universis; principaliter quoque fidem Christi illæsam ac inte- D
gram custodire. Truncatus enim quis aliis
membris, potest aliqualiter superesse, quamvis infirmus; capite autem ablato, nemo
Ibidem. vivere potest. Et gladium, ait, spiritus,
Hebr. iv, 12. quod est verbum Dei : Penetrabilius namque est (verbum Dei) omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem
animæ ac spiritus, compagum quoque ac
medullarum, et discretor cogitationum et
intentionum cordis; dividens scilicet et
abscindens quidquid in nobis invenerit
carnale sive terrenum. Quibus armis quicumque fuerit roboratus ac tectus, erit
a telis et devastatione hostium semper defensus, non districtus ad hostilem malarum cogitationum possessionem quasi
captivus ac subditus; sicque evadet deprædantium vincula, nec audiet per Prophetam : Quare inveteratus es in terra Baruch iii, 11.
aliena? sed tanquam triumphator et victor
consistet in illa bonarum cogitationum regione qua ipse voluerit. Vis quoque agnoscere ipsum robur ac fortitudinem centurionis istius, quibus gestat arma prædicta, II Cor. x, 4.
non carnalia, sed potentia Deo ? Audi
regem altissimum congregantem viros fortes ad spiritualem militiam, quo eos hortatu signet ac probet, quum ait : Infirmus Joel iii, 10, 11, juxta LXX.
dicat, Quia fortis sum ego; et qui patiens
est, sit pugnator. Videtis ergo non nisi
infirmos ac patientes posse bella Domini
præliari : illa utique infirmitate qua fundatus ille evangelicus noster centurio Paulus cum fiducia loquebatur : Quum enim II Cor. xii, 10.
infirmor, tunc potens sum; et iterum, Vir- Ibid. 9.
tus in infirmitate perficitur. De qua infirmitate unus Prophetarum disseruit : Et Zach. xii, 8, juxta LXX.
erit qui infirmatur in vobis sicut domus
David. Patiens quoque præliabitur bella
hæc, illa patientia de qua fertur : Patien- Hebr. x, 36.
tia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei
facientes, recipiatis remunerationem.

CAPITULUM VI.

De perseverantia circa quotidianam cordis custodiam.

DOCET autem nos experientia nostra, quod debeamus ac possimus Domino cohærere, si voluptates habuerimus mortificatas et desideria mundi abscissa. De quo et aliorum auctoritate instruimur, qui Deum alloquentes, fiducialiter dicunt :
Adhæsit anima mea post te; et, Adhæsi Ps. lxii, 9.
testimoniis tuis, Domine; et, Mihi adhæ- Ps. cxviii, 31.
rere Deo bonum est ; et, Qui adhæret Ps. lxxii, 28.
Domino, unus spiritus est. Non ergo de- I Cor. vi, 17.
bemus evagationibus animæ fatigati, re-

Prov. xii, 11, juxta LXX. laxari a studio recollectionis internæ : Qui A
enim colit terram suam, saturabitur panibus; qui autem sectatur otium, replebitur egestate. Nec perniciosa desperatione frangamur ab intentione et conatu obser-
Ibid. xiv, 23, juxta LXX. vantiæ hujus, nam : Omni sollicito inest amplius, et qui suavis et sine dolore est, in egestate erit; et rursus conscriptum
Ibid. xvi, 26, juxta LXX. est : Vir in doloribus laborat sibi, et vim facit perditioni suæ. Sed et regnum cœ-
Matth. xi, 12. lorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. Nulla namque virtus sine dolore perficitur, nec ulli possibile est ascendere ad B
hanc mentis stabilitatem quam cupitis, si-
Job v, 7. ne ingenti cordis contritione : Homo quip-
Ephes. iv, 13. pe nascitur ad laborem. Qui ut possit in virum perfectum occurrere, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, necesse est eum semper esse pervigilem intentione magna, ac jugi sollicitudine desudare. Ad cujus tamen mensuræ plenitudinem nemo aliter perveniet in futuro, nisi qui eam præmeditatus atque imbutus ea fuerit in præsenti, eamque prælibaverit adhuc in hoc sæculo positus; et Christi pretiosissimum C
membrum effectus, possederit in hac carne arrham compaginationis illius per quam valeat copulari corpori Salvatoris : unum dumtaxat optans ac sitiens, atque ad unum jugiter dirigens non solum omnes suas actiones, sed etiam cogitationes, ut illud quod in cœlis appetit beatæ conversationis Sanctorum, teneat in præsenti per ar-
I Cor. xv, 28. rham et participationem, ut scilicet Deus sit ei omnia in omnibus.

CAPITULUM VII.

Interrogatio de mobilitate animæ, et impugnatione cœlestium nequitiarum.

GERMANUS : Instabilitas hæc mentis posset fortassis aliqualiter reprimi, nisi tot adversarii circumvallantes indesinenter impellerent eam ad ea quæ non vult : imo et illuc quo rapit eam naturæ suæ mobilitas. Et quia tam innumerabiles tamque potentes atque terribiles inimici mentem sic agitant, crederemus impossibile esse hominem fragilem illis resistere, nisi ad oppositum animaremur tuis sententiis tanquam cœlestibus quibusdam oraculis.

CAPITULUM VIII.

Responsio de adjutorio Dei, et potestate liberi arbitrii.

SERENUS : Quicumque interioris hominis pugnas experti sunt, dubitare non possunt quin invisibiles hostes nobis semper insidientur; sed ita dicimus eos nostris profectibus adversari, ut credamus eos esse suggestores malorum, non compulsores. Ceterum nullus hominum posset vitare quodcumque peccatum quod hostes illi nostris cordibus immitterent, si illis ita adesset violenta facultas ad compellendum, sicut ad suggerendum. Quamobrem, sicut in illis est copia instigationis ad mala, ita nobis collata est libertas acquiescendi ac respuendi. Verum si illorum impugnationes potentiamque veremur, protectiones atque auxilia Domini contemplemur, de quo ait Scriptura : Major est enim I Joann. iv, 4.
qui in vobis est, quam qui in mundo. Cujus subsidium multo potentius est ad militandum pro nobis, quam multitudo illorum adversum nos. Deus enim non tantum suggestor, sed factor et impulsor est rerum bonarum, ita ut interdum trahat nos ad salutem etiam invitos et ignorantes. Constat ergo neminem a diabolo
D decipi posse, nisi qui ei libere præbet voluntatis suæ assensum. Quod Ecclesiastes evidenter expressit, dicendo : Quia non fit Eccle. viii, 11, juxta LXX.
contradictio ab his qui faciunt malum cito, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis ut faciant mala. Manifestum est ergo unumquemque idcirco delinquere, quoniam ingruentibus cogitationibus pravis, non statim abjicit eas contradicendo et dissentiendo eisdem, quum scriptum sit : Resistite diabolo, et fugiet a Jacob. iv, 7.
vobis.

CAPITULUM IX.

Interrogatio, qualiter spiritus maligni humanis mentibus copulentur.

GERMANUS : Quæso, quid est istud indiscretum atque permixtum consortium animæ rationalis cum illis tam pravis spiritibus, ut illi possint animæ non solum conjungi, sed etiam ita uniri ut valeant eam insensibiliter alloqui, et inseri inspirareque ei quæcumque voluerint, possintque instigare eam ad illa quæ ipsis placuerint; cogitationes quoque ac motus animæ videant, et tanta unitas fiat inter ipsos ac animam, ut sine gratia Dei vix possit discerni quid procedat ex incitamento illorum, et quid ex nostra voluntate?

CAPITULUM X.

Responsio ad hanc quæstionem.

SERENUS : Non mirum est spiritum spiritui posse insensibiliter copulari, et occultam vim suadendi exercere ad ea quæ libent. Est enim inter eos quædam similitudo substantiæ atque cognatio, sicut et inter homines. Nam et definitio quæ de natura animæ datur, illis etiam aliqualiter coaptatur. Porro impossibile est eos ita altrinsecus inseri aut uniri, ut alter alterius valeat esse capax per essentialem illapsum : hoc namque solum Divinitati recte adscribitur, quæ sola est incorporea ac simplex natura.

CAPITULUM XI.

Objectio, quod spiritus immundi possint inseri aut uniri animabus eorum quos replent.

GERMANUS : Huic tuæ assertioni arbitramur esse contrarium, quod videmus in arrepticiis fieri, qui spiritibus immundis afflati, loquuntur et agunt multa quæ nesciunt. Quomodo ergo animæ illo-
A rum uniuntur modo præfato spiritibus illis, quorum quasi organa sunt effectæ in tantum, ut naturali suo statu et actu relictis, transeant ad illorum affectiones ac motus, ita ut proferant jam non suas, sed illorum voces, gestus et voluntates ?

CAPITULUM XII.

Responsio, qualiter spiritus immundi in energumenis dominentur.

B SERENUS : Id quod fit in energumenis seu obsessis non est præfatæ nostræ doctrinæ contrarium, dum tales loquuntur aut agunt quæ nesciunt, et quæ ignorant coguntur proferre. Certissimum quippe est quod obsessi non sustinent uno modo infusionem spirituum malignorum. Quidam namque sic possidentur, ut nequaquam intelligant ea quæ loquuntur aut faciunt; aliqui vero eorum hæc sciunt et postea recordantur. Quod non est putandum sic fieri per infusionem spiritus mali, quasi
C intret substantiam animæ, et ei unitus ac quodammodo ea indutus, proferat verba per os patientis : imo nequaquam credendum est hoc fieri posse ab eis. Manifesta quoque ratione probatur istud accidere non per animæ diminutionem, sed per corporis debilitatem : dum scilicet immundus spiritus sedens in membris aut organis in quibus vigor animæ continetur, importabile et immensum opus eis imponit, et teterrima obscuritate obruit atque intercipit intellectum viresque ani-
D mæ. Quod nonnunquam videmus contingere ex immoderantia vini aut febris seu frigoris, aliisque infirmitatibus extrinsecus introductis. Quod Deus prohibuit diabolo facere sancto Job, in cujus corpus acceperat potestatem diabolus, ad quem locutus est Dominus : Ecce tradò eum in manus *Job* II, 6.
tuas, tantum animam ejus custodi; id est, amentem non facias eum, nec ita corpus ejus debilites ut intellectum invadas, neque sic lædas organum rationis, per quam eum tibi oportet resistere, ut obruas men-

tem ac sapientiam resistentis, præfocando A pondere tuo principalem partem ac vim animæ ejus.

CAPITULUM XIII.

Quod spiritus creatus spiritui creato penetrabilis esse non possit, sed soli incorporeo Deo.

NEC enim si spiritus malus misceatur huic crasso ac solido corpori, ut fieri facillime solet, idcirco credendus est posse B uniri etiam animæ, quæ est ipsa spiritus, ut labatur in ejus essentiam : quod soli summæ Trinitati possibile est, quæ omnem intellectualem creaturam sic penetrat, ut eam non solum circumplectatur et ambiat, sed etiam ei illabatur, et tanquam incorporea infundatur ei corporeæ. Quamvis enim dicamus quasdam esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, virtutesque ceteræ ac anima, aer quoque iste subtilis, incorporeæ tamen nequaquam putandæ sunt. Habent quippe C secundum se corpus quo subsistunt, licet multo subtilius quam nos. Nam diversa
I Cor. XV, 40. sunt corpora, sicut ait Apostolus : Et corpora cœlestia et corpora terrestria ; et
Ibid. 44. rursus : Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quibus ostenditur nihil esse incorporeum nisi Deum. Hinc ei dumtaxat penetrabilis est omnis substantia spiritualis et intellectualis creata, eo quod solus, et totus, et ubique, et in omnibus sit; ita ut inspiciat ac perlustret cogitationes internosque hominum motus, et D universa mentis secreta, quia de ipso solo
Hebr. IV, 12, 13. dixit Apostolus : Vivus est enim sermo Dei et efficax, et acutior super omnem gladium ancipitem, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem aperta sunt oculis ejus. De
Ps. XXXII, 15. quo ait et David : Qui finxit sigillatim
Ps. XLIII, 22. corda eorum ; et iterum : Ipse enim novit abscondita cordis. Salomon quoque : Qui *III Reg.* VIII, 39.
solus nosti corda filiorum hominum.

CAPITULUM XIV.

Objectio, an dæmones credi debeant cogitationes inspicere hominum.

GERMANUS : Ex hac ratione ac doctrina sequi videtur quod spiritus immundi non possint cogitationes hominum intueri aut scire, quod æstimare reputamus valde absurdum, quum dicat Scriptura : Si spiritus potestatem habentis ascen- *Eccle.* X, 4
derit super te; et iterum : Quum diabolus *Joann.* XIII, 2.
misisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ ut traderet Dominum. Quomodo ergo credendi sunt nostras cogitationes non noscere, quarum maximam partem sciunt oriri ex sua immissione et instigatione ?

CAPITULUM XV.

Responsio, quid possint dæmones in cogitationibus hominum, quidve non possint.

SERENUS : Nulli dubium est quin dæmones possint cognoscere qualitates cogitationum nostrarum per sensibilia quædam signa forinsecus, utpote per nostras dispositiones, et per verba ac opera in quibus prospexerint nos abundantius occupari et affici. Porro illas quæ nondum prodierunt de intus, videre non possunt. Deprehendunt quoque et noscunt cogitationes hominum quas ingerunt eis, et sciunt qualiter suscipiantur aut refutentur : non per naturam ipsius animæ, aut per interiorem ipsius motum quasi in medullis seu intimis ejus latentem; sed ex signis et factis ac motibus hominis exterioris, utpote quum suggesserint monacho gulam, cognoscunt eum consentire suggestioni gulosæ, si viderint eum curiosius erigere oculum ad fenestram aut solem, aut sollicitius de hora inquirere. Si tentationem fornicationis ingesserint, sentiunt eum æquanimiter telum libidinis susce-

pisse, si viderint eum corpore stimulatum, aut certe non suspirasse, sicut oportuit, contra cogitationes immundas atque lasciviam; sicque intelligunt jaculum libidinis fuisse defixum in penetralibus animæ. Conformiter si tentaverint aliquem de tristitia, ira, furore, aut simili passione, agnoscunt gestu corporali atque sensibili motione an tentationes hujusmodi acceptentur : ut quum viderint eum quem tentant, silenter infremuisse, aut cum indignatione suspirasse, aut vultu mutatum per colorem sive ruborem; sicque subtiliter deprehendunt cui vitio unusquisque sit deditus. Certa etenim ratione cognoscunt, unumquemque nostrum delectari vitio illo ad cujus suggestionem viderint ab eo mox præstitam esse convenientiam seu consensum quodam motu nutuve corporis. Nec mirum quod spiritus illi hæc taliter deprehendant, quum et viri prudentes ita de interioribus animæ sumant notitiam, sic quod statum hominis interioris cognoscunt per figuram et vultum ac qualitatem exteriorem. Quanto igitur certius possunt hæc a spiritibus illis cognosci, qui quum sint spiritualis naturæ, multo subtiliores et sagaciores exstant hominibus ?

CAPITULUM XVI.

Similitudo qua spiritus immundi cogitationes hominum scire docentur.

QUEMADMODUM enim quidam latrones et fures, in domibus quas furtim ingrediuntur, explorant divitias hominum quas non vident, spargentes manu minutas arenas in noctis caligine, ut opes in domo repositas tinnitu ad lapsum arenarum percipiant, sicque perveniunt ad certissimam notitiam rei aut cujuscumque metalli, productione soni eliciti; sic dæmones spargunt in cordibus nostris suggestiones iniquas, tanquam arenarum minutias, ut explorent cordis nostri thesaurum, quum juxta qualitatem suggestionum viderint exsurgere affectum corporeum, velut quodam tinnitu de intimis animæ conclavibus A procedente, pensantes quid sit in interioribus mentis nostræ reconditum.

CAPITULUM XVII.

Quod non singuli dæmones universas inferant passiones.

HOC tamen scire debemus, quod non omnes dæmones quaslibet inferunt tentationes aut passiones, sed certi certis vitiis serviunt et intendunt. Nam alii delectantur immunditiis sordibusque libidi- B num, et inde homines tentant; alii de blasphemia, de ira aut furore, alii de tristitia, de vana gloria, alii de superbia tentant; et unusquisque conatur illud vitium inserere nobis quo ipse plus delectatur. Nec omnes ingerunt suas malitias simul, sed vicissim aut successive, prout opportunitas loci, aut temporis, vel personæ tentandæ, permiserit sive exegerit.

CAPITULUM XVIII.

C *Interrogatio, an inter dæmones servetur ordo impugnationis, aut vicissitudinis disciplina.*

GERMANUS : Ergo credendum est quod inter dæmones sit ordinata, atque ut ita dixerim, disciplinata nequitia, ut quidam vicissitudinis ordo servetur ab eis, et rationabilem ingerant impugnationem : quum constet modum et rationem non posse sibi consistere nisi inter bonos et honestos, juxta illam Scripturæ sententiam : Quæres sapientiam apud malos, et
D non invenies; et, Inimici nostri insensati; itemque, Non est sapientia, non est fortitudo neque consilium apud impios.

Prov. XIV, 6, juxta LXX. *Deut.* XXXII, 31, juxta LXX. *Prov.* XXI, 30, juxta LXX.

CAPITULUM XIX.

Responsio, per quem modum subsistat consensio dæmonum circa vicissitudinem impugnationis.

SERENUS : Certa doctrina est, quod inter malos non sit perpetuus consensus in omnibus, nec possit perfecta concordia

stare inter ipsos, etiam in vitiis illis in A quibus communiter oblectantur. Nunquam enim potest modus disciplinæ in rebus indisciplinatis servari, ut dicitis. In aliquibus tamen necesse est iniquos et indisciplinatos temporalem inter se habere concordiam et consensum, in quibus hoc exigit operationis communio, aut quædam necessitas seu lucri societas : et ita est in militia dæmonum tentatorum, ut non solum inter se custodiant certa tempora ac vicissitudines in tentando; sed etiam quidam eorum certa loca accedunt, et quasi B inhabitant ac jugiter obsident. Porro quod necesse sit eos exercere impugnationes suas de certis passionibus ac peccatis determinatis temporibus, hinc liquido comprobamus, quoniam nullus potest simul deludi gloria vana et exuri fornicationis concupiscentia; nec potest quis simul inflari elatione spiritualis superbiæ, et submitti ac subjici immoderantiæ gulæ; nec potest homo risu fatuisque cachinnis dissolvi, et iracundiæ stimulis eodem tempore incitari, aut mordacis tristitiæ mœro- C re impleri; sed necesse est unumquemque spiritum immundum tentare mentem tam sigillatim sive distincte et quodammodo ordinate, ut quum aut victus abscesserit, tradat seu deserat mentem alteri spiritui acrius impugnandam ab illo, aut certe si victor exstiterit, nihilo minus tradat eam spiritui alteri, ab illo similiter illudendam.

CAPITULUM XX.

Quod dæmones non sint ejusdem fortitudinis.

ILLUD quoque nequaquam ignorare debemus, quod spiritus isti maligni non sunt omnes æque crudeles, nec sunt ejusdem affectionis in speciali : imo nec ejusdem fortitudinis, aut æqualis malitiæ. Hinc incipientes et infirmi a spiritibus infirmioribus impugnantur; quibus devictis, gradatim a robustioribus tentantur spiritibus. Difficultas namque impugnationis augetur juxta mensuram profectus viriumque tentati. Nullo etenim modo posset quis virtuosus sufferre nequitiam tantorum ac talium hostium, aut insidiis eorum occurrere, vel sustinere crudelitatem atque versutiam eorumdem, nisi Christus clementissimus colluctator certamini præsidens, ponderaret hominum vires, et immoderatos dæmonum incursus repelleret ac frenaret, faciens cum tentatione pro- I Cor. x, 13.
ventum ut sustinere possimus.

CAPITULUM XXI.

Quod dæmones cum hominibus non sine suo labore confligant.

DENIQUE credimus dæmones non sine suo labore impugnationem hanc facere. Habent namque in suo conflictu formidinem et mœrorem, maxime quando certant contra adversarios validiores, id est contra viros perfectos et sanctos. Alioquin data esset eis secura et simplex deceptio sive dejectio hominum, non conflictus aut colluctatio contra eos. Nec aliter verificaretur illud Apostoli : Non est nobis Ephes. vi, 12.
colluctatio adversus carnem, etc.; nec illud quod denuo idem testatur : Sic pugno I Cor. ix, 26.
non quasi aerem verberans; item, Bonum II Tim. iv, 7.
agonem certavi. Etenim ubi agon, certamen seu pugna, oportet utramque partem sudore, labore et sollicitudine affici, et similiter ex sua dejectione confundi atque dolere, aut ex suo triumpho gaudere. At ubi unus cum sudore resistit, alius vero D cum securitate et otio dejicit et affligit, et in dejiciendo hostem utitur sola voluntate pro viribus, non pugna aut colluctatio est dicenda, sed irrationabilis et iniqua oppressio. Sed laborant plane et ipsi impugnantes genus humanum, et desudant ut valeant desideratam obtinere victoriam contra tentatos; et retorquetur in eos illa confusio quando vincuntur, quam nos incurrimus quando superamur ab eis, de qua fertur : Caput circuitus eorum, labor Ps. cxxxix, 10.
labiorum ipsorum operiet eos; et, Con- Ps. vii, 17.

Ps. xxxiv, 8. vertetur dolor ejus in caput ejus; et, Veniat illi laqueus quem ignorat, etc.; quem laqueum parat hominibus ad fallendum. Dolent ergo et ipsi non minus quam nos quando vincuntur, et sicut elidunt nos, sic eliduntur a nobis, et victi non sine confusione discedunt. A

Præterea ille qui sanos habuit oculos cordis, videns has ruinas et pugnas, intuensque quod dæmones de hominum casu jugiter gaudeant, et formidans ne et de sua ruina aliquando gloriarentur, oravit :
Ps. xii, 4. Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, etc.; et rur- B
Ps. xxxiv, 19, 25. sus : Deus meus, ne supergaudeant mihi, ne dicant in cordibus suis, Euge, euge ani-
Ps. x, 9, sec. Hebr. mæ, etc. Insidiatur enim in occulto, sicut leo in spelunca sua. Quum vero non potuerint nos cum omni suo conatu decipere, erubescunt de cassatione sui laboris, et
Ps. xxxix, 15. impletur in eis quod scriptum est : Confundantur et erubescant qui quærunt animam meam, etc. Propheta quoque Jere-
Jer. xvii, 18. mias : Confundantur, inquit, illi, et non confundar ego, etc., et duplici contritione contere eos. C Nulli quippe est dubium quin duplici contritione conterantur, quando a nobis fuerint superati : primo de hoc, quod quum homines pro sanctitate laborant, ipsi sanctitatem habentes perdiderunt eamdem, et causa fuerunt perditionis humanæ; secundo de hoc, quod quum sint spirituales substantiæ, a terrenis et fragilibus vincuntur. Unde unusquisque sanctorum intuens ruinas has hostium propriumque triumphum, cum
Ps. xvii, 38. gaudio clamat : Persequar inimicos meos, D et comprehendam illos, etc. Contra quos
Ps. xxxiv, 1. orat etiam idem Propheta : Judica, Domine, nocentes me, etc. Quos quum vicerimus, exstinctis et reformatis passionibus universis, merebimur illam benedictionis
Mich. v, 9. vocem audire : Exaltetur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui peribunt.

Insuper nisi hæc omnia atque similia quæ in Scripturis sanctis legimus et cantamus, scripta esse intelligamus contra istos invisibiles hostes die ac nocte nobis insidiantes, consequemur ex eis non solum nullam ædificationem patientiæ ac mititatis, sed affectum duritiæ, perfectioni evangelicæ contrarium. Docebimur enim non solum non orare pro inimicis nostris nec diligere eos, sed etiam eos implacabiliter detestari, odire, maledicere, et contra eos orare. Sed impium est ac profanum putare quod viri sancti et amici Dei tali spiritu sint ista locuti, quibus ante Christi adventum idcirco non est lex posita, quoniam transcendentes mandata legis, maluerunt evangelicis obedire præceptis, et prævenientes dispensationem temporis, intenti fuerunt apostolicæ perfectioni.

CAPITULUM XXII.

Quod tentandi facultas non sit collocata in eorum arbitrio.

EXEMPLUM quoque beati Job manifesta ratione demonstrat, quod dæmones non habeant potestatem liberam lædendi aliquem hominem, quia diabolus ausus non fuit tentare beatum Job amplius quam Deus ei concessit. Confessio quoque spirituum immundorum in Evangelio recitata hoc pandit, quum dicunt : Si ejicis Matth. viii, 31.
nos, mitte nos in gregem porcorum. Multo magis ergo credendi sunt non posse juxta suum arbitrium introire in hominem aliquem ad imaginem Dei creatum, qui non habuerunt potestatem intrandi animalia bruta ac sordida, absque Christi licentia. Imo si in dæmonibus esset libertas tentandi aut facultas nocendi juxta voluntatem eorum, nullus circumvallatus tantis talium hostium turmis, posset in eremo solitarius habitare : nullus, inquam, non juvenum tantum, quos videmus in eremo hac constantissime habitare, sed nec etiam perfectorum. Quod etiam Salvatoris sententia roborat, quam ex humilitate assumptæ humanitatis protulit, dicens : Non haberes Joann. xix, 11.
in me potestatem ullam, nisi datum fuisset tibi desuper.

CAPITULUM XXIII.

De minorata dæmonum potestate.

SATIS tamen cognoscimus experientia propria et seniorum relatione, quod dæmones non habeant vim modo tantam ut ante in principio anachoretarum, quando pauci monachi in eremo morabantur. Tanta quippe tunc fuit ferocitas dæmonum, ut vix pauci, et admodum stabiles atque ætate provecti, possent habitationem solitudinis tolerare. Nam et in ipsis monasteriis in quibus octo aut decem monachi morabantur, atrocitas dæmonum taliter sæviebat, et accessus eorum visibiles ac frequentes sic sentiebantur, ut monachi non auderent in noctibus omnes simul se dare ad dormiendum; sed quibusdam eorum dormientibus, alii vigilabant, psalmis, orationibus et lectionibus insistentes. Quumque et hos naturalis necessitas impelleret ad dormiendum, alios excitabant, quibus vigilantibus et actus sanctos agentibus, illi gustabant somnum. Unde dubitari non potest quin securitas aut confidentia ista quæ confertur non solum nobis, qui videmur aliqualiter roborati per experientiam senectutis, sed etiam junioribus, detur nobis ex altera harum causarum : aut enim retusa, debilitata sive repressa est potestas ac nequitia dæmonum virtute crucis, quæ etiam deserta jam penetrat et ubique coruscat; aut negligentia nostra fecit dæmones in tentando remissiores, ita quod dedignantur contra nos cum tanta instantia præliari cum quanta tunc sæviebant contra probatissimos illos milites Christi, sicque visibiles suas tentationes retrahendo, dirius nos collidunt per fraudulentiam suam. Ad tantum namque teporem videmus corruisse nonnullos, ut necesse sit illos remissius admoneri et blandius palpari, ne cellulis suis relictis, revolvantur ad inquietudines magis perniciosas, et ne circumeundo ac evagando implicentur gravioribus vitiis; sicque magnus fructus videtur obtineri ab eis, si se valeant in solitudine etiam quadam cum ignavia continere. Pro ingenti quoque remedio solet eis a senioribus dici : Sedete in cellulis vestris, et quantum placet manducate, bibite ac dormite, dummodo in eis jugiter perduretis.

CAPITULUM XXIV.

Qualiter dæmones parent sibi aditum in corpora eorum quos possessuri sunt.

CONSTAT itaque dæmones non aliter posse ingredi corpora eorum quos possessuri sunt, nisi prius possederint cogitationes eorum ac mentes. Quos quum nudaverint timore et memoria Dei aut meditatione spirituali, ardenter invadunt velut exarmatos omni præsidio Dei ac munitione divina, faciliterque vincendos, præsumentes sibi domicilium in eis tanquam in possessione ad ipsos spectante.

CAPITULUM XXV.

Quod miserabiliores sint qui vitiis adimplentur, quam qui a dæmonibus possidentur.

GRAVIUS tamen vehementiusque vexantur a dæmonibus, qui etsi corporaliter non possideantur ab ipsis, mente tamen replentur ab ipsis, utpote involuti vitiis voluptatibusque illorum, juxta illud Petri : A quo quis superatur, ejus est et servus. Imo in hoc spiritualiter isti sic possessi desperatius languent, quia quum sint dæmonum servi, non tamen cognoscunt se impugnari et repleri ab illis, atque dominio subjici eorumdem. Ceterum novimus etiam sanctos viros corporaliter traditos Satanæ, aut infirmitatibus magnis etiam pro minimis culpis, non sustinente divina clementia aliquid culpæ aut maculæ esse aut inveniri in ipsis in die judicii. Propter quod in præsenti excoquit plene omnem scoriam cordis eorum, juxta Prophetæ eloquium, ut illos tanquam au-

II Petr. II, 19.

rum vel argentum ignitum perducat ad A felicitatem æternam non indigentes aliqua purgatione pœnali, sicut ait per Isa-
Is. I, 25, 26. iam : Excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum, et post hæc vocaberis civitas Justi, urbs fidelis.
Eccli. II, 5. Et iterum scriptum est : Aurum et argentum probat ignis, vir autem justus probatur in fornace humiliationis; itemque,
Prov. XVII, 3. Sicut probatur argentum vel aurum in camino, ita Dominus probat corda; et de-
Hebr. XII, 6. nuo, Quem enim diligit Dominus corripit, et flagellat omnem filium quem recipit. B

CAPITULUM XXVI.

De nece Prophetæ seducti, et infirmitate abbatis Pauli quam pro sua emendatione promeruit.

DENIQUE istud evidenter monstratum est in illo Propheta ac homine Dei, qui pro culpa unius inobedientiæ, quam tamen non incurrit ex industria aut vitio propriæ voluntatis, sed ex circumventione C alterius, occisus est statim a leone, ut
III Reg. XIII, 26. legitur tertio Regum : Vir Dei est qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, juxta verbum Domini quod locutus est. In quo facto parsimonia seu continentia leonis ostendit solutionem atque punitionem delicti mox facti et erroris incauti, merita quoque justitiæ ejusdem Prophetæ, pro quibus Dominus tradidit suum Prophetam temporaliter vexatori : quoniam voracissima bestia leo nil audebat gustare de ca- D davere sibi tradito ad necandum.

Insuper satis aperta probatio evidensque exemplum hujus rei apparuit in abbate Paulo, et Moyse, qui habitavit in loco solitudinis hujus, nomine Calamus. Nam Paulus commoratus est in eremo prope urbem nomine Panephysim, quæ civitas facta est solitudo ex inundatione aquæ salsissimæ quæ de stagnis pulsa et adjacentibus terris superfusa quoties flaverit ventus aquilonis, sic omnem illam operuit regionem ut faciat vicos antiquos, ex hac ipsa causa omni habitatore olim desertos, apparere ut insulas. Hic itaque abbas Paulus ad tantam profecerat cordis puritatem quiete deserti atque silentio, ut non solum abhorreret adspicere vultum femineum, sed vestimenta quoque feminea. Quumque mulier casualiter obviasset ei pergenti cum abbate Arthebio, ejusdem solitudinis incola, ad cellam senioris cujusdam, cum tanta fuga recurrit ad monasterium suum, indignatus ex mulieris occursu, et prætermittens officium piæ visitationis ad quod arripuit iter, cum quanta fuga nullus aufugeret a facie leonis immanissimive draconis; ita ut nec flecteretur clamore ac precibus præfati abbatis eum revocantis, quatenus pariter irent ad visitandum senem juxta propositum. Quod licet abbas Paulus fecit zelo castitatis ac puritatis, tamen quia præsumptum est non secundum veram discretionem, sed modum discretionis et observantiam disciplinæ excessit (quia putavit non solum exsecrandam esse familiaritatem feminarum, quæ vere est noxia, sed et figuram sexus illius), hinc confestim correptus est tali percussione, ut totum corpus ejus paralyticum fieret, nec aliquod membrum ejus suum posset explere officium. Siquidem non solum manus ejus ac pedes amiserunt proprios actus, sed et lingua loquelam et aures perdiderunt auditum, ut nihil amplius remaneret in illo quam solum immobilis insensibilisque figura. Qui devenit ad hoc, quod diligentia virorum non potuit deservire infirmitatibus ejus, sed feminæ tantum. Nam delatus est ad virginum sacrarum cœnobium, et ministerio feminarum ingerebantur ei cibus ac potus, quos nec signo poterat postulare; sicque quasi per quatuor annos ministraverunt ei feminæ ad omnes necessitates naturæ explendas, usque ad terminum vitæ suæ. Qui quum tanta esset oppressus debilitate membrorum, ut nullum membrum retineret in eo motum sensibilem ac vivacem, nihilo minus tanta gratia virtutum pro-

fluxit ex eo, ut quum infirmi ungerentur A oleo quod tetigerat corpus vel potius cadaver ipsius, confestim ab omni sanarentur languore; ita ut ex hac infirmitate Pauli innotesceret etiam infidelibus evidenter quod infirmitas tanta esset Paulo abbati collata ex dispensatione atque amore Dei, quod item gratia sanitatum tam grandis præstaretur in testimonium puritatis ipsius et pro manifestatione meritorum ejusdem.

CAPITULUM XXVII.

De tentatione abbatis Moysis.

SECUNDUS quoque, videlicet abbas Moyses, quum esset vir singularis et incomparabilis, tam duro confestim traditus est dæmoni propter unum increpatorium verbum quod paulo durius protulit disputans contra abbatem Macarium, quadam opinione præventus, ut humanas egestiones proprio ore ingereret. Porro quam pie Deus intulerit ei hoc purgationis flagellum, ne scilicet in tanto viro momentanea macula delicti maneret, monstravit velocitate curationis Moysis, et auctore remedii, puta Macario. Mox quippe ut Macarius oravit pro Moyse, spiritus nequam ab eo recessit citius verbo.

CAPITULUM XXVIII.

Quod sperni non debeant qui immundis traduntur spiritibus.

EX quo manifeste perpenditur, quod abominandi et despiciendi non sunt qui traduntur variis tentationibus et immundis spiritibus, quia oportet nos immobiliter credere duo hæc: primum, quod nullus tentetur ab eis sine permissu Dei; secundum, quod omnia quæ inferuntur nobis a Deo, sive adversa sive tristia sint ad tempus, sive læta ac prospera videantur, irrogentur nobis ab ipso pro utilitatibus nostris, tanquam a piissimo patre ac clementissimo medico. Idcirco credendum est illos tanquam pædagogis et exercitatoribus traditos humiliari, ut recedentes ex hoc mundo, transferantur purgatiores ad aliam vitam, vel leniori pœna tunc puniantur, qui (secundum Apostolum) traditi sunt Satanæ in præsenti in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die judicii. I Cor. v, 5.

CAPITULUM XXIX.

B *Cur a dominica communione separentur qui spiritibus immundis traduntur.*

GERMANUS : Et quid est quod videmus tales in nostris provinciis, non solum ab hominibus despici et horreri, sed etiam a dominica communione perpetuo separari, juxta evangelicam illam sententiam : Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; quum juxta verba tua, de illis credendum sit quod humiliatio tentationis hujusmodi tribuatur eis pro purgatione aut utilitate C ipsorum? Matth. VII, 6.

CAPITULUM XXX.

Responsio ad quæstionem propositam.

SERENUS : Si habuerimus sententiam, imo fidem, quam tetigi, ut credamus per Deum omnia fieri et universa pro utilitate animarum dispensari, non solum illos D nequaquam despiciemus, imo et pro ipsis orabimus incessanter tanquam pro nostris commembris, compatiemurque eis viribus totis ac pleno affectu (quum enim patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra), scientes nos consummari non posse sine illis, utpote nostris commembris; quemadmodum legimus quod antiqui Sancti non potuerunt consequi beatitudinem sine nobis, dicente Apostolo : Et hi omnes testimonio fidei comprobati, non accepérunt repromissiones; Deo pro nobis I Cor. XII, 26. Hebr. XI, 39, 40.

melius aliquid providente, ne sine nobis A consummarentur. Porro, nunquam recolimus eis fuisse interdictam a senioribus nostris sacram communionem, imo si possibile, dixerunt quod communio esset illis quotidie impendenda. Nec enim credendum est sacrosanctam communionem pervenire aut pertinere ad dæmonis escam, sed potius ad purgationem ac tutelam carnis ac animæ. Idcirco non recte aptastis evangelicam illam sententiam, Nolite sanctum dare canibus, ad vestrum propositum comprobandum. Sancta autem communio percepta ab homine, fugat spiritum malum qui in suis residet membris, tanquam quoddam exurens incendium. Nempe hoc modo vidimus nuper curatum abbatem Andronicum, aliosque complures. Nam inimicus insultabit magis ac magis obsesso, quanto viderit eum a cœlesti medicina remotum; tanto durius frequentiusque tentabit eumdem, quanto senserit eum longius abdicatum a spirituali remedio.

Matth. VII, 6.

CAPITULUM XXXI.

Quod miseri sint qui non merentur subdi temporalibus tentationibus istis.

VERUM illi judicandi sunt vere miseri ac miserabiles valde, qui quum maculant semetipsos universis criminibus et peccatis, non solum nullum signum diabolicæ repletionis seu obsessionis visibiliter in eis ostenditur, sed nec aliqua condigna tentatio, nec ullum correptionis D flagellum infligitur eorum operibus. Non enim merentur expeditam ac celerem hujus temporis medicinam, quorum duritia atque impœnitens cor excedens pœnam vitæ præsentis, thesaurizat sibimetipsi iram et indignationem in die iræ et revelationis justi judicii Dei, in quo vermis eorum non morietur, nec ignis eorum exstinguetur. Unde Psalmista quasi anxius propter afflictiones Sanctorum, quos vidit subjacere variis tentationibus et ærumnis, peccatores vero econtra cursum hujus sæculi pertransire non solum absque ullo humiliationis et castigationis flagello, imo etiam gaudere affluentia divitiarum ac maxima omnium temporalium prosperitate, succensus intolerabili zelo ac cordis fervore contra istos iniquos exclamat : Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns; quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum : in labore hominum non B sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; utputa in futuro cum dæmonibus puniendi, qui in præsenti non meruerunt cum hominibus flagellari in sorte disciplinæ filiorum. Jeremias quoque de hac impiorum prosperitate cum Domino disputans, fatetur se de justitia Dei nullatenus dubitare, dicendo : Justus quidem es, Domine Deus, si disputem tecum. Causas tamen tantæ inæqualitatis inquirens, subjungit : Verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? bene C est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos et miserunt radicem, proficiunt et faciunt fructum; prope es tu ori eorum, et longe a renibus. Quorum ruinam quum Dominus per Prophetam defleret, et sollicite mitteret medicos et doctores ad curationem ipsorum, et quodammodo invitaret eos ad similem planctum, ac diceret subito : Cecidit Babylon, contrita est; ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur: desperantes de ea angeli quibus commissa est cura humanæ salutis, vel certe Propheta ex persona Apostolorum spiritualiumve virorum videntium duritiam mentis atque impœnitens cor eorum, responderunt : Curavimus Babylonem, et non est sanata; relinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam, quoniam pervenit usque ad cœlum judicium ejus, et elevatum est usque ad nubes. De desperato igitur horum languore loquitur ex persona Dei ad Jerusalem Isaias : A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas;

Rom. II, 5. Is. LXVI, 24. Ps. LXXII, 2-5. Jer. XII, 1. Ibid. 1, 2. Ibid. LI, 8. Ibid. 9. Is. I, 6.

vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

CAPITULUM XXXII.

De diversitate studiorum ac voluntatum qui in aeriis potestatibus fiunt et sunt.

Certissime quoque probatur tot studia seu conatus esse in dæmonibus quot in hominibus. Manifestum est namque (B) quosdam dæmonum, quos et vulgus appellat Faunos, ita esse joculatores ac seductores, ut jugiter residentes circa loca quæque ac vias, nequaquam delectentur tormentis prætereuntium quos decipere quiverint, sed studeant eos fatigare magis quam lædere aut nocere, solo risu et illusione illorum contenti. Quidam vero eorum pernoctant solum in innocuis incubationibus hominum; alii vero ita sunt dediti truculentiæ et furori, ut non contententur atroci dilaceratione vexare cor- (C) pora obsessorum, sed etiam irruant super de longe transeuntes, et festinent eos afficere sævissima cæde : quales in Evangelio describuntur illi fuisse (Matth. VIII, 28.), propter quorum metum nullus audebat transire per viam illam. Quidam eorum insatiabili crudelitate gaudent bellis et sanguinis effusione. Alios vidimus ita infecisse corda obsessorum inani quodam tumore, quos vulgus nuncupat *bacuteos*, ut erigerent semetipsos ultra corporis proceritatem, atque extollerent se in quosdam fastus ac gestus; in- (D) terdum vero velut acclines submitterent se ad quemdam tranquillitatis affabilitatisque statum, exhibendo se communes ac blandos, et æstimantes se velut illustres et circumstantibus cunctis spectabiles; nunc quidem monstrarent se adorare corporis inclinatione seu inflexione potestates sublimiores, nunc vero crederent se adorari ab aliis, sicque efficerent omnes motus quibus vera officia exercentur humiliter aut superbe. Alios reperimus non (A) solum studere mendaciis, sed etiam blasphemias inspirare hominibus. Cujus rei testes nos sumus, qui audivimus dæmonem apertissime confitentem se edidisse impietatem hæretici dogmatis per Arium atque Eunomium. Unde etiam in tertio Regum libro legimus manifeste unum ex eis loquentem : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus (III Reg. XXII, 22; II Par. XVIII, 21). Hinc Apostolus arguens eos qui decipiuntur ab illis : Attendentes, inquit, spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium (I Tim. IV, 1, 2). (B) Evangelium insuper protestatur esse et alia genera dæmonum mutorum atque surdorum (Marc. IX, 24). Propheta item commemorat quod dæmones quidam sunt incentores libidinis, dicens : Spiritus fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo (Osee IV, 12). Conformiter docet Scripturarum auctoritas, quod quidam sunt dæmones nocturni, quidam diurni, quidam meridiani : de quorum diversitate prolixum est sigillatim percurrere, et omnia Scripturarum volumina perscrutari, (C) ac dicere qui per Prophetam vocentur onocentauri, qui pilosi, qui sirenæ, qui lamiæ, qui ululæ, qui struthiones, qui ericii (Is. XXXIV, 14; XIII, 21, 22; XIV, 23); quis item in Psalmo dicatur aspis, quis basiliscus, quis leo, quis draco (Ps. XC, 13); quisve in Evangelio vocatus sit scorpio (Luc. X, 19), quis nominetur a Christo princeps mundi (Joann. XIV, 30), qui ab Apostolo appellentur rectores tenebrarum harum, quive spiritualia nequitiæ sint vocati (Ephes. VI, 12). Quæ nomina illis imposita sunt non casu neque fortuitu; sed vocabulis harum ferarum apud nos magis aut minus (D) noxiarum, distinctim significatæ sunt ferocitates rabiesque illorum qui exprimuntur vocabulis ferarum hujusmodi, ex similitudine venenatæ nequitiæ aut principatus quem inter eas confert excellentia quædam malitiæ : ut scilicet alius dæmon dicatur leo ob vehementiam furoris et rabiem ferocitatis; alius basiliscus propter mortiferum virus, quod antequam sentiatur, occidit; alius onocentaurus, sive ericius, aut struthio dictus sit propter teporem suæ malitiæ.

CAPITULUM XXXIII.

Interrogatio, unde processerit tanta differentia nequitiarum cœlestium.

GERMANUS : Non ambigimus ad spiritus istos malignos pertinere ordines illos quos enumerat Apostolus, dicens : Ephes. VI, 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principatus, etc. ; volumus tamen scire unde orta sit tanta differentia inter eos, vel qualiter tanti gradus nequitiarum exstiterint, an sint creati ad hoc ut sortirentur istos malitiæ ordines, et istis nequitiis quodammodo militarent.

CAPITULUM XXXIV.

Dilatio solutionis propositæ quæstionis.

SERENUS : Quamvis propositiones et inquisitiones vestræ furentur et auferant oculis nostris totum tempus noctur- A næ quietis, ita ut non sentiamus viciniam appropinquantis auroræ, et insatiabiliter provocemur prosequi verba collationis istius usque ad ortum solis ; tamen quia solutio propositæ quæstionis, quum cœperit indagari, ducet nos in quoddam amplissimum ac profundissimum pelagus quæstionum, quod brevitas hujus horæ non sinit nos transmeare : hinc reor utilius ut reservemus eam indagationi noctis sequentis, ut et mihi uberius conferatur fructus spiritualis lætitiæ de vestro col- B loquio ampliori sub hujus quæstionis occasione, et liberius penetrare possimus propositarum quæstionum difficultates, præbente Spiritu Sancto prosperos flatus. Quamobrem modicum somni gustemus, et vicina jam luce discutiamus et repellamus torporem nostris oculis obrepentem ; deinceps pariter ad ecclesiam procedamus, quia solennitas diei dominicæ hoc nos facere admonet, sicque post synaxin reversi, duplicato gaudio conferamus ea quæ Dominus ad communem instructionem do- C naverit pro desiderio vestro.

COLLATIO VIII

(Abbatis Sereni secunda)

DE POTESTATIBUS SEU PRINCIPATIBUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De humanitate abbatis Sereni.

POST consummationem divini Officii dimissa congregatione ecclesiæ, reversi ad cellam senis, lautissime ab eodem sumus refecti. Fecit enim parvum liquamen sive pulmentum, cui infudit aliquid olei præ solito, quod nobis apposuit loco muriæ, quæ addita olei gutta solebat quotidianæ refectioni apponi. Porro idcirco unusquisque eorum guttam illam manducaturus apponit, non ut ex ea suavitatem aut saporem percipiat (quum tanta sit parvitas ejus, ut non solum non linire, sed nec pertransire valeat guttur), sed ut usu guttæ istius retundant cordis jactantiam elationisque stimulos, qui solent latenter ac blande oriri ex abstinentia districtiori. Nempe quo abstinentia secretius exercetur et nullo hominum teste perficitur, tanto subtilius tentare non desinit abstinentem. Deinde apposuit salem frixum et ternas olivas, quibus adjecit canistrum habens cicer frixum, quod ipsi vocant trogalia, ex quibus quilibet sumpsit quinque grana, duo myxaria, et caricam unam: culpabile enim est in eremo illa excedere numerum istum. Qua refectione completa, quum cœpissemus reposcere promissam propositæ quæstionis solutionem, senex respondit : Proponite interrogationem, cujus indagationem distulimus in hanc horam.

CAPITULUM II.

Propositio de diversitate nequitiarum cœlestium.

A GERMANUS : Quæsumus unde processit tanta diversitas adversariarum potestatum, seu dæmonum, contra hominem? Quam enumerans sanctus Apostolus : Non est, inquit, nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; et iterum : Neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, etc. Unde ergo surrexit diversitas tantæ malitiæ inimica ac invidens nobis? An credendum est potestates istas B ad hoc esse a Deo creatas, ut contra hominem militarent his gradibus atque ordinibus pravitatis?

Ephes. VI, 12. *Rom.* VIII, 38, 39.

CAPITULUM III.

De multiplici esca Scripturarum sanctarum.

SERENUS : Divina Scriptura tam evidenter ac lucide locuta est aliqua de his in quibus nos voluit erudire, etiam illis qui acumine careant ingenii, ut non C solum non velentur seu obscurentur ulla difficultate sensus secretioris, imo nec indigeant aliquo adjutorio expositionis, quum præferant et ostendant intellectus suos sive sententias in superficie vocis ac litteræ. Quædam vero sunt mysteriis ita operta et obscuritatibus involuta, ut in eorum discussione ac intellectu servetur nobis immensus exercitii campus et sollicitudinis labor; manifestumque est Deum hoc ita ordinasse diversis ex causis. Primo, ne divina sacramenta non habentia D aliquod velamen spiritualis intelligentiæ, panderentur æquali notitia cunctis homi-

nibus, id est tam fidelibus quam profanis,
et per hoc nulla prudentiæ ac virtutis
distantia esset inter studiosos atque iner-
tes seu desides; secundo, ut inter dome-
sticos fidei argueretur tardorum negligen-
tiumque ignavia, et studiosorum alacritas
et industria commendarentur. Idcirco Scri-
ptura divina satis proprie comparatur agro
pingui ac fertili, qui quum multa gignat
quæ apta sunt esui hominum sine ignis
decoctione, quædam etiam gignit quæ usui
humano inepta exsistunt aut noxia, nisi
prius per ignem mollita et lenificata, de-
posuerint omnem suæ cruditatis asperita-
tem. Aliqua quoque utroque modo ita sunt
apta usui hominum, ut incocta non displi-
ceant, nec offendant seu noceant crudita-
te, et tamen si igne coquantur, salubriora
reddantur. Multa etiam generantur in cam-
po, tantum ad escam brutorum, seu ju-
mentorum ac volucrum, nullatenus apta
edulio hominum, quæ et in sua asperita-
te manentia vitalem suavitatem et escam
conferunt brutis absque ignis coctura.

Quam distinctionem conspicimus satis
evidenter contineri in hoc uberrimo Scri-
pturarum spiritualium paradiso, in quo
aliqua ita resplendent significatione litte-
ræ plana ac luculenta, ut sublimiori expo-
sitione non indigentia, nutriant audientes
abunde simplici sono litteræ, ut est il-
Deut. VI, 4. lud : Audi, Israel, Dominus Deus tuus,
Ibid. 5. Deus unus est; et, Diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima
tua, et ex tota virtute tua. Quædam vero
interiorem hominem nequaquam refici-
unt, sed potius cladem erroris inducent,
et læsio magis quam ædificatio ex eorum
lectione sequetur, nisi allegorice exponan-
tur, et examinatione spiritualis ignis emol-
Luc. XII, 35. liantur, sicut est illud : Sint lumbi vestri
præcincti, et lucernæ ardentes in manibus
Ibid. XXII, 36. vestris; et, Qui non habet gladium, vendat
Matth. X, 38. tunicam suam et emat gladium; et, Qui
non accipit crucem suam et sequitur me,
non est me dignus. Quare quidam distri-
Rom. X, 2. ctissimi monachi, habentes zelum Dei, sed
non secundum scientiam, fecerunt sibi

A ligneas cruces, easque suis humeris jugi-
ter circumferentes, intulerunt videntibus
non ædificationem, sed risum. Quædam
autem secundum utramque intelligenti-
am, id est tam litteralem quam allegori-
cam, accipiuntur tam necessarie atque
utiliter, ut utraque expositio mentem vi-
taliter alat, quemadmodum illud : Si quis Matth. V, 39.
te percusserit in dexteram maxillam tuam,
præbe illi et alteram; et, Quum perse- Ibid. X, 23.
quentur vos in civitate ista, fugite in
aliam; et, Si vis perfectus esse, vade, ven- Ibid. XIX, 21.
B de omnia quæ habes et da pauperibus, et
habebis thesaurum in cœlo; et veni, se-
quere me. Insuper Scriptura profert fœ-
num jumentis, quorum pabulis repleti
sunt omnes campi Scripturarum, videli-
cet puram ac simplicem narrationem hi-
storicæ veritatis, qua simpliciores et mi-
nus capaces perfectæ ac integræ rationis,
robustiores redduntur ad opus tantum
atque laborem vitæ activæ secundum con-
ditionem status proprii ac mensuræ, de
quibus jumentis ait Scriptura : Homines Ps. XXXV, 7.
C et jumenta salvabis, Domine.

CAPITULUM IV.

De gemina sententia circa intellectum sacræ Scripturæ.

De his igitur quæ in Scripturis aperte
et sine difficultate dicuntur, possu-
mus constanter aliquid affirmare et cer-
tam proferre sententiam. Ea vero quæ
Spiritus Sanctus Scripturis inseruit et dif-
D ficultate quadam velavit, reservans ea me-
ditationi exercitationique nostræ, volens
ea colligi et agnosci opinative et quibus-
dam indiciis, debent sic pedetentim et
caute tractari, ut assertio eorum aut con-
firmatio relinquatur arbitrio suscipientis
aut dubitantis. Interdum quippe quum de
una materia diversa fertur opinio, potest
utraque rationabilis judicari, et sine detri-
mento fidei suscipi fixe aut medie, hoc
est, ut eis nec plene credatur, nec absolute
contradicatur; et priori opinioni sequens

derogare non debet, quum nulla earum inveniatur fidei esse contraria : quale est (Matth. xi, 14; Malach. iv, 5.) illud, quod Elias venerit in Joanne, et adventum Domini sit iterum præcessurus; et de abominatione desolationis, quod ste- (II Mach. vi, 2.) terit in loco sancto per illud simulacrum Jovis quod legimus positum in templo (Dan. ix, 27.) Jerusalem, et rursus stare debeat in Ecclesia per Antichristi adventum; illaque omnia quæ in Evangelio post ista verba sequuntur, quæ et impleta sunt ante Jerosolymorum captivitatem, et implenda creduntur in fine mundi : in quibus neutra opinio aliam est impugnans, nec prior intellectus sequentem evacuat.

CAPITULUM V.

Quod proposita quæstio computanda sit inter ea quæ medie sunt tenenda.

HINC quæstio a vobis proposita licet non videatur inter homines ventilata frequenter aut satis, nec apud plurimos pateat aut certitudinem habeat, atque ob hæc aliquibus forsitan videbuntur ambigua quæ dicemus : idcirco temperare debemus nostram sententiam, quoniam nihil præjudicant fidei Trinitatis ut habeantur inter ea quæ medie seu opinabiliter sunt tenenda, quamquam non tali opinione qualis accipi solet ex conjecturis et suspicionibus solis, sed manifestis Scripturarum testimoniis omnia probabuntur.

CAPITULUM VI.

Quod nihil a Deo creatum, sit malum.

ABSIT ergo ut fateamur Deum creasse aliquid substantialiter malum, quum (Gen. i, 31.) scriptum sit : Omnia quæ fecit Deus erant valde bona. Si enim dæmones a Deo creati sunt mali, aut facti ad hoc ut teneant atque exerceant istos malitiæ gradus, et deceptionibus ac ruinis hominum vacent, diffamabimus Deum contra præfatam Scri- A pturam, tanquam creatorem ac inventorem malorum, utpote quod pessimas voluntates ac naturas condiderit, et instituerit eas ad hoc ut in nequitia jugiter perseverent, nec unquam possint transire in bonæ voluntatis affectum. Accepimus itaque de fonte Scripturarum sanctarum traditioneque Patrum hanc rationem diversitatis præfatæ malorum spiritualium.

CAPITULUM VII.

B *De initio principatuum seu potestatum.*

NEMO fidelium dubitat, Deum ante conditionem hujus visibilis creaturæ fecisse spirituales ac cœlestes virtutes, quæ ex hoc ipso quod sciverunt se creatas beneficio Dei ad beatitudinem tantam, debuerunt ei gratias referre perpetuas ejusque laudibus inhærere. Nec enim æstimare debemus, quod Deus omnipotens opus creationis primitus inchoavit ab institutione C hujus mundi sensibilis, quasi in illis anterioribus infinitisque sæculis fuerit otiosus ab omni providentia aut dispensatione divina; et quasi non habens in quos effunderet suæ bonitatis beneficia, credatur fuisse solitarius atque ab omni munificentia alienus. Quod sentire de illa æterna, immensa et incomprehensibili majestate satis humile incongruumque consistit, quum et ipse Dominus de potestatibus illis testetur : Quando facta sunt sidera (Job xxxviii, 7, juxta LXX.) mundi, laudaverunt me voce magna angeli D mei. Qui ergo creationi siderum interfuerunt, manifeste comprobantur creati fuisse ante principium istud in quo factum (Gen. i, 1.) dicitur cœlum et terra : quippe qui referuntur Creatorem laudasse voce magna cum admiratione pro creatione omnium harum visibilium creaturarum, quas videbant ex nihilo processisse. Itaque ante istud principium temporale a Moyse recitatum, quod designat mundi hujus ætatem, secundum historicum, imo Judaicum sensum (salvo videlicet nostro sensu, quo

dicimus Christum esse omnium rerum A principium, in quo Pater universa creavit, quemadmodum scriptum est : Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil), ante istud temporale principium in Genesi scriptum, non est dubitandum Deum creasse omnes illas virtutes ac potestates cœlestes, quas Apostolus per ordinem numerans, ita describit : Quia in Christo creata sunt omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt, visibilia et invisibilia, sive Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; omnia per ipsum et in ipso creata sunt.

Joann. I, 3. — Coloss. I, 16.

CAPITULUM VIII.

De lapsu diaboli et angelorum.

DE numero autem horum spirituum aliquos principes corruisse, lamentatio Ezechielis ac Isaiæ apertissime docet, in quorum verbis cognoscimus lamentari principem Tyri, sive Luciferum qui mane C oriebatur. De illo Deus ait Ezechieli : Fili hominis, leva planctum super principem Tyri, et dices ei, Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis, etc. Isaias quoque de alio : Quomodo, inquit, cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, etc. Et tamen Scriptura commemorat aliquos cor- D ruisse ex apice illo beatissimæ stationis, affirmans draconem protraxisse secum simul tertiam partem stellarum. Judas quoque apostolus clarius dicit : Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. Denique illud quod nobis dicitur : Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis ; quid aliud signat nisi multos principes corruisse ? Ex quibus accipitur ratio diversitatis spirituum malignorum, utpote ut dicantur nunc etiam retinere differentias ordinum quas habere dicuntur instar angelicorum spirituum beatorum, vel ex gradu anterioris ordinis in quo unusquisque eorum fuit creatus, vel quia de cœlestibus lapsi, vindicant sibi hos gradus diversos ac ordinum nomina in parte contraria, juxta nequitiæ suæ demerita in qua creverunt in pejus ; vindicant, inquam, ad similitudinem angelicorum spirituum B qui perseveraverunt.

Is. XIV, 12. — Ezech. XXVIII, 11-13. — Is. XIV, 12, 13. — Apoc. XII, 4. — Judæ 6. — Ps. LXXXI, 7.

CAPITULUM IX.

Objectio, quod ruina diaboli a deceptione Evæ incœperit.

GERMANUS : Nos hactenus credebamus quod invidia, qua diabolus livida calliditate decepit Adam et Evam, fuisset causa atque principium ruinæ seu transgressionis diabolicæ, qua de angelica statione projectus est.

CAPITULUM X.

Responsio de initio lapsus diaboli.

SERENUS : Lectio Geneseos manifestat istud non fuisse initium ruinæ et prævaricationis diaboli, quæ lectio diabolum vocat serpentem ante illorum deceptionem, dicendo : Serpens autem erat callidior cunctis bestiis terræ quas fecit Dominus Deus. Intelligatis ergo quod ante primi hominis deceptionem corruerat de angelica societate, ita ut non solum mereretur diffamari appellatione serpentis, imo etiam ceteris bestiis præferretur in fraudulentia hujus nequitiæ. Non enim Scriptura vocasset angelum bonum hoc nomine, nec de perseverantibus in illa beatitudine diceret : Serpens autem erat callidior, etc. Siquidem nomen serpentis non solum non conveniret Gabrieli aut Michaeli, sed nec bono alicui homini. Apertissi-

Gen. III, 1. — Ibidem.

me itaque nomen serpentis, et prælatio A ejus in calliditate super bestias, designant transgressoris nequitiam, non angelicam dignitatem. Denique præcedens ejus ruina exstitit causa invidiæ qua instigatus est decipere hominem, eo quod cerneret hominem, de limo terræ paulo ante formatum, vocandum esse ad gloriam illam de qua se noverat corruisse, quum unus de principibus esset. Hinc secunda ruina per invidiam, est secuta lapsum ejus priorem, quo cecidit per superbiam, et propter quem meruit serpens vocari; superbia vero B reliquit eum adhuc aliquid rectum seu naturale bonum habentem, ita ut cum homine posset habere consortium cujusdam colloquii atque consilii. Sed ex tunc Deus utiliter eum dejecit in ima, ut jam non intueretur sublime aliquid sicut ante, nec excelsus incederet, sed terræ cohærens reperet super ventrem, et humiliatus pasceretur escis vitiorum terrenis; sicque Dominus Deus occultum publicavit inimicum, ponens inimicitias utiles ac salubrem discordiam inter ipsum et homines, C ut dum cavetur tanquam publicus hostis, nequeat homini ultra nocere amicitiis fraudulentis.

CAPITULUM XI.

De pœna ejus qui decipit, aut decipitur.

Ex quibus docemur vitare mala consilia : nam licet auctor deceptionis dia- D bolus congrua pœna et condemnatione percussus sit, non tamen ille quem decepit evasit supplicium, quamvis punitus sit pœna leviori aliquantum quam deceptor. Quod plenissime cernimus hic expressum. Adam namque qui seductus est, imo (ut et utar verbis Apostoli ad Timo-
I Tim. II, 14. theum scribentis) qui non est seductus, sed seductæ conjugi acquievit, per hoc ad consensum culpabilem transiens, condem-
Gen. III, 17, 19. natus est tantum sudore vultus atque labore, qui illi adjudicatus est non per suam, sed per terræ maledictionem ac sterilitatem. Mulier vero quæ viro prævaricationem suasit, punita est multiplicatione Gen. III, 16.
gemitus et mœroris atque laborum, simul addicta jugo subjectionis perpetuo. Serpens autem mali hujus principalis suggestor, maledictione mulctatur perenni. Quamobrem summa sollicitudine et circumspectione cavendum est a pravis consiliis; nam sicut puniunt decipientem, ita faciunt deceptum subjacere culpæ ac pœnæ.

CAPITULUM XII.

De constipatione dæmonum, et inquietudine quam semper exercent in aere isto.

Aer iste qui inter cœlum terramque diffunditur, tanta densitate seu multitudine repletus est dæmonum in eo volantium, non quiete et otiose, quod divina providentia satis utiliter eos subtraxerit adspectibus hominum. Aut enim homines consternarentur intolerabili quadam formidine, atque deficerent terrore concursus eorum, horroreque vultuum in quos se transformant ac vertunt juxta voluntatem suam, quum eis placuerit, nec possent illos oculis intueri carnalibus; aut certe ipsi homines fierent quotidie nequiores, utpote exemplis illorum assiduis vitiati et imitatione. Per hoc quoque fieret nociva familiaritas et perniciosa conjunctio inter homines et spiritus illos immundos, quia flagitia quæ inter homines nunc committuntur, celantur septis parietum, aut intervallo locorum et verecundia quadam : quæ si homines jugiter clare conspicerent, incitarentur ad majorem furoris insaniam, nullo temporis puncto interveniente quo cernerent spiritus illos a sceleribus suis cessantes; quippe quos nulla lassitudo carnalis, seu occupatio rei familiaris, aut sollicitudo quotidiani victus compellit a cœptis cessare malitiis quemadmodum nos.

CAPITULUM XIII.

Quod contrariæ potestates etiam contra se moveant impugnationem quam contra homines excitant.

CERTISSIMUM est, quod contra se invicem affectent ac faciant impugnationes quas et hominibus inferunt. Nam indefesso certamine exercere non desinunt discordias et conflictus, pro aliquibus gentibus sibi deputatis propter quamdam familiaritatem nequitiæ servitivam. Quod etiam in visione Danielis legimus apertissime figuratum, Gabriele dicente : Noli timere, Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael, unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum ; veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus. (Dan. x, 12-14.) Et minime dubitandum est quin princeps ille regni Persarum fuerit adversaria potestas favens Persarum genti, et inimica populo Dei : quæ potestas contraria libenter se obtulit ad impediendam utilitatem quam sequi videbat per solutionem quæstionis pro qua Daniel Dominum exoravit ; quam solutionem Gabriel fuit daturus, sed restitit spiritus ille immundus, ne consolatio Gabrielis cito perveniret ad Danielem. Qui item objecit ne consolatio illa populum confortaret cui Gabriel archangelus præerat. Qui Gabriel dixit se nec tunc adhuc potuisse venire ad Danielem, propter resistentiæ illius vehementiam, nisi Michael princeps magnus in adjutorium sibi venisset, occurrens et repugnans principi regni Persarum et opponens se illi, Gabrielemque defendens ab impugnatione illius, et faciens Gabrielem pervenire ad Danielis instructionem infra vicesimum et unum diem. Denique post pauca, Gabriel ait ad A Danielem : Numquid scis quare venerim ad te ? Et nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum. Quum enim ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis. Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. (Dan. x, 20, 21.) Et iterum : In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. (Ibid. xii, 1.) In quibus verbis insinuatur, quod princeps Græcorum fuerit alius ab illis, qui favens B genti sibi subjectæ, videbatur adversari tam populo Judæorum quam nationi Persarum. Unde liquido constat, quod contrariæ potestates contra se invicem exerceant discordias et conflictus ac simultates quas ex earum instigatione gentes inter se gerunt, et de victoria gentium suarum lætentur, de earum quoque diminutione crucientur ; atque ob hoc non valeant inter se esse concordes, dum unusquisque eorum inquieta semper æmulatione contendit pro his quibus præest, contra præsi- C dem gentis alterius.

CAPITULUM XIV.

Unde factum sit, quod spirituales nequitiæ acceperint nomina potestatum ac principatuum.

UNDE evidenti ratione colligere possumus, quod præter rationes et opiniones superius positas, spiritus illi immundi dicantur principatus aut potestates, quia diversis gentibus dominantur ac præsunt, D vel quia principatus suos exercent in inferiores spiritus ac dæmones : de quibus sunt legiones, ut ex propria ipsorum confessione in Evangelio legitur. (Luc. viii, 30.) Non enim dominationes dici valent, nisi habeant subditos in quos exerceant dominationis propriæ jussionem ; nec potestates aut principatus queunt vocari, nisi sint aliqui super quos sibi vindicent præsidentiam quamdam. Quod in Evangelio quoque apud Matthæum clarissime reperimus, ubi blasphemi Pharisæi dicunt de Christo : In (Matth. xii, 24.)

Beelzebub principe dæmoniorum hic ejicit dæmones. Nam et quosdam legimus
Ephes. VI, 12. appellari rectores tenebrarum, et alium
Joann. XIV, 30. nuncupari principem hujus mundi. Quos gradus Apostolus asserit evacuandos in futuro, quum omnia fuerint Christo subjecta :
I Cor. XV, 24. Quum tradiderit, inquiens, regnum Deo et Patri, quum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et dominationem. Quod utique non aliter fiet, nisi eorum ditioni seu præsidentiæ subtrahantur hi super quos, in sæculo isto, administrant sive exercent vim sive dominium.

CAPITULUM XV.

Quod non sine rationabili causa nomina Angelorum sive Archangelorum sint indita cœlestibus bonis virtutibus.

NULLI quoque est dubium, quod eadem ordinum nomina non sine ratione imposita sunt bonis spiritibus, et quod sunt nomina officiorum, vel meritorum, vel dignitatum. Nam Angeli dicti sunt ab officio nuntiandi, Archangeli vero eo quod Angelis præsunt, ut docet proprietas nominis hujus ; Dominationes quoque, eo quod aliquibus dominantur ; et Principatus, ideo quod habent subjectos quorum sunt principes ; et Sedes seu Throni dicuntur, quia sic Deo cohærent, tamque familiares et domestici ejus sunt, ut divina majestas familiarius requiescat in eis quasi in sede quadam, et quodammodo firmius reclinetur in ipsis.

CAPITULUM XVI.

De subjectione dæmonum quam suis principibus exhibent, visa a Fratre quodam.

PORRO quod spiritus immundi regantur a potestatibus nequioribus, et eis subjecti sint, perspicuæ visiones et multa Sanctorum experimenta testantur, ultra testimonia Scripturarum quæ Christus in Evangelio Pharisæis calumniantibus est locutus :
Matth. XII, 27. Si ego, inquiens, in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmones. Unus

A enim ex Fratribus nostris in solitudine ista iter faciens advesperascente die, speluncam reperiens, mansit in ea, volens ibidem vespertinum Officium solvere. Quumque psalmos ex more cantando mediam noctem jam excessisset, et Matutinis finitis, sedisset ut lassum corpus quiete pausaret, cœpit repente videre innumerabiles dæmonum turbas undique confluentes, quæ cum infinita constipatione atque longissimo ordine procedentes, aliæ principem suum præibant, aliæ sequebantur. Qui sta-
B tura procerior et vultu terribilior cunctis tandem advenit : quumque solio posito sedisset in tribunali sublimissimo, cœpit diligenter discutere opera singulorum, et eos qui dicebant se nondum potuisse decipere tentatos a se, jussit a conspectu suo expelli cum detestatione et nota tanquam inertes ac desides, exprobrans eis cum fremitu et furore quod tantum tempus et laborem inaniter expendissent ; illos vero qui dixerunt se prævaluisse tentatis a se, maxime collaudavit cum exsultatione et
C favore adstantium, et emittebat tanquam gloriosissimos ac fortissimos bellatores coram omnibus ad universorum exemplum. Inter quos dum quidam nequissimus lætior advenisset, utpote triumphum præclarissimum relaturus, et exprimens nomen monachi optime nobis noti, asseruit se prævaluisse adversus eum in ipsa nocte, inducendo eum ad fornicandum tandem post quindecim annos quibus eum assidue impugnavit ; affirmavitque se non solum præcipitasse monachum illum ut cum
D quadam sacra puella committeret stuprum, sed item ut eam acciperet conjugem. De qua re quum omnes fuissent immaniter gloriati, princeps tenebrarum summis eum extulit laudibus, a quo et spiritus ille nequissimus abiit magnis præconiis coronatus. Præterea adveniente aurora, et disparente omni illa dæmonum turba, dubitans Frater an vera esset dæmonis illius assertio, magisque arbitrans quod dæmon solita sua fallacia voluisset sibi illudere, et innocenti Fratri tantum crimen mendose

imponere, evangelicæ memor sententiæ,
Joann. VIII, 44. quod diabolus in veritate non stetit, nec est veritas in eo, et quod dum mendacium loquitur, de proprio loquitur, quoniam mendax est et pater ejus : perrexit Pelusium, ubi noverat habitare illum quem diabolus dixit esse devictum, cui et Frater iste erat notissimus. Quem quum requisisset, invenit quod eadem nocte qua dixerat dæmon, supplantatus fuisset; nam pristino monasterio derelicto, miserabiliter corruit cum prætacta puella.

CAPITULUM XVII.

Quod singulis hominibus angeli duo cohæreant.

TESTATUR autem Scriptura, quod unicuique homini deputati sint angeli duo : unus bonus, alius malus. Nam de
Matth. XVIII, 10. bonis ait Salvator : Ne contemnatis unum ex pusillis istis; dico enim vobis quod angeli eorum in cœlis semper vident faciem
Ps. XXXIII, 8. Patris mei. Unde in Psalmo habetur : Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. In Actibus quo-
Act. XII, 15. que Apostolorum, de Petro fertur, quia Angelus ejus est. De utrisque quoque liber Pastoris plenissime docet. Si autem consideremus et dæmonem qui beatum
Job II, 3, 5. Job impugnavit, aperte docemur quod fuerat ille qui semper insidiatus erat beato Job, et tamen nunquam poterat eum ad peccandum impellere. Idcirco poposcit a Deo potestatem in Job, velut qui vinceretur non virtute ipsius Job, sed defensione Dei sanctum Job jugiter protegentis.
Ps. CVIII, 6. De Juda etiam dicitur : Et diabolus stet a dextris ejus.

CAPITULUM XVIII.

De differentia nequitiæ quæ immundis inest spiritibus, per duos philosophos comprobata.

MULTAM sane cognitionem accepimus de differentia dæmonum, per duos illos philosophos qui frequenter fuerunt experti per magicas artes inertiam, et item fortitudinem sævissimamque nequitiam dæmonum. Hi namque philosophi B. Antonium despicientes tanquam imperitum illitteratumque virum, et cupientes eum saltem de cella sua expellere præstigiis magicis ac dæmonum dolis, si eum plus lædere non valerent, miserunt ad eum nequissimos spiritus : ad hoc faciendum livore permoti, eo quod maxime hominum turbæ ad S. Antonium tanquam ad Dei famulum convenirent quotidie. Quumque Antonius nunc crucis signaculum imprimeret fronti suo ac pectori, nunc Deum suppliciter exoraret, durissimi dæmones nequaquam audebant appropinquare eidem, sed sine effectu redierunt ad magos, qui protinus direxerunt ad S. Antonium spiritus malitiosiores. Quibus quum abbas Antonius modo prætacto resisteret, et illi inaniter laborarent atque ad magos victi redirent, miserunt magi tertio spiritus potentiores ac nequiores. Quibus nihil proficientibus contra S. Antonium, didicerunt magi illi ex propria magica arte, pravitate et insidiatione, et evidentissime cognoverunt, magnam inesse virtutem christianæ professioni, qua ita refrenatæ sunt virtutes illæ contrariæ tam feroces atque potentes, ut non solum lædere non valuerint Antonium, sed nec ad punctum potuerint eum de cella sua ejicere; quum tamen magi putarent quod dæmones illi ultimo missi, potuissent obducere quadam caligine solem et lunam, si ad eos fuissent directi.

CAPITULUM XIX.

Quod dæmones nihil valeant contra homines, nisi eorum mentes prius obsederint.

QUUMQUE ex prætacta admiratione philosophi illi venissent confestim ad S. Antonium, retulerunt ei qualiter fecissent eum tentari acerrime, et causas ac insidias sui occulti rancoris adversus eum, et petierunt mox fieri christiani. Quumque Antonius inquisisset et audisset ab

eis diem rei gestæ, fatebatur se tunc fuisse amarissimis cogitationum stimulis impugnatum. Quo experimento B. Antonius approbavit ac determinavit sententiam quam in præcedenti collatione deprompsimus : puta, quod dæmones non queant invadere corpus alicujus aut mentem, nec habeant facultatem irruendi in animam hominis cujuscumque, nisi prius destituerint eam omnibus cogitationibus sanctis, et nudam vacuamque reddiderint a spirituali contemplatione. Verumtamen agnoscendum quod spiritus immundi duobus modis obediunt homini : aut enim divina gratia ac virtute subduntur sanctitati fidelium, aut deliniti sacrificiis impiorum seu quibusdam carnalibus rebus, tanquam familiaribus adulantur eisdem ; sicque decepti Pharisæi arbitrabantur Dominum salvatorem hac arte imperasse dæmonibus, dicentes : In Beelzebub principe dæmoniorum, etc. ; juxta illam videlicet consuetudinem qua noverant ceteros magos sive maleficos, tanquam domesticos, potestatem habere in dæmones principi dæmoniorum subjectos, per invocationem ipsius aut per ritum sacrificiorum quo eum delectari cognoscunt.

Matth. XII, 24.

CAPITULUM XX.

Interrogatio de apostatis angelis, qui dicuntur in Genesi cum filiabus hominum concubuisse connubiis.

GERMANUS : Quoniam allegatio libri Genesis, Deo sic ordinante, in medium est prolata, quæ nos opportune admonuit ut nunc apte sciscitemur quod semper discere cupiebamus : quid de illis apostatis angelis sentiendum sit, optamus cognoscere, qui se miscuisse dicuntur cum filiabus hominum, utrum hoc possit secundum litteram convenire spirituali naturæ. Similiter desideramus audire quod ex Evangelio de diabolo allegasti : Quia mendax est et pater ejus ; quisnam intelligendus sit pater ejus.

Joann. VIII, 44.

CAPITULUM XXI.

Solutio primæ quæstionis.

SERENUS : Duas quæstiones non mediocres proposuistis, ad quas pro viribus respondebo. Et primo ad primam. Nequaquam credendum est spirituales naturas posse cum feminis coire carnaliter. Et si hoc aliquando ad litteram fieri potuisset, quare etiam modo non sæpe contingeret ut cerneremus aliquos de conceptu dæmonum ex mulieribus nasci absque semine et coitu viri ? præsertim quum constet dæmones admodum delectari sorde libidinum, quas procul dubio mallent exercere per se ipsos quam per homines, si id esset possibile, quum Ecclesiastes pronuntiet : Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est ; et quid est quod factum est ? ipsum quod fiet ; et non est aliquod novum sub sole, et cetera. Sed quæstio vestra sic solvitur. Occiso Abel justo, natus est Seth loco illius, qui successit non solum personæ fratris exstincti, sed etiam justitiæ et pietati ejusdem, ne ceterum omne hominum genus haberet exordium a fratricida ac impio Cain. Porro posteritas Seth sequens patris sui justitiam, permansit semper divisa a societate et conjunctione posteritatis ex Cain sacrilego descendentis, quemadmodum genealogiæ descriptio pandit evidenter, dicendo : Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Jared, Jared genuit Enoch, Enoch genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, Lamech genuit Noe. Genealogia vero Cain sic divisa describitur : Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irad, Irad genuit Maviael, Maviael genuit Mathusael, Mathusael genuit Lamech, Lamech genuit Jabel et Jubal. Posteritas itaque nata ex Seth sibi mutuo sociata ac matrimonialiter juncta, permansit longa ætate in patrum suorum ac atavi sanctitate, nequaquam infecta sacrilegio aut malitia nequissimæ prolis seu sobolis Cain, quæ impietatis germen re-

Eccle. I, 9, 10.

Gen. V, passim.

Ibid. IV, 17-21.

tinebat insitum sibi traditione et imitatione antiqua. Unde quamdiu duravit inter posteritates Seth et Cain ista discretio, posteritas Seth propter suam sanctitatem optimamque radicem vocata est angeli Dei, sive, ut alia translatio habet, filii Dei; posteri autem Cain filii hominum nuncupantur, propter suam impietatem ac patrum suorum, et propter opera sua terrena.

Quum itaque esset inter illos tamdiu ista utilis ac sancta divisio, videntes post hæc filii Seth, qui erant filii Dei, filias hominum (eorum videlicet qui erant nati de
Gen. VI, 2. Cain), inflammati ipsi filii Dei desiderio pulchritudinis filiarum illarum, acceperunt eas uxores; quæ infundentes maritis suis patrum suorum nequitias, protinus averterunt eos ab illa quasi ingenita simplicitate ac sanctitate paterna. Ad quod
Ps. LXXXI, 6, 7. satis congrue pertinet illud: Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini, etc. Qui et exciderunt ab illa vera naturalis philosophiæ scientia sibi a suis majoribus tradita, quam primus homo, qui post universarum naturarum institutionem mox conditus est, potuit evidenter attingere, et posteris suis certa ratione conferre atque relinquere: quippe qui viderat infantiam seu inceptionem mundi adhuc teneram, rudem et quodammodo palpitantem. In quo etiam fuit non solum tanta sapientiæ plenitudo, sed etiam gratia prophetiæ ex divina inspiratione transfusa, ut recens
Gen. II, 19. adhuc inhabitator mundi imponeret universis animalibus nomina; nec solum discerneret et distincte cognosceret omnia genera bestiarum atque serpentium, et virus ac furores eorum, sed virtutes quoque herbarum ac arborum naturasque lapidum, et vicissitudines temporum nondum expertorum divideret, ita quod potuit
Sap. VII, 17, 18. efficaciter dicere: Dominus dedit mihi eorum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositiones orbis terrarum et virtutes elementorum, initium et consummationem ac medietatem temporum, vicissitu-

A dinum immutationes, et cetera. Hanc ergo scientiam omnium naturarum suscipiens posteritas Seth traditione paterna per generationum successionem, quamdiu mansit divisa a sacrilega Cain progenie, ita exercuit et convertit scientiam tantam ad Dei cultum et vitæ communis utilitatem, sicut eam sancte acceperat. Porro quum impiæ posteritati Cain fuisset admixta, instinctu dæmonum derivavit ac vertit ea quæ pie didicerat, ad res noxias ac profanas, et ex scientia illa audacter instituit
B curiosas maleficiorum artes, præstigia ac magicas superstitiones, docens posteros suos ut sacro veri Dei cultu relicto, venerarentur ac colerent elementa sive aerios dæmones.

Præterea breviter perstringendum existimo, qualiter jam præfata curiosarum rerum notitia non perierit in diluvio, licet hoc non postulet vestræ quæstionis solutio, quia narratio ista præbet nobis occasionem id perstringendi. Itaque quantum antiquæ dicunt historiæ, Cham filius
C Noe, imbutus superstitionibus istis et sacrilegis profanisque artibus, sciens se non posse secum in arcam portare aliquem librum talium artium memorialem, quia cum justo patre ac sanctis fratribus fuit intraturus in arcam, sculpsit hujusmodi artes in diversis metallis durissimisque lapidibus quæ corrumpi non poterant inundatione aquarum. Peracto quoque diluvio, illa omnia requisivit eadem curiositate qua ea absconderat, et ita transmisit ad posteros seminarium perennis nequi-
D tiæ. Hoc itaque modo veraciter factum est quod vulgi opinio credit factum ab angelis, putans videlicet quod angeli mali tradiderint hominibus artes prædictas.

Denique de illis filiis Seth admixtis filiabus hominum, procreati sunt filii nequiores, qui fuerunt robustissimi venatores, violentissimi ac truculentissimi viri, qui et gigantes vocati sunt propter corporum Gen. VI, 4.
suorum enormem staturam, aut propter crudelitatis et malitiæ suæ excessum. Hi primo cœperunt finitimos suos depopulari,

et exercere rapinas, magis viventes ex A prædis quam contenti sudore et opere manuali : quorum scelera excreverunt in tantum, quod mundus expiari et purgari non potuit nisi diluvio. Quumque filii Seth ex instigatione suæ libidinis transgressi fuissent illud mandatum quod fuit diutissime ab ipso exordio mundi instinctu naturali servatum, oportuit postmodum illud renovari per legem scriptam, in qua continetur : *Deut. vii, 3, 4.* Filiam tuam non dabis filio ejus uxorem, nec de filiabus eorum accipies filio tuo, quia seducent corda vestra ut B recedatis a Deo vestro, ac sequamini deos earum et serviatis eis.

CAPITULUM XXII.

Objectio, qualiter profana commixtio cum filiabus hominum potuerit imputari generi Seth, ante legis prohibitionem.

GERMANUS : Merito potuisset illis adscribi crimen transgressionis ex præsumptione illius conjugii, si data eis fuisset lex ista aut præceptum hoc prohibens; C sed quum nondum fuisset injuncta aut jussa separatio talium personarum a conjugio contrahendo, qualiter permixtio illa potuit imputari ad culpam? Lex namque solet damnare futura peccata, non præterita ante ejus institutionem admissa.

CAPITULUM XXIII.

Solutio, quod homines ab initio fuerint obnoxii pœnæ seu judicio, lege naturali. D

SERENUS : Deus hominem creans, inseruit ei naturaliter omnem legis scientiam : quæ si fuisset custodita ab homine juxta propositum Dei, ut cœperat custodiri, non utique necessarium fuisset aliam legem mandari, quam Deus postmodum litteris promulgavit. Fuisset quippe superfluum extrinsecus offerri remedium, quod viguisset adhuc intrinsecus insitum. Sed quia lex illa naturalis fuit prorsus corrupta ex libertate et usu peccandi, data ac posita est Mosaicæ legis severa districtio, tanquam exsecutrix et vindex, atque ut verbis Scripturæ utar, tanquam adjutrix legis naturalis, quatenus homines saltem metu pœnæ præsentis non penitus exstinguerent bonum et rectum judicium scientiæ naturalis, secundum sententiam Prophetæ dicentis : Legem dedit in adjutorium; *Is. viii, 20. juxta LXX.* quæ etiam juxta Apostolum velut pædagogus data est parvulis, *Galat. iii, 24.* erudiens eos et servans ne quadam oblivione discederent a disciplina ac lege in qua erant naturaliter instituti. Nempe quod tota scientia legis infusa fuit ab initio ipsis hominibus, hinc aperte probatur quoniam Sancti ante legis dationem et ante diluvium servaverunt legis mandata absque scripto seu litteræ lectione. Qualiter etenim, lege nondum posita, potuit Abel scire *Gen. iv, 4.* quod Deo offerre sacrificium debuit de primitiis ovium suarum adipibusque earum, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus? Quomodo Noe discrevisset *Ibid. vii, 8.* quod animal esset mundum et quod immundum, legali mandato nondum hoc distinguente, nisi naturali fuisset instructus scientia? A quo Enoch didicit *Ibid. v, 22.* ambulare cum Deo, nullam legis illuminationem consecutus ab aliquo? Ubi Sem et Japheth legerunt : Turpitudinem patris *Lev. xviii, 7; Gen. ix, 23.* tui non revelabis; ita ut incedentes retrorsum, absconderent patris verenda? Unde Abraham monitus, abstinuit a spoliis *Gen. xiv, 23.* hostium quæ sibi offerebantur, ne consequeretur retributionem sui laboris; decimasque persolvit Melchisedech *Ibid. 20.* quæ in lege Moysis præcipiuntur offerri? *Deut. xii, 6; Exod. xxii, 29.* Ex cujus informatione Abraham et Lot suppliciter impenderunt viatoribus ac peregrinis *Gen. xviii, 4; xix, 2.* opera pietatis et pedum ablutionem, nondum mandato evangelico coruscante? Unde Job consecutus est tantam fidei devotionem, tantam castimoniæ puritatem, tantam humilitatis, mansuetudinis, misericordiæ, pietatis scientiam ac virtutem, quantam non videmus modo observari ab his qui Evangelium sciunt? Quem Sanctorum legimus

non observasse ullum legis mandatum ante legem? Quis illorum non custodivit istud : Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est? Quis illorum non implevit illud : Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra, vel eorum quæ in aquis sunt sub terra? Quis eorum non observavit : Honora patrem tuum et matrem tuam; et cetera quæ in Decalogo subsequuntur : Non occides, non adulterabis, etc.; et alia quoque his multo majora, per quæ prævenerunt mandata non legis dumtaxat, sed Evangelii etiam?

Deut. VI, 4. Exod. XX, 4. Ibid. 12. Ibid. 13, 14.

CAPITULUM XXIV.

Quod juste puniti sint qui ante diluvium peccaverunt.

SIC igitur intelligimus quod Deus ab initio omnia creavit perfecta, quod necesse non fuit aliquid addi ordinationi ejus principali tanquam improvidæ, si universa mansissent in statu ac dispositione illa qua fuerunt ab eo creata. Hinc probamus quod Deus juste puniverit eos qui peccaverunt ante legem, imo et ante diluvium, quoniam naturalem legem transgrediendo, inexcusabiles exstiterunt. Nec in illorum blasphemiam calumniamque incidimus, qui veritatem hanc ignorantes, derogant Deo veteris Testamenti, et detrahentes fidei nostræ, subsannando respondent : Cur placuit Deo vestro ut post tot annorum millia legem promulgaret per Moysen, et tot sæcula sine lege reliquit? Quod si postea aliquid melius adinvenit, ergo in principio mundi minus sapiens fuit deterioraque sapuit, atque post hæc quasi per experimenta edoctus, cœpit rectiora providere, et principales suas ordinantias emendare. Quod infinitæ sapientiæ Dei convenire non potest, nec sine ingenti blasphemia ab hæreticis ista dicuntur, quum Ecclesiastes testatur : Cognovi quoniam omnia quæ fecit Deus ab initio, ipsa erunt in æternum; super illa non est quod addatur, et ab illis non est quod auferatur. Hinc teste Apostolo : Justis non est lex posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis. Justi namque habentes sanam ac integram disciplinam naturalis ac insitæ legis, non indigebant lege hac scripta foris adhibita et naturali legi in adjutorium data. Ex quibus apertissima ratione colligitur, quod lex scripta non debuit ab initio dari : hoc quippe superflue fieret, stante adhuc naturali lege, nec penitus seu integre violata; nec evangelica perfectio potuit condonari ante legis custodiam. Non enim audire volebant : Qui te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; qui contenti non erant suas vindicare injurias talione æquali, sed pro levissima alapa rependebant calces mortiferas telorumque vulnera, et pro uno dente excusso requirebant percutientium vitam. Insuper illis dici non poterat : Diligite inimicos vestros; in quibus magnus fructus atque utilitas reputabatur ut amicos suos diligerent, ab inimicis vero discederent, et a solo eorum desinerent odio, nec festinarent illos opprimere ac necare.

Eccle. III, 14. I Tim. I, 9. Matth. V, 39. Ibid. 44.

CAPITULUM XXV.

Quomodo intelligendum sit quod de diabolo dicitur : Mendax est et pater ejus.

ILLUD autem quod vos de diabolo movet : quia mendax est et pater ejus; quasi tam diabolus quam pater ejus mendaces a Christo dicantur, hoc absurdum est suspicari : quia ut diximus paulo ante, spiritus non generat spiritum, sicut nec anima potest animam procreare, quamvis non dubitemus conceptam carnem ex humano coalescere semine, quum Apostolus inter carnem animamque distinguens, et quid a quo procedat insinuans, dicat : Deinde patres carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos; non multo magis subjiciemur Patri spirituum, et vi-

Joann. VIII, 44. Hebr. XII, 9.

vemus? Quid hac divisione clarius poterit affirmari? Nam homines dixit esse patres nostræ carnis, et solum Deum asseruit constanter patrem animarum; quanquam et in ipsa formatione carnis nostræ solum ministerium, id est ministerialis et instrumentalis causalitas sit adscribenda hominibus, principalis autem conditio seu efficientia Deo omnium creatori, quemad-
Ps. CXVIII, 73. modum David testatur : Manus tuæ fecerunt me, etc.; et sanctus Job loquitur
Job X, 10, 11. Deo : Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Ossibus et nervis, etc. Dominus quoque ait ad Jeremi-
Jer. I, 5. am : Priusquam te formarem in utero, novi te. Ecclesiastes vero satis evidenter ac proprie pandens naturam carnis et animæ perscrutatione ortus principiique ex quo processerunt, et consideratione finis ad quem tendunt, et de separatione eorum
Eccle. XII, 7. ab invicem disputans, dixit : Priusquam convertatur pulvis in terram sicut fuit, et spiritus revertatur ad Dominum, qui dedit illum. Quid apertius dicere potuit quam ut carnem pronuntiaret conversuram in terram? Quam carnem nomine pulveris designavit, quia de semine hominis sumit exordium, et ejus ministerio seminatur. Spiritum vero asseruit rediturum ad Deum suum auctorem : qui spiritus non generatur per utriusque sexus commixtionem, sed a Deo peculiariter datur.
Gen. II, 7. Quod etiam evidenter exprimitur per illam Dei insufflationem qua animavit primitus Adam.

Ex quibus auctoritatibus constat, nullum posse vocari patrem spirituum nisi solum Deum, qui spiritus facit ex nihilo, quando vult; homines vero nominari patres carnis nostræ tantummodo. Hinc diabolus, in quantum spiritus et angelus bonus creatus est, patrem non habet nisi Deum, suum creatorem. Qui quum superbiret, dicens
Is. XIV, 14. in corde suo : Ascendam super altitudi-
A nem nubium, similis ero Altissimo; factus est mendax et in veritate non stetit, sed *Joann.* VIII, 44.
de proprio nequitiæ suæ thesauro mendacium proferens, non solum mendax, sed etiam ipsius mendacii factus est pater, quo homini deitatem promittens, dicendo : Eritis sicut dii; in veritate non stetit, *Gen.* III, 5.
sed ab initio factus est homicida, ipsum Adam ad statum mortalitatis perducens, et justum Abel sua instigatione per manum Cain occidens.

Sed jam subsequens aurora concludit
B disputationem collationemque nostram duarum fere noctium spatio continuatam, et de profundissimo quæstionum pelago rusticitatem nostram attraxit ad tutissimum silentii portum. In quo profundo quanto flatus Spiritus Sancti nos introduxit interius, tanto plus semper aperiebatur diffusior quædam immensitas aciem oculorum præcedens, ac juxta Salomonis sententiam : Longius fiet a nobis magis quam *Eccle.* VII, 25, juxta LXX.
erat, et est alta profunditas, quis inveniet eam? Quamobrem Dominum deprecemur
C ut timor ejus et caritas, quæ cadere nescit, perseveret immobilis in nobis, quæ nos in omnibus faciat sapientes, et a diaboli telis protegat et conservet semper illæsos. Impossibile namque est, aliquem ex istis custodibus incurrere laqueos mortis. Postremo inter perfectos et imperfectos ista distantia seu differentia est, quia in viris perfectis caritas fixa, atque ut ita dixerim, maturior, stabilius perseverans, facit eos firmius ac facilius in sanctitate durare; in imperfectis vero caritas velut
D debilius collocata ac facilius refrigescens, permittit eos cito ac sæpius vitiorum laqueis implicari.

Quibus auditis, ita accendit nos sermo collationis istius, ut recedentes a cella senis, cum majori mentis ardore ad nostram cellam reverteremur quam ad ipsius veneramus.

COLLATIO IX

(Abbatis Isaac prima)

DE ORATIONE.

CAPITULUM PRIMUM.

Procemium collationis.

Cf. p. 27A'. QUOD in secundo Institutionum libro promissum est de perpetua et incessabili jugitate orationis, Deo favente, complebunt collationes senis quem nunc in medium proferimus, abbatis videlicet Isaac. Quibus descriptis ex præcepto beatissimæ memoriæ Castoris episcopi, et ex desiderio vestro, o beatissime præsul Leonti, et sancte frater Helladi, satisfecisse me credo; granditate hujus voluminis excusata, in primis quod in quantitatem excrevit majorem quam proposueramus, conantibus nobis narranda perstringere non solum sermone succincto, sed etiam plurima præterire silentio. Itaque disputatione copiosa præmissa de variis institutis, quam brevitatis studio resecamus, tandem B. Isaac dixit :

CAPITULUM II.

Verba abbatis Isaac de qualitate orationis.

FINIS atque perfectio omnium monachorum tendit ad jugem ac indiruptam orationis perseverantiam, et quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem mentis tranquillitatem et ad perpetuam nititur puritatem : ob quam indefesse assumimus et jugiter exercemus omnem laborem corporis contritionemque spiritus, et est inter hæc reciproca quædam inseparabilisque conjunctio.

A Nam sicut ad orationis perfectionem tendit structura universarum virtutum, sic nisi exercitia virtutum colligata fuerint et compacta perfectione et culmine orationis, nequaquam poterunt firma aut stabilia perdurare. Denique sicut perpetua ac jugis ista orationis tranquillitas non potest acquiri aut consummari sine universis virtutibus, ita nec ipsæ virtutes possunt compleri absque assiduitate orationis, quam præstruunt seu producunt. Idcirco non possumus de orationis affectu recte tra- B ctare, nec subitanea disputatione intrare ad principalem ipsius finem, qui cunctarum virtutum conatu exercitioque perficitur, nisi prius per ordinem dinumerata fuerint ac discussa omnia quæ vitanda sunt aut acceptanda intuitu seu obtentu orationis perfectæ, et juxta evangelicæ doctrinam parabolæ diligenter fuerint computata ac præparata ea quæ pertinent ad *Luc.* XIV, 28. structuram spiritualis ac sublimissimæ turris virtutum. Quæ tamen non proderunt præparata, neque permittent culmina per- C fectionis excelsa sibi invicem superponi, nisi primo vitia prorsus ejiciantur, et rudera ac vincula passionum succisa fuerint et effossa, firmissima quoque fun- *Ibid.* VI, 48. damenta simplicitatis et humilitatis superimposita fuerint vivæ ac solidæ terræ pectoris nostri : quibus fundamentis ac machinis spiritualis hæc turris virtutum valeat immobiliter stabiliri, atque ad summa cœlorum fastigia firmitate sua levari. Eum namque qui talibus innititur fundamentis ruina non vincet, imo nec impulsio D ipsa vexabit, quamvis copiosissimæ pluviæ *Matth.* VII, 25. passionum descendant, quamvis violenti

torrentes persecutionum instar arietis irruant, et sæva adversariorum incumbat tempestas.

CAPITULUM III.

Qualiter pura ac sincera fundatur oratio.

Ut ergo fundatur oratio eo fervore ac puritate qua debet, ista sunt penitus observanda. Primo abscindenda est generaliter sollicitudo rerum carnalium; deinde excludenda est nec admittenda memoria alicujus causæ aut negotii temporalis; detractiones quoque, vaniloquia, multiloquia, scurrilitates sunt omnifarie amputanda. Similiter passiones iræ atque tristitiæ sunt omnino abjiciendæ, et noxius fomes carnalis concupiscentiæ et avaritiæ est radicitus evellendus: et ita his et consimilibus vitiis extrusis penitusque abscissis, quæ et exterius possunt patere, præmissa etiam ceterorum malorum emundatione, quæ puritate innocentiæ ac simplicitatis perficitur, jacienda sunt primo inconcussa fundamenta profundæ humilitatis, quæ valeant sustentare turrim cœlos intraturam. Deinde superponenda est spiritualis virtutum exstructio, et cohibendus est animus ab omni discursu evagationeque lubrica, ut ita paulatim incipiat sublimari ad contemplationem Dei ac spiritualem conspectum. Quidquid enim anima nostra ante orationis horam conceperit, necesse est nobis per recordationem occurrere in ipsa oratione. Quamobrem quales volumus inveniri orantes, tales debemus nos præparare ante tempus orationis. Ex præcedenti etenim statu mens in oratione formatur, et dum ad orationem procumbimus, imago præteritorum actuum, seu verborum, aut sensuum, præludens ante oculos mentis, faciet nos secundum præcedentem qualitatem aut irasci, aut retractare causas concupiscentiasve elapsas, aut (quod etiam dicere pudet) pulsari fatuo risu alicujus verbi scurrilis aut titillatione hujusmodi operis, aut juxta priores discursus mente vagari ac volitare. Quod ergo nolumus nobis in oratione occurrere, festinemus ante orationem de abditis pectoris nostri excludere, quatenus sic valeamus illud Apostoli adimplere: Sine intermissione orate; et rursus, In omni (inquit) loco levantes puras manus sine ira et disceptatione. (1 Thess. v, 17. 1 Tim. ii, 8.) Aliter namque perficere non valebimus illud mandatum, nisi mens nostra purificata ab omni vitiorum contagione, ac dedita virtutibus tanquam naturalibus bonis, pascatur jugi contemplatione Omnipotentis.

CAPITULUM IV.

De mobilitate animæ comparata pennæ ac pennulæ.

Etenim proprietas animæ non inepte comparatur subtilissimæ pennæ ac plumæ, quæ si vitiata aut infecta non fuerit corruptione humoris extrinsecus advenientis, naturaliter fertur ad altiora, mobilitate suæ substantiæ, ex adjutorio tenuissimi venti. Si autem gravetur adspersione vel infusione alicujus humoris, non jam propria mobilitate feretur in sublimia aeris, imo et deprimetur ad ima terræ, pondere humoris adjuncti. Ita mens nostra, nisi fuerit aggraváta accedentibus curis vitiisque mundanis, aut corrupta humore pravæ libidinis, levissimo spiritualis meditationis afflatu sublimabitur ad superna, deserensque vilia ac terrena, ad invisibilia atque cœlestia transferetur, quasi sublevata naturali dono suæ munditiæ. Hinc satis proprie admonemur Christi præcepto: Videte nequando graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis sæcularibus. (Luc. xxi, 34.) Hinc si volumus orationes nostras penetrare non solum cœlos, verum etiam ea quæ supra cœlos sunt, conemur mentem nostram a cunctis terrenis vitiis expurgare, a fæcibus passionum mundare, et ad subtilitatem perducere naturalem, ut ita oratio ejus ascendat ad Deum non prægravata aliquo pondere vitiorum.

CAPITULUM V.

De causis quibus mens nostra gravatur.

(Luc. XXI, 34.) ADVERTENDUM tamen ex quibus causis dixit Salvator mentem nostram gravari. Non enim posuit adulteria, fornicationes, homicidia, blasphemias aut rapinas, quæ nullus ignorat damnabilia esse atque mortalia; sed crapulam et ebrietatem, sæcularesque curas, quæ nullus hominum mundanorum cavet aut damnabilia judicat, in tantum ut etiam (quod pudet exprimere) quidam qui se monachos nuncupant, implicentur vitiis illis tanquam innoxiis et item utilibus. Quæ tria secundum litteram facta quamvis aggravent animam, et a Deo separent eam ac deprimant ad terrena, faciliter tamen vitantur : præsertim a nobis qui tam longa remotione disjungimur ab omni conversatione hujus sæculi, nec ullam penitus occasionem habemus immiscendi nos curis humanis, aut crapulis vel ebrietatibus. Verumtamen est alia quoque crapula et ebrietas spiritualis quæ difficilius evitatur, sollicitudoque sæcularis quæ frequenter involvit nos, etiam in solitudine constitutos, post abrenuntiationem omnium facultatum nostrarum perfectam, et abstinentiam vini ac epularum cunctarum, de quibus ait Propheta : (Joel I, 5, juxta LXX.) Expergiscimini qui ebrii estis, et non a vino; et alius : (Is. XXIX, 9.) Obstupescite, inquit, et admiramini, fluctuate et vacillate; inebriamini, et non a vino; movemini, et non ab ebrietate. Cujus ebrietatis vinum consequenter necesse est esse, juxta Prophetam, (Deut. XXXII, 33.) fel seu furorem draconum. Et de qua radice procedat hoc vinum advertite : (Ibid. 32, juxta LXX.) Ex vinea, inquit, Sodomorum vinum eorum, et sarmentum eorum de Gomorrha. Vis item agnoscere fructum vitis istius et germen hujus sarmenti? (Ibidem.) Uva, ait, eorum, uva fellis, botrus amaritudinis ipsis. Quibus omnibus erit cor nostrum prægravatum crapula ebrietatis magis nociva, absque ebrietate vini et affluentia omnium A epularum, nisi fuerimus a cunctis vitiis expiati atque ab omni vitiorum crapula sobrii. Quod enim sæculares curæ interdum cadere possint in nos qui nullis mundi hujus actibus admiscemur, manifesta ratione monstratur secundum regulam seniorum, qui definierunt ad sæcularem sollicitudinem pertinere quidquid excedit quotidiani victus necessitatem et inevitabilem carnis usum. Verbi gratia, si voluerimus duos solidos acquirere majori labore ac opere, quum possimus uno solido B necessaria obtinere ; vel si procuremus nobis fieri tunicas tres aut quatuor, quum duæ sufficiant ad usum diei ac noctis; quumque sufficiat cella una aut duæ ad inhabitandum, construamus quatuor cellas aut quinque, et has magis ornatas et capaciores quam necessitas exigit, delectati amplitudine ipsa et ambitione mundana, præferentes ac imitantes passionem libidinis in quibus valemus. Quod manifestissima experimenta docuerunt non fieri sine dæmonum instinctu.

C

CAPITULUM VI.

De visione cujusdam senis quam vidit de inquieta Fratris cujusdam operatione.

QUUM enim quidam probatissimus seniorum transiret juxta cellam Fratris hac passione et animi ægritudine laborantis, utpote qui desudabat quotidiano proposito cum inquietudine cordis ad ædificandum ac reparandum superflua, D vidit Fratrem illum confringere saxum durissimum cum malleo gravi. Vidit quoque Æthiopem Fratri adstantem et simul cum eo junctis manibus percutientem, qui etiam ignitis facibus instigavit Fratrem ad operis istius instantiam. Quo viso, senex diutissime substitit admirans pessimi dæmonis improbam instigationem, et tantam Fratris illius illusionem. Quumque Frater nimia lassitudine fractus vellet quiescere et operi finem imponere, instigante dæ-

monio animatus, resumpsit denuo malleum et cœptum opus continuare non desiit, ita ut diabolicis incitamentis accensus, non sentiret tanti laboris importunitatem. Tandem senex ludificatione dæmonis tam dira commotus, divertit ad Fratris cellam, salutavitque eum dicens : Quid est, Frater, quod agis ? Et Frater : Laboramus, inquit, contra durissimum saxum istud, et vix potuimus illud conterere. Cui senex : Bene dixisti, Laboramus et vix potuimus; non enim solus istud egisti, sed fuit alius tecum quem non vidisti, qui fuit tibi in opere isto violentissimus quidam impulsor potius quam adjutor.

Hinc abstinentia seu cessatio ab illis negotiis quæ exercere non possumus, etiam si velimus, et despectio rerum illarum quarum appetitio faceret nos prima fronte reprehensibiles tam apud spirituales viros quam apud sæculares homines, non satis ostendunt vitium sæcularis ambitionis nostris mentibus non inesse; sed dum etiam rigida mentis districtione respuimus illa quæ nostræ suppetunt potestati, et cum quadam honestate videntur posse haberi. Et revera non minus aggravant mentem ea quæ parva videntur ac minima (et quæ cernimus indifferenter admitti ab his qui nostræ sunt professionis), quando superflue admittuntur, quam illa majora quæ juxta suum modum inebriare solent sæcularium corda; nec sinunt monachum, omni terrena fæce seu affectione deposita, respirare pure ad Deum, in quo semper fixa esse debet tota intentio : quum tamen modica separatio a summo et incomparabili bono reputanda sit monacho tanquam mors præsens perniciosissimusque interitus. Porro quum mens fundata fuerit in tranquillitate præfata atque a nexibus omnium passionum carnalium absoluta, et illi uni ac summo bono adhæserit tenacissima intentione, implebit apostolicum illud : Sine intermissione orate; et, In omni loco levantes puras manus sine ira et disceptatione. (1 Thess. v, 17. 1 Tim. II, 8.) Nempe sensu mentis absorpto in

A hac puritate, et eodem reformato de situ terreno ad similitudinem spiritualem atque angelicam, quidquid in se receperit, egerit, sive tractaverit, erit oratio quædam purissima.

CAPITULUM VII.

Interrogatio de hoc, quod majoris difficultatis sit custodire cogitationes bonas, quam parare.

B GERMANUS : Utinam tam faciliter possemus semina bonarum cogitationum jugiter possidere, quam faciliter ea frequenter concipimus. Quum enim cogitationes bonæ fuerint in corde nostro conceptæ per memoriam Scripturarum, aut per recordationem spiritualium actuum, aut certe per intuitum cœlestium sacramentorum, quasi imperceptibiliter fugiunt, elabuntur, et protinus evanescunt. Quumque mens nostra repererit alias quaslibet spiritualium sensuum occasiones, rursus C aliis apprehensionibus irruentibus, spirituales meditationes quæ apprehensæ fuerunt, lubrica volubilitate diffugiunt : ita ut animus noster nullam sui constantiam retinens, nec potestate propria possidens stabilitatem cogitationum sanctarum, videatur eas fortuitu, et non ex proposito seu industria concepisse, etiam tunc quum eas aliqualiter retinet. Quomodo enim origo adscribetur nostro arbitrio, quarum perseverantia nostræ non subjacet potestati ? Sed ne forte sub hujus quæstionis D indagatione evagantes longius ab ordine inchoatæ narrationis, retardemus diutius propositam quæstionem de statu orationis, ideo quæstionem hanc suo tempori reservantes, instantissime quæsumus informari de qualitate orationis, potissime quia Apostolus monet ut nunquam cessemus ab ea, dicendo : Sine intermissione orate. (1 Thess. v, 17.) Idcirco primo optamus doceri de qualitate ipsius, hoc est, qualis oratio debet semper Deo offerri; deinde qualiter valeamus hanc eamdem possidere, exercere

seu fundere sine intermissione. Nam et A experientia quotidiana, et sanctitatis tuæ doctrina, ostendunt orationem effundi ac perfici non posse parva attentione, quia jam docuisti finem vitæ monasticæ ac culmen totius perfectionis consistere in consummata seu perfecta oratione.

CAPITULUM VIII.

De diversis orationum qualitatibus.

ISAAC : Arbitror universas orationum B species comprehendi non posse absque ingenti cordis contritione et animi puritate, atque illuminatione Spiritus Sancti : quia tot sunt, quot status et qualitates generari queunt in anima una, imo in omnibus animabus. Ideo quamvis sciamus quod propter hebetudinem cordis nostri non valeamus universas species orationum cognoscere, tamen tentabimus eas assignare, quantum mediocritas experientiæ nostræ potuerit eas perpendere. Nam et ipsa mens momentis singulis reformatur se- C cundum mensuram puritatis qua proficit, et juxta qualitatem status in quem ex supervenientibus inclinatur, vel per suam renovatur industriam. Idcirco certissimum est quod nemo possit semper uniformes orationes effundere. Aliter namque quis orat quum alacer est, aliter quando gravatur pondere desperationis sive mœroris; aliter dum spiritualibus viget successibus, aliter quum tentationum et impugnationum mole deprimitur; aliter quum deposcit veniam peccatorum, aliter quum postulat in- D fusionem gratiæ aut virtutum, aut alicujus vitii exstirpationem ; aliter quando compungitur timore gehennæ ac futuri judicii, aliter quando accenditur spe desiderioque futurorum bonorum ; aliter quum versatur in necessitatibus atque periculis, aliter quum in securitate et tranquillitate deambulat ; aliter dum cœlestium sacramentorum revelationibus illustratur, aliter quando sterilitate virtutum et sensuum ariditate constringitur.

CAPITULUM IX.

De quatuor speciebus orationis.

HIS itaque de orationum qualitate digestis, licet non quantum exposcit magnitudo materiæ, sed quantum admittit brevitas temporis, aut capere potest parvitas nostri ingenii cordisque hebetudo, difficultas major nunc imminet nobis, ut sigillatim exponamus species orationis, quas Apostolus insinuavit quatuor esse, dicendo : Deprecor primo omnium fieri *I Tim.* II, 1.
obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Quæ non inaniter ab Apostolo taliter distinguuntur. Primo quoque quærendum est quid designetur per obsecrationem, quid per orationem, quid per postulationem, quid item per gratiarum actionem. Deinde quærendum utrum quatuor species istæ sint pariter assumendæ ab eo qui orat, ita ut omnes in unaquaque supplicatione simul jungantur; an potius offerendæ sint successive ac sigillatim, ita ut oporteat facere nunc obsecrationes, nunc postulationes ; an certe alius debeat Deo offerre obsecrationes, alius postulationes, alius gratiarum actiones, secundum mensuram profectus quo unaquæque mens proficit juxta suæ intentionis industriam.

CAPITULUM X.

De ordine specierum orationis.

PROPTEREA primo considerandæ sunt proprietates nominum horum, et discutiendum est quid intersit inter orationem et obsecrationem ac postulationem. Deinde scrutandum an species istæ orationum sint pariter offerendæ, an sigillatim. Tertio, an ordo specierum istarum ab Apostolo dispositus innuat aliquid speciale ac instruat auditorem, an distinctio ista sit simpliciter accipienda, æstimando quod Apostolus sine speciali ratione expresserit species orationis ordine tali :

quod mihi absurdum videtur. Non enim A putandum est Spiritum Sanctum aliquid per Apostolum protulisse passim aut sine idonea ratione. Ideo singula retractemus ordine eodem quo cœpimus, si dederit Dominus.

CAPITULUM XI.

De obsecratione.

1 Tim. II, 1. DEPRECOR itaque primo omnium fieri obsecrationes. Obsecratio est implora- B tio seu petitio pro peccatis dimittendis, qua unusquisque compunctus veniam deprecatur pro peccatis suis præteritis sive præsentibus.

CAPITULUM XII.

De oratione.

ORATIONES sunt quibus Deo aliquid offerimus aut vovemus, quod Græce dicitur εὐχή, id est votum, juxta illud in C
Ps. CXV, 14. Psalmo : Vota mea Domino reddam. Quod secundum proprietatem verbi sic exprimi potest : Orationes meas Domino reddam.
Eccle. V, 3, juxta LXX. Illud quoque Ecclesiastæ : Si voveris votum Domino, ne moram feceris reddere illud ; quod juxta Græcum sic sonat : Si oraveris orationem Domino, ne moram feceris reddere illam.

Quod ita ab unoquoque nostrum implebitur. Oramus, quum huic mundo renuntiantes, promittimus Deo quod ei serviemus tota mentis intentione, mortificati cunctis D actibus sæculi et conversationi mundanæ. Oramus, dum contempto sæculari honore et spretis terrenis divitiis, pollicemur quod adhærebimus Deo cum omni cordis contritione ac spiritus paupertate. Oramus quando promittimus purissimam corporis castitatem aut immobilem patientiam observare; vel dum vovemus de corde nostro
II Cor. VII, 10. funditus exstirpare radices iræ, aut tristitiæ mortem operantis : quæ dum non implemus resoluti pigritia atque ad vitia redeuntes antiqua, erimus rei orationum nostrarum sive votorum, et audiemus : Melius
Eccle. V, 4, juxta LXX. est non vovere, quam vovere et non reddere. Quod Græce sic dici potest : Melius est non orare, quam orare et non reddere.

CAPITULUM XIII.

De postulatione.

TERTIO loco ponuntur postulationes, quæ sunt petitiones quas solemus pro aliis fundere, dum constituti sumus in spirituali fervore, orando pro caris nostris, aut pro pace mundi totius, et ut verbis utar Apostoli, dum supplicamus pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt. I Tim. II, 1, 2.

CAPITULUM XIV.

De gratiarum actione.

QUARTO loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens per excessus ineffabiles reddit Deo, dum præterita ejus beneficia recordatur, aut præsentia contemplatur, aut intuetur quæ etiam et quanta præparaverit Deus in futuro his qui diligunt eum. I Cor. II, 9. Ex qua consideratione fundi solent interdum preces uberiores, quando purissimis oculis speculamur præmia Sanctis in futuro reposita, atque ex hoc spiritus noster instigatur gratias Deo referre cum gaudio infinito.

CAPITULUM XV.

Utrum quatuor species orationis sint unicuique necessariæ sigillatim et vicissim, an omnibus et simul.

EX his quatuor speciebus orationis solent generari diversæ occasiones supplicationum. Novimus enim sæpissime preces ferventissimas et ignitas prodire de specie obsecrationis quæ nascitur ex peccatorum compunctione; similiter de statu

orationis quæ profluit ex fiducia oblationum A et consummatione votorum juxta conscientiæ puritatem, atque de postulatione quæ ex caritatis procedit fervore; itemque de gratiarum actione quæ generatur ex consideratione beneficiorum et magnitudinis ac pietatis divinæ : ita ut constet omnes præfatas orationis species necessarias utilesque consistere cunctis hominibus, sic quod in eodem viro variatus affectus emittat nunc quidem puras ac ferventissimas supplicationes obsecrationum, nunc orationum, nunc postulationum. B Verumtamen prima species orationis peculiarius pertinere videtur ad incipientes, qui adhuc remordentur memoria atque aculeis vitiorum suorum ; secunda ad proficientes, qui ex appetitu et profectu virtutum in quadam mentis sublimitate consistunt; tertia ad perfectos, qui operibus adimplentes perfectionem votorum suorum, caritatis fervore ac studio provocantur intervenire pro aliis ex consideratione fragilitatis eorum ; quarta ad eos qui purissima mente retractant singulares munificentias C miserationesque Dei quas jam ante contulit, aut in præsenti largitur, vel præparat et conferet in futuro, et rapiuntur ferventissimo corde ad illam orationem ignitam quæ nec comprehendi nec exprimi potest ore humano, omni pœnali conscientiæ spina de corde expulsa. Interdum tamen mens in illum verum puritatis affectum profecta, quum in eo cœperit radicari, solet hæc omnia simul concipere, et cuncta pervolitans instar incomprehensibilis ac rapacissimæ flammæ, fundit ad D Deum ineffabiles vigoris purissimi preces : quas ipse Spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellans, ignorantibus nobis ad Deum mittit, tanta concipiens in illius horæ momento ineffabiliterque in supplicatione perfundens, ut mens non valeat ea alio tempore, non dicam ore proferre, imo nec recordari. Hinc est quod in quocumque statu quis positus, effundit aliquando puras intentasque preces. Qui enim adhuc constitutus est sub pœna terroris ac metu examinis ex consideratione futuri judicii, exsistens de illo primo ac humili ordine, ita vicissim ad horam compungitur, ut non minori spiritus alacritate repleatur de obsecrationis pinguedine, quam ille qui per cordis puritatem contemplans atque percurrens liberalitatem ac beneficia Dei, ineffabili jucunditate resolvitur. Nam juxta Christi sententiam, incipit plus amare, quia cognoscit sibi plus esse dimissum.

Rom. VIII, 26. — Luc. VII, 47.

CAPITULUM XVI.

Ad quas orationum species debeamus nos ipsos magis extendere.

MAGIS tamen debemus, per profectum vitæ et consummationem virtutum, expetere illas supplicationum species quæ funduntur ex futurorum contemplatione bonorum, aut ex caritatis ardore, vel certe, ut loquar humilius et juxta incipientium gradum sive mensuram, quæ Domino offeruntur pro adeptione virtutum aut exstinctione quorumlibet vitiorum. Aliter quippe nequaquam pervenire poterimus ad sublimiores supplicationum species jam præfatas, nisi per ordinationem postulationum istarum mens nostra paulatim atque gradatim ascendat.

CAPITULUM XVII.

De quatuor orationum speciebus a Christo effusis.

CHRISTUS in Evangelio dignatus est nobis initiare quatuor species istas orationum, implens in hoc quod de ipso est scriptum : Quæ cœpit Jesus facere et docere. Obsecravit namque quum dixit : Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ; vel illud quod cantatur in Psalmo ex ejus persona : Deus, Deus meus, respice in me ; quare me dereliquisti ? Oravit quum ait : Pater, ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti

Act. I, 1. — Matth. XXVI, 39. — Ps. XXI, 2. — Joann. XVII, 4.

Joann. XVII, 19. mihi ut facerem; et rursus, Ego pro eis A
sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi san-
ctificati in veritate. Postulavit quoque di-
Ibid. 24. cendo : Pater, quos dedisti mihi, volo ut
ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vide-
ant gloriam meam quam dedisti mihi; et
Luc. XXIII, 34. rursus, Pater, ignosce illis, quia nesciunt
quid faciunt. Denique gratias egit, dicen-
Matth. XI, 25. do : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et
terræ, quia abscondisti hæc, etc.; et ite-
Joann. XI, 41. rum, Pater, gratias ago tibi, quia audisti
me, etc. Quamvis autem Salvator suo ex-
emplo docuerit, juxta modum nunc al- B
legatum, has quatuor orationum species
posse offerri sigillatim diversoque tempo-
re, nihilo minus suo informavit exemplo
omnes species istas posse pariter compre-
hendi in supplicatione perfecta : quod
Ibid. XVII. patet per orationem quam copiosissime le-
gitur effudisse in sermone post Cœnam,
ut in evangelio S. Joannis scribitur. Quod
quia prolixum esset ex textu illo per sin-
gula demonstrare, diligens inquisitor po-
terit edoceri ex serie textus quod verum
sit istud. Quod et Apostolus in epistola ad C
Philippenses evidenter expressit, ubi po-
nit has quatuor species, ordine aliqualiter
permutato, ostendens quod quatuor simul
sint offerendæ sub ordine et forma unius
Philipp. IV, 6. supplicationis perfectæ, quum ait : In om-
ni oratione et obsecratione, cum gratia-
rum actione petitiones vestræ innotescant
apud Deum; per quod voluit nos specia-
liter erudire quod in oratione debeat gra-
tiarum actio cum postulatione misceri.

D

CAPITULUM XVIII.

De Oratione dominica.

HAS itaque supplicationum species se-
quitur adhuc sublimior atque præ-
clarior status, qui formatur Dei solius con-
templatione et caritatis ardore, per quem
mens resoluta et ignita dilectione Omni-
potentis, familiarissime loquitur Deo, vel-
ut proprio patri, pietate peculiari. Quem
statum nos debere diligenter exquirere,
forma Orationis dominicæ instruit, di-
cens : *Pater noster;* per quod voce pro- *Matth.* VI, 9.
pria confitemur universorum Deum ac Do-
minum esse patrem nostrum, et quod de
conditione servili simus assumpti in ad-
optionem filiorum. Sic adjicimus : *Qui es* *Ibidem.*
in cœlis; ut abhorrentes habitationem vi-
tæ præsentis, qua degimus in hac terra,
tanquam peregrinationem nos longissime
separantem a Patre ac Domino nostro, pro-
peremus desiderio maximo ad regionem
cœlestem, in qua Patrem nostrum habitare
fatemur; nec aliquid committamus quod
faciat nos indignos nobilitate tantæ ad-
optionis, et privet nos tanquam degeneres
hereditate ejus paterna, imo et iram et
severitatem suæ justitiæ faciat nos velut
ingratos incurrere. In quem filiorum gra-
dum ordinemque promoti, statim ardebi-
mus pietate quæ in bonis est filiis, ut
jam totum extendamus affectum non pro
utilitatibus nostris, sed pro gloria Patris
nostri cœlestis, dicendo atque orando :
Sanctificetur nomen tuum; per quod te- *Ibidem.*
stamur quod desiderium nostrum ac gau-
dium sit gloria Patris nostri cœlestis, imi-
tantes in hoc Christum qui dixit : Qui a *Joann.* VII, 18.
semetipso loquitur, gloriam propriam quæ-
rit; qui autem quærit gloriam ejus qui
misit illum, hic verax est, et injustitia in
eo non est. Præterea Paulus hoc repletus
affectu, optavit fieri anathema a Christo, *Rom.* IX, 3.
ut ejus familia multiplicaretur, atque ad
gloriam Patris cœlestis accresceret salus
totius Israeliticæ plebis. Securus enim
concupivit interire pro Christo, quoniam
novit neminem posse spiritualiter mori
pro vita. Hinc denuo dixit : Gaudemus *II Cor.* XIII, 9.
quoniam nos infirmi sumus, vos autem
potentes estis. Et quid mirum si Vas ele-
ctionis optavit fieri anathema a Christo
pro gloria Dei, pro fratrum suorum salute,
pro privilegio gentis, quum et Michæas
propheta vellet mendacem se fieri et ab
inspiratione propheticæ gratiæ alienari,
dummodo plebs Judaica evaderet plagas
et captivitates quas ei prædixerat : Uti- *Mich.* II, 11.
nam, inquiens, essem vir non habens spi-

ritum, et mendacium potius loquerer. Ut Moysis prætermittamus affectum, qui non renuit cum fratribus suis interire, dicendo : *Exod.* XXXII, 31, 32. Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum magnum ; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. Porro quod dictum est, *Matth.* VI, 9. Sanctificetur nomen tuum, potest etiam congruenter sic accipi : nostra perfectio seu sancta conversatio est sanctificatio Dei. Itaque, Sanctificetur nomen tuum; id est : O Pater, tales nos fac, ut mereamur intelligere sanctificationem tu- B am quanta sit, et capere eam, ut sanctus appareas in nostra conversatione spirituali. Quod tunc efficaciter impletur in nobis, *Ibid.* V, 16. quando homines vident opera nostra bona, et glorificant Patrem nostrum qui in cœlis est.

CAPITULUM XIX.

De eo quod dicit : Adveniat regnum tuum.

SECUNDA petitione mens cupit purissima *Ibid.* VI, 10. advenire regnum Patris sui cœlestis, quo Christus quotidie regnat in sanctis. Quod fit quando excluso de cordibus nostris diaboli imperio per exstinctionem fœtentium vitiorum, Deus cœperit dominari in nobis per bonam virtutum fragrantiam, regnaveritque in mente nostra castitas fornicatione expulsa, tranquillitas furore devicto, humilitas elatione calcata. Vel certe, ut adveniat regnum illud quod generaliter est promissum omnibus Dei D filiis ac perfectis, tempore præordinato, in quo eis dicetur a Christo : *Ibid.* XXV, 34. Venite, benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quod mens exspectans intentis adspectibus ac fixis desideriis, ait : *Ibid.* VI, 10. *Adveniat regnum tuum.* Confidit namque testimonio conscientiæ suæ, quod consors erit regni illius, quum apparuerit. Nemo quippe criminosorum audebit hæc dicere vel optare, quia nec aliquis cupit videre tribunal judicis, A qui scit actibus suis retribuendam esse non palmam, sed pœnam a judice.

CAPITULUM XX.

De eo quod dicit : Fiat voluntas tua.

TERTIA filiorum supplicatio est : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* *Matth.* VI, 10. Non potest jam esse major oratio, quam ut terrestres mereantur æquari cœlestibus. Nam quid est aliud dicere, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra, *Ibidem.* quam ut homines sint similes angelis, quatenus sicut voluntas Dei ab angelis adimpletur in cœlo, ita et hi qui in terra versantur, faciant non propriam, sed Dei voluntatem in omnibus? Hoc nemo dicere potest ex sententia et affectu, nisi qui credit Deum pro nostris utilitatibus omnia tam adversa quam prospera disponere, et quod Deus magis sollicitus providusque consistat prò commodis ac salute suorum, quam ipsimet pro se ipsis. Potest quoque ita intel- C ligi : voluntas Dei est hominum salus, dicente Apostolo : Qui omnes homines vult *I Tim.* II, 4. salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ; de qua voluntate ait Deus per Isaiam : Omnis voluntas mea fiet. *Is.* XLVI, 10. Dicendo itaque, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo *Matth.* VI, 10. et in terra, hoc petimus, ut sicut hi qui in cœlo sunt, beatificantur visione divina, sic omnes in terra peregrinantes tua agnitione salventur, o Pater.

CAPITULUM XXI.

De pane supersubstantiali vel quotidiano.

DEINDE oramus : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* *Ibid.* 11. Et pro « supersubstantialem » Lucas ponit *Luc.* XI, 3. « quotidianum ». Unde Matthæus dicendo « supersubstantialem », significat nobilitatem substantiæ hujus panis, qua sublimitas magnificentiæ et sanctificationis ejus excedit omnem creatam substantiam. Porro Lucas dicendo « quotidianum », expres-

sit usum et utilitatem panis istius. Quum enim ait « quotidianum », ostendit quod nullo die valeamus spiritualem vitam habere aut agere sine ipso. Quum dicit « hodie », ostendit eum sumendum quotidie, nec sufficere sumptionem ejus hesternam, nisi tribuatur nobis etiam hodie. Admonet quoque nos quotidiana indigentia hujus panis, quod omni tempore debeamus orationem istam effundere, quum nullus sit dies quo non indigeamus esu et perceptione istius panis interiorem nostrum hominem roborantis. Licet quod dicitur « hodie », possit referri ad totum tempus vitæ præsentis, ut sit sensus : O Pater, præsta nobis hunc panem quamdiu commoramur in sæculo isto ; novimus namque quod præstabis in futuro his qui eum promeruerint a te, sed rogamus ut eum nobis largiaris hodie, quoniam nisi quis meruerit eum in vita hac, non poterit esse particeps ejus in vita æterna.

CAPITULUM XXII.

De eo quod ait : Et dimitte nobis debita nostra.

Matth. VI, 12. ET *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O ineffabilis clementia Dei, quæ non solum contulit nobis formam orationis, sed etiam tradidit nobis disciplinam morum sibi acceptam, atque per occasionem et necessitatem formæ propositæ qua præcepit semper orari a nobis, simul evellit radices iræ, itemque tristitiæ : imo et rogantibus tribuit modum ac reserat viam quibus mereantur sibi exhiberi a Deo pium ac clemens judicium, et potestatem quodammodo tribuit nobis qua possimus judicis nostri sententiam temperare ac trahere ad nostrorum veniam delictorum ; quasi arctantes eum exemplo nostræ remissionis, quum dicimus ei : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos, etc. (Ibidem.) Idcirco securus postulat sibi ignosci a Deo spe orationis istius, quicumque remissor est circa proprios debitores dumtaxat, non circa debitores Domini sui. Solemus quippe (quod pejus est) exhibere nos placidos ac clementissimos circa ea quæ fiunt ad Dei injuriam, quamvis sint peccata prægrandia ; sed circa debita nostrarum offensionum, quamvis parvissimarum, invenimur exactores inexorabiles et immites. Qui itaque non remittit ex corde fratri in se peccanti, impetrabit hac deprecatione non veniam, sed condemnationem ; et propria voce deposcit se gravius judicari a Deo, loquens ad eum : Remitte mihi, sicut et ego remisi. Qui quum juxta suam petitionem fuerit exauditus, quid aliud subsequetur, nisi ut exemplo suo puniatur implacabili ira et irremissa sententia ? Hinc si clementer volumus judicari, oportet nos esse clementes in eos qui peccant in nos. Tantum namque remittetur nobis, quantum remiserimus eis qui nobis quacumque malignitate nocuerint. Quod formidantes nonnulli, dum oratio ista in ecclesia ab universa plebe profertur, hanc particulam tacite prætermittunt, ne videantur se ipsos obligare magis quam excusare : non advertentes quod frustra moliuntur prætendere cavillationes et cautiones has Judici universorum, qui voluit ista oratione suis indicare supplicibus qualiter judicabit. Dum enim Deus non vult circa suos debitores immitis et inexorabilis inveniri, designavit formam sui judicii, quatenus sicut optamus judicari ab ipso, sic judicemus fratres nostros, quando peccaverint in nos : quia judicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam. (Jacob. II, 13.)

CAPITULUM XXIII.

De eo quod dicit : Et ne nos inducas in tentationem.

DEINDE sequitur : *Et ne nos inducas in tentationem.* (Matth. VI, 13.) De quo non minima oritur quæstio. Si enim oramus ne permittamur tentari, unde erit in nobis virtus constantiæ exercenda atque probanda,

Eccli. xxxiv, 9, juxta LXX. Jacob. i, 12. Matth. vi, 13. juxta illud quod scriptum est : Omnis vir qui non est tentatus, non est probatus ; et iterum, Beatus vir qui suffert tentationem? Idcirco quod dicimus, Et ne nos inducas, etc., non sonat hoc, Non nos permittas tentari aliquando, sed, Ne permittas nos a tentatione superari. Tentatus enim est Job, sed non est inductus in tentationem. Non enim dedit insipientiam Deo, nec impio ore blasphemus consensit voluntati tentantis, ad quam trahebatur ab illo. Tentatus est Abraham, tentatus est Joseph ; sed neuter eorum in tentationem inductus est, quoniam nullus eorum consensum Ibidem. præbuit tentatori. Denique sequitur : *Sed libera nos a malo ;* id est : Ne permittas I Cor. x, 13. a diabolo nos tentari supra illud quod possumus, sed da cum tentatione proventum, ut sustinere possimus.

CAPITULUM XXIV.

Quod non debeant alia postulari quam ista quæ in Oratione dominica continentur.

VIDETIS ergo qualis modus ac forma orationis sit nobis proposita a judice ipso qui per eam est exorandus : in qua nulla continetur mentio aut memoria divitiarum aut dignitatum, nulla petitio potestatis aut fortitudinis, nulla postulatio curationis corporeæ. Nam Conditor sempiternus non vult a se implorari aliquid temporale, caducum aut vile. Hinc injuriam maximam infert magnificentiæ et munificentiæ Dei, quicumque maluerit postulare transitoria et caduca, prætermissis bonis spiritualibus ac æternis ; et talis vilitate suæ orationis incurrit offensam Judicis summi, magis quam propitiationem ipsius.

CAPITULUM XXV.

De qualitate sublimioris orationis.

HÆC ergo Oratio dominica quamvis videatur omnem perfectionis plenitudinem continere, utpote quæ a Christo in- A choata est et statuta, ipsa tamen provehit domesticos et continuatores suos ad illum sublimiorem orationis statum superius memoratum, eosque gradu eminentiori perducit ad orationem illam igneam paucissimis cognitam et expertam : imo (ut magis proprie loquar) ad ineffabilem precem, quæ transcendens omnem sensum humanum, nullo distinguitur aut formatur vocis sono aut linguæ officio, nec ulla pronuntiatione verborum ; quoniam mens illustrata infusione lucis cœlestis, non de- B signat suum conceptum humanis aut angustis eloquiis, sed effundit eum sensibus conglobatis, ineffabiliterque eructat ad Deum tanquam de copiosissimo quodam fonte, tanta depromens in illo brevissimo temporis puncto, quanta mens ad se reversa non potest faciliter loqui neque percurrere. Quem statum et modum orationis Christus similiter designavit, forma supplicationum quas solus fudit in monte, et tempore Passionis, quum factus in agonia, sanguineas guttas fudit inimitabili inten- C tionis exemplo.

CAPITULUM XXVI.

De diversis compunctionum causis.

QUIS autem, quantumcumque magna experientia præditus, possit sufficienter exponere diversitates, causas atque origines compunctionum quibus mens inflammata incitatur ad orationes ferventissimas ac sinceras? Quarum pauca ex- D empli gratia proponemus, quantum ad præsens reminisci poterimus per illuminationem Spiritus Sancti. Interdum namque versiculus cujuscumque psalmi præbuit nobis psallentibus occasionem ignitæ orationis ; quandoque canora modulatio vocis fraternæ provocavit stupentium animos ad supplicationem intentam. Novimus quoque, distinctionem et gravitatem psallentium contulisse non modicum ad fervorem devotionis adstantium ; insuper exhortatio viri perfecti, et spiritualis colla-

tio, frequenter erexit affectum jacentium. Scimus etiam quod sæpe non minus fuimus moti ad plenam compunctionem ex morte alicujus dilecti; recordatio quoque teporis et negligentiæ nostræ induxit nobis aliquando salutarem mentis fervorem. Atque hoc modo certum est innumerabiles esse occasiones, quibus tepor et negligentia cordis nostri possit per Dei gratiam excitari.

CAPITULUM XXVII.

De diversis compunctionum qualitatibus.

EST autem difficultas non parva, indagare qualiter et quibus modis compunctiones hæ procedant de interioribus animæ. Frequenter enim fluctus seu exuberantia saluberrimæ compunctionis emergit propter ineffabile gaudium alacritatemque mentis, ita ut etiam prorumpat in quosdam clamores præ immensitate intolerabilis gaudii, et cordis jucunditas exsultationisque magnitudo penetret cellam Fratris vicini. Interdum autem intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur tanto silentio, ut stupor repentinæ illuminationis excludat omnem penitus sonum vocis, et mens intus contineat omnes sensus attonitos, vel admittat*, et desideria sua effundat inenarrabilibus gemitibus coram Deo. Vicissim vero repletur mens tanta compunctionis abundantia et dolore, ut non queat eam digerere aliter quam lacrimarum effusione.

* amittat

CAPITULUM XXVIII.

Interrogatio de eo quod non sit in nostra potestate lacrimarum effusio.

GERMANUS : Ultimum istum compunctionis affectum etiam parvitas nostra ex parte aliqua novit. Frequenter enim ex recordatione delictorum meorum me lacrimante, ita vegetatus sum subito hoc ineffabili, ut præfatus es, gaudio, visitante A me Domino, ut lætitiæ magnitudo dictaret mihi non debere me desperare veniam peccatorum meorum. Quo statu reor nihil sublimius esse in vita ista, si recuperatio ejus subjaceret nostro arbitrio. Interdum namque cupiens totis viribus me excitare compunctionibus lacrimarum, et statuens ante oculos meos universa peccata mea, revocare non valeo illam fletuum ubertatem, et ita oculi mei instar durissimi saxi durantur, ut nulla lacrimæ gutta possit distillare ex eis. Ideo quantum in B lacrimarum effusione exsulto, tantum doleo quod eas recuperare nequeo, quando et quantum voluero.

CAPITULUM XXIX.

Responsio de diversitate compunctionum quæ per lacrimas digeruntur.

ISAAC : Non omnis effusio lacrimarum procedit ex uno affectu aut eadem virtute. Aliter enim emanat fletus qui ex C peccatorum recordatione et contritione diffunditur, de quo dicitur : Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes, etc.; et iterum, Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem, etc. Aliter profluit fletus qui oritur de contemplatione æternorum bonorum ac desiderio felicitatis futuræ, pro qua erumpunt fontes lacrimarum uberiores ex intolerantia jucunditatis et immensitate alacritatis, dum sitit anima nostra ad Deum fontem vivum, dicens : Quando veniam et apparebo D ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die et nocte, clamanti quotidie cum ejulatu et lamentatione, Heu mihi, quod incolatus meus prolongatus est! et, Multum incola fuit anima mea. Aliter effluunt lacrimæ quæ absque conscientia culpæ, nascuntur ex metu gehennæ et consideratione metuendissimi judicii divinæ justitiæ, cujus terrore percussus Propheta Dominum exoravit : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo, etc. Est

Ps. VI, 7. Thren. II, 18. Ps. XLI, 3, 4. Ps. CXIX, 5. Ibid. 6. Ps. CXLII, 2.

insuper genus aliud lacrimarum, quæ funduntur non pro propria culpa, sed proximorum, quo Samuel luxit Saulem, et Christus civitatem Jerusalem, Jeremias quoque Synagogam, dicendo : Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Vel certe quales sunt lacrimæ illæ de quibus in Psalmo cantatur : Quia cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam. Quas certum est non illo affectu effundi qui in sexto psalmo emergit seu aperitur ex persona pœnitentis, quum dicitur : Lavabo per singulas noctes lectum, etc.; sed ex anxietate vitæ præsentis, et præ angustiis et ærumnis quibus justi in hoc mundo premuntur. Quod evidenter ostendit non solum textus, sed etiam titulus psalmi illius, qui titulus ex persona pauperis illius describitur de quo in Evangelio legitur : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Etenim titulus illius psalmi est : Oratio pauperis quum anxiatus fuerit, et coram Deo effuderit precem suam. Ab istis itaque lacrimis multum distant lacrimæ quæ obdurato corde exprimuntur oculis siccis (quas licet credamus esse non penitus infructuosas, quia earum effusio attentatur bono proposito), præsertim ab his qui necdum pertingere potuerunt ad perfectam et spiritualem scientiam, aut nondum quiverunt pure mundari a labe præteritorum sive præsentium vitiorum.

1 *Reg.* xv, 35. *Luc.* xix, 41. *Jer.* ix, 1. *Ps.* ci, 10. *Ps.* vi, 7. *Matth.* v, 3.

CAPITULUM XXX.

Quod lacrimæ non sint extorquendæ, quando non oriuntur spontanee.

VERUMTAMEN effusio lacrimarum non debet sic extorqueri ab his qui transierunt in affectum virtutum; neque magnopere affectandi sunt fletus hominis exterioris : qui etsi fuerint utcumque producti, nunquam pertingere poterunt ad A illam lacrimarum spontaneam ubertatem. Nam animum supplicantis distrahentes conatibus seu extorsionibus suis, dejicient ac demergent eum in ima, atque ab illa cœlesti sublimitate deponent in qua mens orantis attonita inavertibiliter est figenda, compellentque animum languere et occupari circa guttulas lacrimarum steriles ac coactas, relaxata precum suarum intentione et affectione.

B

CAPITULUM XXXI.

Sententia abbatis Antonii de statu orationis.

ATQUE ut veræ et perfectæ orationis percipiatis affectum, proferam vobis sententiam B. Antonii, et non meam : quem novimus quandoque sic permansisse in oratione, ut ipso frequenter orante in mentis excessu, audierimus eum sæpe clamantem in mentis fervore quum sol C cœpisset oriri : Quid me impedis, sol, qui modo oriris ad hoc ut abstrahas me a claritate hujus luminis veri? Qui S. Antonius protulit de qualitate orationis sententiam istam cœlestem potius quam humanam : Non est perfecta oratio in qua monachus intelligit se, vel hoc ipsum quod orat, seu proprium actum. Et ut nos quoque audeamus aliquid adjicere huic admirandæ sententiæ, secundum tenuitatis nostræ mensuram, denique nunc ponemus signa, quantum experti sumus, per quæ intel-D ligatur quod oratio exaudiatur a Domino.

CAPITULUM XXXII.

De exauditionis indicio.

QUUM nulla hæsitatio interpellaverit sive pulsaverit nos orantes, nec quadam desperatione dejecerit petitionis nostræ fiduciam, si in ipsa orationis effusione senserimus nos obtinuisse quod postulamus,

non dubitemus quin preces nostræ efficaciter ad Deum pervenerint. Tantum enim quis merebitur exaudiri et obtinere, quantum crediderit inspici se a Deo, vel Deum posse præstare. Irretractabilis namque est sententia Christi dicentis : Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et venient vobis. *Marc.* xi, 24.

CAPITULUM XXXIII.

Objectio, quod prædicta exauditionis fiducia Sanctis tantum conveniat.

GERMANUS : Credimus istam exauditionis fiduciam emanare de conscientiæ puritate. Sed qualiter nos possumus eam habere, quorum corda pungit adhuc peccati spina, qui non habemus propria merita nobis patrocinantia, quibus fiducialiter præsumamus orationes nostras esse exaudiendas ?

CAPITULUM XXXIV.

Responsio de diversis exauditionum causis.

ISAAC : Evangelica atque prophetica contestantur eloquia, quod diversæ sint causæ exauditionum, juxta animarum diversum ac varium statum. Habes enim signum exauditionis ex consensione duorum aut trium fratrum, auctoritate Christi, qui ait : Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. *Matth.* xviii, 19. Habes aliam exauditionis fiduciam in plenitudine fidei, quæ grano sinapis assimilatur, sicut ait Salvator : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis. *Ibid.* xvii, 19. Habes et aliam exauditionis fiduciam ex assiduitate orationum, quam sermo divinus vocat importunitatem propter indefessam petitionum perseverantiam, juxta illud : Amen, amen dico vobis, quia si non propter amicitiam, saltem propter ejus improbitatem surget, et dabit ei quantum opus habet. *Luc.* xi, 8. Habes et aliam ex largitione eleemosynarum : Abscondite, inquit, eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro te ad Dominum in tempore tribulationis. *Eccli.* xxix, 15. Habes aliam in emendatione vitæ et operibus misericordiæ, quemadmodum scriptum est : Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. *Is.* lviii, 6. Et post pauca, quibus infructuosum jejunium increpatur, subjungitur : Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet, Ecce adsum. *Ibid.* 9. Denique magnitudo tribulationum facit aliquando exaudiri, secundum illud : Ad Dominum quum tribularer clamavi, et exaudivit me; *Ps.* cxix, 1. et iterum, Ne afflixeris advenam, quia si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. *Exod.* xxii, 21, 27.

Videtis ergo quam multis modis obtineatur gratia seu fiducia exauditionis, ut nemo desperatione conscientiæ suæ frangatur a spe impetrandi salubria et æterna. Ut enim ex consideratione miseriarum nostrarum concedam nos esse destitutos cunctis virtutibus et actibus virtuosis jam memoratis, nec habere nos illam laudabilem duorum consensionem, nec fidem tantam quæ grano sinapis comparatur, nec opera pietatis quæ describit Propheta; tamen habere valemus importunitatem orationis, quæ suppetit omni volenti, per quam Dominus repromittit se daturum quidquid fuerit postulatum. Hinc absque hæsitatione infidelitatis insistendum est precibus, nec est dubitandum ab aliquo quin assiduitate earum obtinere poterimus quidquid salubriter deprecati fuerimus. Dominus namque volens præstare cœlestia et æterna, hortatur nos ut coarctemus eum quodammodo nostra importunitate, qui importunos non solum non despicit nec refutat, sed etiam invitat et laudat, ac pie promittit daturum se eis quidquid perseveranter oraverint : Petite (inquiens) et accipietis; quærite, et invenietis; pul- *Luc.* xi, 9.

Matth. XXI, 22; XVII, 19. sate, et aperietur vobis. Et iterum : Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis, et nihil impossibile erit vobis.

Propterea si universæ exauditionum causæ præfatæ nobis deficiunt, animet importunitatis instantia, quæ absque ulla difficultate meriti ac laboris sita est in potestate cujuscumque volentis. Merito autem supplicans quisque exaudiendum se dubitet, quum de sua exauditione dubitaverit. Porro quod infatigabiliter sit orandum, Dan. X, 12, 13. docemur et illo beati Danielis exemplo, qui exauditus a prima die qua cœpit orare, consequitur suæ petitionis effectum post vicesimum primum diem. Unde et nos non debemus cessare ab orationum nostrarum continuatione, quamvis senserimus nos tardius exaudiri. Nam forsan gratia exauditionis differtur utiliter dispensatione divina, vel angelus portaturus ad nos beneficium Dei, egressus a facie Omnipotentis, resistente diabolo retardatur : quem certum est non posse ad nos deferre munus optatum, si invenerit nos cessare a prosecutione petitionis inceptæ. Quod et præfato Prophetæ accidere procul dubio potuisset, nisi virtute præcipua continuasset seu protelasset suam orationem usque ad vicesimum primum diem.

Nulla igitur desperatione frangamur a confidentia fidei hujus, dum nequaquam sentimus obtinuisse nos postulata, nec ambigamus de promissione Christi dicentis : Matth. XXI, 22. Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Denique pensare debemus sententiam S. Joannis evangelistæ, qua dubitatio hujus inquisitionis solvitur I Joann. V, 14. evidenter. Nam ait : Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Itaque jussit nos habere plenam et indubitatam exauditionis fiduciam, in his tantum quæ consonant seu concordant voluntati divinæ, non commodis nostris temporalibusve solatiis. Quod etiam in Oratione dominica admiscere jubemur, dicen- Matth. VI, 10. do : Fiat voluntas tua; tua, inquam, non

A nostra. Præterea si advertimus illud apostoli Pauli : Quid oremus sicut oportet, Rom. VIII, 26. nescimus; cognoscimus quod interdum rogamus ea quæ nostræ contrariantur saluti, quæ nobis utilissime denegantur ab eo qui utilitates nostras rectius atque veracius intuetur quam ipsimet. Quod certum est contigisse et Paulo apostolo, quum oravit auferri a se angelum Satanæ, qui fuerat ei utiliter applicatus a Domino ut eum colaphizaret, quemadmodum ad Corinthios ait : Propter quod ter Dominum II Cor. XII, 8, 9. B rogavi ut discederet a me; et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quod et Christus insinuavit orans ex persona humanitatis assumptæ, ut daret nobis formam orandi suo exemplo, quum dixit : Pater, si pos- Matth. XXVI, 39. sibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; quum utique voluntas ejus non discreparet a Patre. Venerat namque salvare Ibid. XVIII, 11; XX, 28. quod perierat, et dare animam suam redemptionem pro multis; de qua ipse fate- C tur : Nemo tollit animam meam a me, sed Joann. X, 18. ego pono eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Ex cujus persona ait et David in psalmo tricesimo tertio, de unitate voluntatis suæ quam jugiter possidebat cum Patre : Ut facerem volunta- Ps. XXXIX, 9. tem tuam, Deus meus, volui. Nam et de Patre sic legimus : Sic Deus dilexit mun- Joann. III, 16. dum, ut Filium suum unigenitum daret; de Filio quoque : Qui dedit semetipsum Galat. I, 4. pro peccatis nostris. Cui concordat quod fertur de Patre : Qui proprio Filio suo non Rom. VIII, 32. D pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Sic et de Filio legitur : Oblatus Is. LIII, 7. est, quia ipse voluit. Sicque probatur quod Patris et Filii sit una voluntas, ita ut etiam una atque indissona operatio Patris ac Filii designetur fuisse in ipsius Filii resurrectione, quam sicut Apostolus Patri adscribit, dicendo : Et Deum Patrem, qui Galat. I, 1. suscitavit eum a mortuis; sic Filius eam adscribit sibimetipsi : Solvite, inquiens, Joann. II, 19. templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Propterea nos edocti prætactis Chri-

sti exemplis, debemus cunctas nostras ob- A secrationes simili modo concludere, adjungendo eis semper hanc vocem : Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. (Matth. xxvi, 39.) Postremo satis constat quod ille ternarius numerus orationis qui fieri solet in congregationibus Fratrum ad concludendam synaxim, observari non possit ab eo qui intento animo non orat.

CAPITULUM XXXV.

De oratione intra cubiculum et clauso ostio facienda.

ANTE omnia observandum est evangelicum illud præceptum, (Ibid. vi, 6.) ut intrantes in cubiculum nostrum, clauso ostio oremus Patrem nostrum : quod ita implebimus. Nam intra cubiculum supplicamus, dum abstrahentes cor nostrum ab omni cogitationum strepitu sollicitudinumque tumultu, offerimus Deo preces nostras familiariter et secrete. Rursus ostio clauso oramus, dum labiis clausis cum omni silentio supplicamus Deo, qui scrutator est cordis, non vocum. In abscondito oramus, quando orationes nostras pandimus soli Deo, corde dumtaxat ac mente intenta, ita ut dæmones non possint agnoscere speciem nostræ petitionis. Hinc cum summo silentio est orandum, non solum ne nostris susurriis seu clamoribus avertamus Fratres adstantes ab attentione orationum suarum, et ne obstrepamus orantium sensibus; sed item ut intentio nostræ orationis lateat inimicos nostræ salutis, qui summe insidiantur orantibus nobis. Sic quippe implebimus illud propheticum quoque præceptum : (Mich. vii, 5.) Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.

CAPITULUM XXXVI.

De utilitate brevis ac tacitæ orationis.

OB hoc quoque orandum est frequenter ac breviter, ne adversarius possit inserere aliquid nobis orationi immorantibus. Istud namque est sacrificium verum, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus. (Ps. l, 19.) Hæc est salutaris oblatio, ista sunt pura libamina, istud est sacrificium laudis atque justitiæ, (Ibid. 21.) istæ sunt veræ pin- B guesque hostiæ, ista sunt holocautomata medullata (Ps. lxv, 15.) quæ a contritis et humiliatis cordibus offeruntur. Quæ dum exhibemus attentione ac disciplina qua diximus, possumus efficaci virtute cantare : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. (Ps. cxl, 2.) Quod et adventus hujus horæ ac noctis admonet opportune nos congrua devotione persolvere. De quo quamvis multa jam videantur prolata secundum nostræ tenuitatis capacitatem, et C ista collatio sit diu protracta; tamen juxta dignitatem, subtilitatem ac difficultatem, imo et utilitatem materiæ, modicum credimus dictum.

Postremo his sanctis sermonibus stupefacti potius quam repleti, vespertina synaxi peracta, accepimus modicum somni, sicque ad nostra discessimus, reversuri primo diluculo, supplicaturi pro pleniori horum tractatu, gloriantes tam de præhabitorum adeptione quam de futurorum securitate. Senseramus enim excellentiam D orationis esse nobis tantummodo præmonstratam ex disputationibus præinductis ; sed non vidimus nos integre percepisse ex illis ordinem ac virtutem quibus acquirenda est atque tenenda perpetuitas seu incessabilitas orationis.

COLLATIO X

(Abbatis Isaac secunda)

DE ORATIONIS JUGITATE.

CAPITULUM PRIMUM.

Procœmium.

INTER cetera ista anachoretarum instituta sublimia, stilo qualicumque, quamvis imperito, descripta, Domino concedente, ordo narrationis compellit nos aliquid inserere quod videatur apponere nævum quemdam quasi corpori pulchro : quamvis non dubitem quin ex hoc ipso conferetur simplicioribus instructio magna
Gen. I, 26. de omnipotentis Dei imagine quæ in Genesi legitur : præsertim quum causa seu inquisitio tantæ doctrinæ vertatur, ut ejus ignorantia inesse non possit sine ingenti blasphemia atque catholicæ fidei detrimento.

CAPITULUM II.

De observatione quæ in Ægypto tenetur de significatione Paschæ.

MOS iste in regione Ægypti servatur ex institutione antiqua, ut peracto Epiphaniorum die (quem sacerdotes illius provinciæ dicunt esse diem baptismi Christi, vel nativitatis ejus secundum carnem : unde et de utraque re illa unam tantum faciunt solennitatem; non duas, sicut fit in occidentalibus partibus), tunc mittantur epistolæ Alexandrini episcopi per universas Ægypti Ecclesias, in quibus insinuatur initium Quadragesimæ et dies Paschæ, non solum per singulas civitates, sed per omnia quoque cœnobia. Atque secundum D hunc morem, solennes epistolæ Theophili A Alexandrini pontificis missæ sunt, paucis evolutis diebus a tempore quo abbas Isaac fecit nobis præcedentem collationem. Denique in præfatis epistolis idem antistes longo sermone disputavit contra rudem hæresim Anthropomorphitarum, et eam evidenter destruxit. Quod universi pene monachi in Ægypto morantes, cum tanta amaritudine acceperunt, ex simplicitatis suæ errore, ut pars maxima seniorum judicaret eumdem pontificem ab universis Fratribus detestandum tanquam gravissi- B ma hæresi depravatum : utpote qui contradiceret veritati Scripturæ, negando omnipotentem Deum humanæ figuræ lineamentis formatum, quum Scriptura Genesis apertissime protestetur hominem ad Dei simi- Gen. I, 26.
litudinem esse creatum. Insuper epistola præfati episcopi ita est refutata a monachis in Scythi degentibus, qui perfectione ac scientia præeminebant cunctis Ægyptiis monachis, ut præter abbatem Paphnutium congregationis nostræ presbyterum, nullus ceterorum presbyterorum in C eadem eremo præsidentium aliis tribus Ecclesiis, permitteret eam in suis conventibus legi aut recitari.

CAPITULUM III.

De abbate Serapione, et Anthropomorphitarum hæresi, quam ex simplicitate incurrit.

PORRO inter eos qui decepti fuerunt hæresi illa, fuit Serapion, vir antiquissimæ districtionis atque per omnia con- D summatus in vita activa : cujus error et imperitia tantum præjudicavit cunctis ve-

re catholicis, quantum ipse præcessit quasi universos monachos merito vitæ ac senectute. Qui quum non posset perduci ad tramitem fidei rectæ multis exhortationibus abbatis Paphnutii, eo quod persuasio Paphnutii videretur ei nova, nec a prædecessoribus unquam inventa aut tradita, accidit ut quidam diaconus, vir summæ scientiæ, nomine Photinus, adveniret de Cappadociæ partibus desiderio visitandi Fratres in Scythi manentes. Quem B. Paphnutius lætanter suscipiens, produxit in medium pro confirmatione fidei contentæ in epistolis Theophili præsulis, interrogavitque eum coram Fratribus universis, qualiter cunctæ Ecclesiæ catholicæ orientis
Gen. I, 26. intelligerent quod Deus ait in Genesi : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Quumque diaconus diceret quod universi prælati orientalium Ecclesiarum intelligerent verba illa non juxta superficiem litteræ, sed spiritualiter tantum, probavit hoc ipsum diaconus idem copioso sermone ac multis testimoniis Scripturarum : eo quod nihil circumscriptibile humana figuratione cadere possit in illam immensam, incomprehensibilem ac invisibilem majestatem, quum et natura Dei incorporea, incomposita, et simplex exsistat, quæ sicut oculis nequit videri, ita nec mente æstimari aut comprehendi. Quumque Serapion tandem tractus esset ad fidem rectam multis atque fortissimis rationibus doctissimi viri illius, infinita lætitia replevit abbatem Paphnutium et nos omnes, eo quod Dominus non permiserit virum tanta æquitate virtutibusque perfectum, ex sola imperitia ac rusticana simplicitate errantem, usque ad finem deviare a fidei veritate. Surgentibus ergo nobis ut propter hoc pariter offerremus Deo gratiarum actionem et orationem, sic senex in sua oratione confusus est mente, eo quod sentiret auferri a corde suo corporalem illam Deitatis imaginem quam consueverat sibi in oratione proponere, ut repente prorumperet in amarissimos fletus plurimosque singultus ; in A terram quoque prostratus, cum ejulatu clamaret fortissimo : Heu me miserum ! tulerunt a me Deum meum, et modo non habeo quem teneam, nec scio quem adorem. De qua re valde permoti, reversi sumus ad abbatem Isaac, residente adhuc in cordibus nostris virtute collationis præhabitæ. Quem protinus intuentes ita affati sumus.

CAPITULUM IV.

B *De reditu nostro ad abbatem Isaac, et inquisitione erroris quem prædictus senex incurrit.*

LICET cura rei nuper exortæ, novitasque collationis præteritæ de statu orationis, expresse incitaret desiderium nostrum ad recurrendum ad beatitudinem tuam cunctis postpositis, tamen hanc affectionem auxit tam gravis error abbatis Serapionis, conceptus calliditate dæmonum nequissimorum (ut arbitramur). Non C enim parva desperatione dejicimur, videntes eum non solum perdidisse vitio hujus erroris tantos labores, quos per quadraginta annos laudabiliter exegit in eremo ista, sed etiam incurrisse discrimen mortis perpetuæ. Hinc primo desideramus agnoscere unde vel quare tantus error acciderit ei ; deinde quæsumus edoceri qualiter pervenire possimus ad illam orationis qualitatem, de qua pridem disputasti non tantummodo copiose, sed item magnifice. Ad hoc enim admirabilis illa collatio profe- D cit in nobis, ut incuteret nobis mentis stuporem, non ut ostenderet qualiter valeamus eam apprehendere sive perficere.

CAPITULUM V.

Responsio de origine præfatæ hæresis.

ISAAC : Non est mirandum, simplicissimum hominem nunquam instructum de Deitatis substantia ac natura, potuisse detineri ac decipi usque nunc vitio rusti-

citatis et consuetudine antiqui erroris, atque (ut verius dicam) in errore pristino perdurare, qui illatus est ei non recenti illusione dæmonum, ut putatis, sed ignorantia pristinæ gentilitatis : dum juxta consuetudinem qua colebant dæmones humana effigie figuratos, conversi quoque æstimant incomprehensibilem veri Dei majestatem sub circumscripta imagine adorandam ; credentes se nihil habere aut retinere, nisi habuerint atque adspexerint talem imaginem, quam jugiter orent et mente circumferant, et præ oculis teneant semper B affixam. De quorum errore illud conveni- Rom. I, 23. enter accipitur : Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis ; Jeremias quoque, Jer. II, 11. Populus, inquit, meus mutavit gloriam suam in idolum. Qui error quamvis impressus sit cordibus aliquorum ex præfata origine, nihilo minus tamen ex quadam rusticitate et imperitia contractus est ab aliis quibusdam, qui nunquam polluti sunt superstitione gentili, sub colore testimonii Gen. I, 26. hujus : Faciamus hominem ad imaginem C et similitudinem nostram. Cujus occasione etiam ortum sumpsit, interpretatione detestabili, hæresis Anthropomorphitarum, quæ immensam ac simplicem Deitatis substantiam pertinaci perversitate affirmat esse compositam figura et lineamentis humanis : quam hæresim detestatur tanquam gentilem blasphemiam quicumque fuerit catholice informatus, sicque perveniet ad purissimam illam orationis proprietatem, quæ in sua supplicatione non solum non miscet ulla figurationis alicujus D lineamenta (quod dictu est etiam nefas), sed nec admittit memoriam alicujus dicti aut facti, nec formam alicujus characteris.

CAPITULUM VI.

Ex quibus causis Christus appareat cuique aut humilis aut glorificatus.

UNAQUÆQUE etenim mens in oratione sua erigitur aut formatur secundum puritatis suæ meritum ac mensuram : tan- A tum discedens ab intuitu terrenarum ac materialium rerum, quantum puritas sua eam provexerit, ac fecerit Jesum videri ab ea intentis adspectibus humilem adhuc et carneum, aut glorificatum in suæ majestatis gloria venientem. Non enim poterunt intueri Jesum in suo regno venientem, qui adhuc detenti sunt infirmitate Judaica, nec cum Apostolo dicere queunt : Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Sed illi II Cor. V, 16. dumtaxat Deitatem purissimis oculis speculantur, qui de vilibus ac terrenis cogitationibus atque operibus ascendunt cum Christo in excelsum solitudinis montem, Matth. XVII, 1. qui mons a tumultu omnium terrenarum cogitationum ac perturbationum liber exsistens, a permixtione quoque cunctorum vitiorum quietus, sublimatus etiam fide purissima ac virtutum eminentia, revelat gloriam vultus Dei et claritatis suæ imaginem his qui merentur eum mundo intuitu contemplari. Præterea videtur Jesus ab iis qui in civitatibus, viculis et castellis morantur, hoc est, qui constituti sunt in vita activa ; non tamen in tanta claritate in quanta apparuit illis qui cum ipso ascenderunt in montem, utpote Petro, Ja- Ibidem. cobo et Joanni. Sic namque apparuit in solitudine Moysi, et locutus est Eliæ. Quod Exod. III, 2. Christus volens confirmare, ac perfecta pu- III Reg. XIX, 11 et seq. ritatis exempla nobis relinquere, secessit Matth. XIV, 23. in montem solus orare, quum tamen ipse fons inviolabilis sanctitatis non indigeret extrinsecus adjutorio solitudinis ad obtinenda fastigia perfectionis (non enim poterat ullis turbarum sordibus maculari ipsa munditiæ plenitudo, nec contaminari humano consortio qui sanctificat et emundat universa polluta) : instruens nos exemplo secessus illius, ut si voluerimus Deum orare puro et integro cordis affectu, recedamus similiter ab omni inquietudine et confusione turbarum, quatenus commorantes in corpore isto, valeamus nos saltem ex aliqua parte aptare et conformare felicitati quæ Sanctis promittitur in futu- I Cor. XV, 28. ro, sitque Deus nobis omnia in omnibus.

A

CAPITULUM VII.

In quo consistat finis noster seu beatitudo perfecta.

TUNC enim in nobis perfecte complebitur oratio Salvatoris qua pro suis Joann. xvii, 26. oravit discipulis, loquens ad Patrem : Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et Ibid. 21. ipsi in nobis ; et iterum, Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ; quando et I Joann. iv, 10. perfecta illa dilectio qua Christus prior dilexit nos, transierit in cordis nostri affectum, prætacta Christi oratione completa, quam credimus nullo modo posse cassari.

Quod fiet quum omnis amor, omne desiderium ac studium, omnis conatus et omnis cogitatio nostra, omne quod videmus et loquimur, Deus erit ; et unitas quæ nunc est Patri cum Filio et Filio cum Patre, transfusa fuerit in sensum nostrum ac mentem : hoc est, ut quemadmodum Deus diligit nos pura et indissolubili caritate, ita et nos ei jungamur dilectione inseparabili atque perpetua, ei sic copulati, ut Deus sit quidquid speramus, intelligimus, operamur aut loquimur ; jam jamque pervenientes ad illum finem quem Dominus Joann. xvii, 22, 23. optat in nobis impleri, orando : Ut omnes sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint et ipsi con- Ibid. 24. summati in unum ; et iterum, Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.

Hic est finis solitarii, hæc esse debet omnis intentio ejus, ut mereatur in hoc corpore possidere imaginem felicitatis futuræ, incipiatque in hoc vasculo prægustare arrham cœlestis conversationis ac gloriæ. Hic, inquam, est finis perfectionis totius, ut mens extenuata ab omni affectione carnali, eo usque sublimetur quotidie ad spiritualia et superna, ut tota sua conversatio, omnis volitio et appetitio, fiat una jugis incessabilisque oratio.

CAPITULUM VIII.

Interrogatio de eruditione perfectionis per quam possimus ad indesinentem Dei memoriam pervenire.

GERMANUS : Amplior magnitudo stuporis crescit nobis ex his, supra admirationem præhabitæ collationis, propter quam recurrimus istuc. Quantum enim inflammamur desiderio perfectæ beatitudi-
B nis ex incitamento hujus doctrinæ, tantum majori desperatione dejicimur, ignorantes qualiter expetere aut obtinere possimus disciplinam ac statum tantæ sublimitatis. Propterea quæsumus ut patienter permittas explicari a nobis ea quæ in cella sedentes cœperamus revolvere meditatione diutina, quia necesse est ea proferre, licet prosecutione forsan loquaci ; quamvis sciamus beatitudinem tuam non solere offendi ullis ineptiis infirmorum, quæ ob hoc sunt proferendæ in medium, ut cor-
C rigantur quæ in eis absurda sunt.

Itaque opinamur necessarium esse ut perfectio cujuslibet artis seu disciplinæ a quibusdam mollibus incipiat rudimentis, et primo facilioribus imbuatur tenerioribusque initiis, ut quodam rationabili lacte nutrita, paulatim succrescat, sicque gradatim ac sensim ascendat ab imis ad summa ; quumque ingressa sic fuerit planiora principia et quodammodo januas arreptæ professionis, perveniet ordinate et absque labore ad interiora et excelsa
D perfectionis fastigia. Qualiter enim quispiam puerorum poterit pronuntiare simplices copulas syllabarum, nisi prius didicerit litterarum figuras ? Aut quomodo assequetur aut discet legendi peritiam, qui necdum idoneus est conjugare angustas seu breves nominum descriptiones ? Qualiter etiam obtinebit rhetoricam facundiam, philosophicamve scientiam, qui nondum grammaticam est edoctus ? Quapropter non dubito esse quædam fundamenta hujus sublimissimæ artis qua

instruimur Deo jugiter inhærere : quibus A fundamentis primo firmissime collocatis, superimponantur et eleventur fastigia perfectionis excelsa. Cujus perfectionis principia suspicamur tenuiter hæc esse : ut primo sciamus qua meditatione Deus teneatur aut cogitetur; deinde, qualiter valeamus immobiliter custodire hanc eamdem materiam, quod etiam non ambigimus esse culmen totius perfectionis.

Ideo cupimus nobis demonstrari quamdam memoriæ hujus materiam, qua Deus B mente concipiatur et in ea jugiter teneatur, ut materiam illam præ oculis retinentes, habeamus in promptu quod respiciendo, illico revertamur ad illam materiam, quoties senserimus nos ab eadem dilapsos, valeamusque illam resumere absque ulla circuitus mora et inquisitionis difficultate. Contingit quippe ut, dum a spiritualibus theoriis convertimur ad nos ipsos quodam letali sopore, et dein quasi expergefacti quærimus materiam quæ interrupta est, per quam resuscitare possimus C spiritualem memoriam, retardati mora inquisitionis, rursus labamur a nostro conatu priusquam reperiamus materiam illam, sicque concepta cordis intentio evanescat antequam pariatur aliquis spiritualis intuitus. Quæ confusio accidit nobis idcirco, quoniam non tenemus aliquid spirituale ante oculos nostros stabiliter positum, tanquam formulam quamdam quam possit noster animus revocare post multos anfractus variosque discursus, atque post longa naufragia D illud tanquam portum quietis intrare. Sicque fit ut mens jugiter impedita difficultate et ignorantia ista, jactetur per diversa tanquam errabunda semper ac ebria, ita ut nec diu nec firmiter teneat etiam illud spirituale quod sibi occurrerit casu potius quam industria; dum recipiens ipsa semper aliud ex alio, non sentiat eorum discessum ac finem, sicut non sensit eorum principia et ingressum.

CAPITULUM IX.

De efficacia intellectus qui per experientiam acquiritur.

ISAAC : Inquisitio vestra tam minuta atque subtilis signum est proximæ puritatis. Nec enim aliquis poterit de his interrogare, ne dicam inspicere sive discernere, nisi quem diligens et efficax mentis industria ac pervigil sollicitudo provexerit ad perscrutandam profunditatem quæstionum istarum, ac jugis intentio vitæ emendatioris fecerit per experientiam actualem attentare limina puritatis istius et pulsare januas ejus. Quoniam itaque video vos non jam adstare præ foribus orationis veræ ac puræ, de qua disputamus, sed manibus experientiæ quodammodo palpare penetralia et interiora ipsius, jamque contingere quasi quædam membra ejusdem, credo me non laboraturum in hoc ut oberrantes intra aulam hujus orationis introducam in abdita ejus, nec ullo difficultatis obstaculo vos retardabo ab introspectu eorum quæ demonstranda sunt modo. Proximus quippe est notitiæ veritatis, qui prudenter agnoscit quid et qualiter debeat quærere; nec longe est a scientia, qui cœpit intelligere quod ignorat. Idcirco non vereor notam proditionis ac levitatis incurrere, si manifestavero ea quæ in præcedenti collatione, loquens de orationis perfectione, subtraxi sermocinationi illi, quorum virtutem arbitror fuisse reserandam vobis in hoc exercitio ac studio collocatis, etiam sine ministerio nostri sermonis, per gratiam Creatoris.

CAPITULUM X.

De institutione ac doctrina orationis indesinentis seu perpetuæ.

QUAPROPTER juxta institutionem quam prudentissime comparastis eruditioni parvulorum (qui aliter percipere nequeunt primam litterarum informationem, nec va-

lent agnoscere neque describere earum A lineas aut figuras, nisi assuescant assidua inspectione et quotidiana imitatione exprimere seu exarare litterarum characteres sive effigies, primo diligenter impressis quibusdam figuris seu formulis ceræ); sic, inquam, danda est vobis formula hujus spiritualis doctrinæ, ad quam jugiter defigentes tenacissime vestrum intuitum, discatis eamdem incessanter revolvere, aut usu ac meditatione ipsius valeatis intuitus sublimiores ascendere. Hæc igitur proponitur vobis formula disciplinæ et oratio- B nis quam quæritis, quam formulam quilibet monachus tendens ad jugem Dei memoriam, ascendat* ac apprehendat incessabili cordis revolutione, expulsa evagationum omnium varietate, quia nec aliter poterit aliquo modo eam tenere, nisi fuerit absolutus ab omnibus corporalibus curis : quæ forma sicut nobis est tradita a paucis antiquissimorum Patrum residuis, ita a nobis non reseratur nisi rarissimis ac vere sitientibus. Hæc itaque formula pietatis sit inseparabiliter nobis C proposita, ad possidendum incessantem perpetuamque Dei memoriam : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Hic namque versiculus non immerito excerptus est et assumptus de toto corpore Scripturarum. Recipit namque omnes affectus qui possunt humanæ naturæ inferri, et proprie satis ac competenter aptatur et applicatur ad omnem statum ac universos incursus. Continet quippe invocationem Dei contra pericula, continet humilitatem piæ con- D fessionis, vigilantiam spiritualis sollicitudinis perpetuique timoris, considerationem propriæ fragilitatis, confidentiam exauditionis, atque præsentis ac semper adstantis divini subsidii. Nempe qui jugiter invocat suum protectorem, certus est eum semper esse præsentem. Continet quoque caritatis ardorem, insidiarum considerationem et inimicorum timorem, quibus videns se vallatum die ac nocte, fatetur se liberari non posse absque sui defensoris auxilio.

* assumat

Ps. LXIX, 2.

Versiculus iste est inexpugnabilis murus, impenetrabilisque lorica, ac munitissimus clypeus universis infestatione dæmonum laborantibus. Versiculus iste constitutos in anxietate et acedia animi, aut depressos tristitia vel cogitationibus quibuscumque, non permittit desperare salutis remedia; sed ostendit quod ille qui invocatur, nostra certamina jugiter intuetur, nec suis deest supplicibus. Versiculus iste hortatur nos in spiritualibus successibus ac gaudiis constitutos nequaquam debere extolli, neque inflari de prospero statu, quem testatur sine Dei protectione retineri non posse, dum eum implorat ut sibi auxilietur non solum semper, sed item velociter. Iste, inquam, versiculus necessarius ac utilis invenitur unicuique nostrum in quacumque dispositione locato. Nam qui desiderat se semper et in omnibus adjuvari, manifestat quod non solum indigeat adjutorio Dei in adversis ac tristibus, sed etiam pari modo in prosperis et jucundis : ut sicut faciat eum erui ex adversis, sic faciat eum conservari in prosperis, sciens fragilitatem humanam in neutro posse subsistere sine divina subventione. Passione gulæ perstringor, cibos opto quos desertum non habet, atque in squalida solitudine ingeruntur mihi odores regalium ferculorum, eorumque desiderio sentio me invitissimum trahi; mox itaque dicere debeo : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum, etc. Instigor prævenire horam refectionis præfixam, et cum grandi cordis dolore justam ac solitam parcitatem observo; mox cum gemitu debeo clamare : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum, etc. Lassitudo stomachi prohibet me indigentem districtioribus jejuniis propter impugnationem carnis, seu ventris ariditas atque constrictio me deterret; quatenus tribuatur desiderio meo quod cupit, vel certe ut ardores carnalis concupiscentiæ credantur quiescere absque districtioris jejunii temperamento, orare mox debeo : Deus, in adjutorium

meum intende; Domine, ad adjuvandum, A etc. Accedens ad refectionem hora legitima suggerente, abhorreo cibum corporeum et a necessario retrahor esu; mox cum ejulatu dicere debeo : Deus, in adjutorium meum intende, etc. Volentem me insistere lectioni propter cordis stabilitationem, impedit capitis dolor, et somnus faciem meam allidit ad librum tertia hora; refectus quoque impellor horam quietis prævenire aut transgredi; ac interrumpere synaxim canonicam, seu regularem conventum, ac modum psalmorum, insti- B gat me gravissima inclinatio somni; clamare mox debeo : Deus, in adjutorium meum intende. Sublato somno ab oculis meis, video me multis noctibus fatigatum diabolicis somniis, et cerno omnem resolutionem nocturnæ quietis exclusam a palpebris meis; orare cum suspiriis debeo : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me, etc. Titillatio carnis pungit me adhuc positum in colluctationibus vitiorum, et blanda delectatione conatur me dormientem trahere ad C consensum; sed ne ignis libidinis exæstuans urat flosculos castitatis suaveolentes seu dulciter redolentes, orare mox habeo : Deus, etc.

Exstincta in me sentio incentiva libidinis, et genitalem fervorem experior tepuisse in membris meis; mox orare debeo ut infusa hæc virtus et gratia tanta perseveret diutius sive perpetue in me, dicendo : Deus, in adjutorium, etc. Inquietor stimulis iræ, impatientiæ, avaritiæ, atque impellor interrumpere seu violare D mansuetudinem mihi propositam et amicam; orare protinus debeo ne perturbatione furoris aut iræ abducar, ac incidam amaritudinem fellis, dicens : Deus, in adjutorium meum intende, etc. Motibus acediæ, vanæ gloriæ, superbiæ tentor, et de negligentia teporeve aliorum aliquid blanditur subtiliter menti meæ; mox cum omni cordis contritione debeo exorare ne hæc perniciosa suggestio inimici prævaleat mihi, dicendo : Deus, in adjutorium, etc. Acquisivi gratiam humilitatis ac simplicitatis jugi spiritus contritione, exstincta elatione; mox debeo totis viribus deprecari ne rursus veniat mihi pes superbiæ, *Ps.* xxxv, 12.
et ne manus peccatoris me moveat, ne gravius vulnerer ex elatione victoriæ meæ, dicendo : Deus, in adjutorium, etc. Æstuo et laboro innumeris ac diversis evagationibus animæ instabilitateque cordis, nec valeo coercere cogitationum dispersiones, nec valeo orationes meas effundere absque phantasmatibus inanium figurarum et retractatione sermonum actuumque meorum, tanta quoque sterilitatis ariditate sentio me constrictum, ut nullas spiritualium sensuum conceptiones habere me sentiam; necessario habeo exorare ut merear liberari de squalore hoc animi, de quo me expedire non queo multis gemitibus, ideo dicere debeo : Deus, in adjutorium, etc. Sentio me consecutum rursus animæ directionem, cogitationum stabilitatem, cordis alacritatem, visitationem Spiritus Sancti; exuberantiam spiritualium sensuum sumpsi; revelationem sanctissimorum intellectuum mihi antea penitus incognitorum, ex repentina Dei illuminatione percepi; indigeo sollicite deprecari ut merear in his diutius conservari, dicendo : Deus, in adjutorium, etc. Exagitor circumvallatus nocturnis tentationibus dæmonum, et inquietor phantasmatibus immundorum spirituum : spes salutis ac vitæ subtrahitur mihi præ trepidationis horrore; sed ad salutarem hujus versiculi portum confugere debeo, et totis viribus exorare : Deus, etc. Rursus quum fuero reparatus consolatione divina, et animatus adventu ipsius, sensero me circumseptum quasi innumeris millibus angelorum, ita ut repente expetere audeam congressus seu impugnationes eorum quos antea formidavi gravius morte, et quorum tactum, imo viciniam, cum tremore mentis et corporis sentiebam, audeamque provocare eorum conflictus; mox igitur toto posse habeo postulare ut vigor hujus constantiæ immoretur in me diutius per gratiam

Omnipotentis, dicendo : Deus, in adjutorium, etc.

Itaque oratio hujus versiculi incessabiliter est fundenda in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur ne extollamur. Meditatio igitur hujus versiculi in tuo pectore jugiter revolvatur; versiculum istum decantare non sinas in omni opere, ministerio atque itinere, dormiens et manducans, et in omnibus necessitatibus meditare eumdem. Hæc meditatio cordis tanquam formula salutaris tibi effecta, custodiet te non solum ab omni dæmonum incursione illæsum, sed a cunctis quoque vitiis terrenæ contagionis te purgans, perducet te ad theorias et contemplationes invisibiles et cœlestes, imo provehet te ad illum orationis ardorem ineffabilem perpaucis expertum. In hujus versiculi meditatione obdormias, donec incessabili exercitatione ejus formatus, assuescas eum decantare etiam per soporem. Et primus tibi expergefacto occurrat, aliasque cogitationes præveniat et excludat; quumque de lectulo surgis, eum decantando genua flectas, et ad omnem actum tuum te ducat. Hic versus te omni tempore prosequatur, et juxta
Deut. VI, 7, 9. præcepta legis meditaberis eum sedens in domo, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens, scribesque eum in limine et in januis oris tui. Hunc collocabis in parietibus domus tuæ atque in penetralibus pectoris tui, ut sit tibi ad orationem procumbenti decantatio ista acclivis, fiatque tibi erecta ac jugis oratio inde surgenti, ac incedenti ad omnes usus et actus necessarios vitæ.

CAPITULUM XI.

De perfectione orationis ad quam præfata eruditione ascenditur.

FORMULAM istam mens teneat incessanter, donec formata usu ac jugi meditatione ipsius, abjiciat ac refutet divitias amplasque substantias cogitationum cunctarum; sicque constricta paupertate A istius versiculi, facilitate prona perveniet ad evangelicam illam beatitudinem quæ inter ceteras beatitudines tenet primatum, qua dicitur : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; et *Matth.* v, 3. ita per hujuscemodi paupertatem egregius pauper exsistens, implebit propheticum illud eloquium : Pauper et inops laudabunt nomen tuum. *Ps.* LXXIII, 21. Et revera, quæ potest esse major sanctiorve paupertas, quam illius qui cognoscens se nihil præsidii viriumque habere, petit quotidianum auxilium B de largitate alterius; qui intelligens essentiam suam ac vitam omni momento sustentari ac conservari ope divina, profitetur se non immerito esse verum Dei mendicum, clamans suppliciter ad ipsum quotidie : Ego autem mendicus sum et pauper, Deus, adjuva me ? *Ps.* XXXIX, 18. Sic quoque ascendens, Deo illuminante, ad multiformem scientiam ejus, incipiet deinceps saginari sublimioribus sacratioribusque mysteriis, juxta illud Psalmistæ : Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis. *Ps.* CIII, 18. Quod satis C proprie coaptatur sensui jam prædicto, eo quod quisque perseverans in simplicitate ac innocentia, nulli est noxius aut molestus; sed sua simplicitate contentus, desiderat se tutari ab insidiantium deprædatione, ut instar herinacii protegatur velamine petræ, id est memoria passionis dominicæ, munitus quoque incessabili meditatione hujus versiculi, declinet insidias adversarii infestantis. De quibus spiritualibus herinaciis in Proverbiis legitur : Et herinacii gens invalida, qui fe- *Prov.* XXX, 26, juxta LXX. D cerunt in petris domos suas.

Et revera quid invalidius Christiano ? Quid infirmius monacho, cui non solum injuriarum ultio prohibetur, imo nec levis ac tacita cordis commotio ei permittitur? Quisquis autem ex hoc statu proficiens, non solum possederit innocentiæ simplicitatem, sed discretionis virtute munitus, factus erit exterminator venenatorum serpentium, seu inficientium ac scandalizantium vitiorum, habens Satanam sub pedibus suis contritum, alacritateque mentis

pervenerit ad proprietates rationalis cervi, pascetur in apostolicis atque propheticis montibus, id est in excelsissimis subtilissimisque eorum doctrinis ac sacramentis. Quorum jugi alimonia vegetatus, et recipiens in se universos psalmorum affectus, incipiet eos taliter decantare quasi non sint a Propheta compositi, sed tanquam a se ipso sint editi; et proferet eos compunctione profunda tanquam propriam orationem, vel quasi ad suam personam directi sint, et quasi eorum sententia non solummodo per Prophetam aut in Propheta completa fuerit, sed in se quoque geratur ac impleatur quotidie.

Tunc quippe divinæ Scripturæ nobis clarius innotescunt, et earum venæ ac medullæ panduntur, quando experientia nostra non tantum percipit, sed etiam prævenit earum notitiam, et verborum sententiæ reserantur nobis non per expositionem, sed per propria documenta. Quum namque recipimus et habemus eumdem cordis affectum quo psalmus quisque est editus ac conscriptus, præcedimus intellectum ejus magis quam sequimur, quasi auctores psalmi essemus : hoc est, ut amantes virtutem verborum potius quam notitiam, recordemur ex superveniente psalmorum meditatione quid in nobis sit gestum, aut quotidianis incursibus fiat; sicque psallendo reminiscamur quid nobis intulerit negligentia nostra, aut quid diligentia nostra profecerit, quid providentia divina contulerit, quid suggestio hostis abstulerit, quid oblivio lubrica ac subtilis subtraxerit, quid fragilitas humana induxerit, aut qualiter improvida ignorantia fefellerit nos. Omnes namque affectus istos invenimus in psalmis expressos, ut efficacius cognoscamus quæ nobis contigerint, intuentes ea in psalmis tanquam in purissimis speculis; sicque eruditi affectibus propriis tanquam magistris, palpemus ea non quasi audita, sed tanquam exercitata, parturiamusque ea ex interno cordis affectu, non velut memoriæ commendata, sed tanquam insita nobis ac rerum naturis, ut penetremus sensum eorum non textu lectionis, sed experientia præcedente. Sic quoque mens nostra perveniet ad illam orationis integritatem ad quam ordo collationis, quam Deus dare dignatus est, ascendit in superiori tractatu : quæ oratio non solum occupatur nulla imagine, imo nec ulla vocis aut verborum prosecutione distinguitur aut profertur, sed ignita mentis intentio effunditur per ineffabilem cordis excessum cum inexplicabili alacritate interna; quam orationem mens extra omnes sensus visibilesque materias facta, fundit ad Dominum gemitibus suspiriisque inenarrabilibus.

CAPITULUM XII.

Interrogatio, qualiter spirituales cogitationes immobiliter teneantur.

GERMANUS : Putamus nobis satis lucide et aperte expressam non solum spiritualem doctrinam quam petebamus, sed ipsam quoque perfectionem. Quid enim potest esse perfectius sive sublimius, quam tam compendiosa meditatione complectere seu apprehendere jugem Dei memoriam, atque unius versiculi revolutione a cunctis visibilibus elevari, ac brevi sermone concludere cunctos orationum affectus ? Idcirco precamur nobis declarari adhuc unum quod restat : qualiter scilicet possimus stabiliter retinere præfatum versiculum quem nobis pro formula tradidisti, ut sicut per gratiam Dei jam liberati sumus a sæcularium cogitationum ineptiis, ita spirituales cogitationes immobiliter retineamus.

CAPITULUM XIII.

De mobilitate cogitationum.

QUUM enim mens nostra conceperit versum alicujus psalmi, mox versu illo insensibiliter de memoria lapso, stupens nesciensque devolvitur ad scripturam et textum psalmi alterius : quam quum cœperit recogitare, nondum ea in-

tegre contemplata, incidit memoria alterius testimonii ex Scripturis, quæ primam excludit; et rursus de ista transfertur ad aliam, meditatione alia subintrante. Sicque animus semper rotatus ac tractus de psalmo ad psalmum, de Evangelio ad Epistolas S. Pauli, et inde ad Prophetarum eloquia, atque de illis ad spirituales historias, instabilis et vagus jactatur per totum corpus Scripturæ, nihil valens abjicere aut tenere juxta arbitrium suum, nec potens quidquam finire pleno judicio atque examine, factus tantummodo palpator ac degustator, non generator aut possessor spiritualium sensuum. Sic quoque mens vaga et mobilis distrahitur per diversa etiam in synaxi, ita ut nullum Officium competenter persolvat. Verbi gratia, dum orat, recolit psalmum aut aliquam lectionem ; dum psallit, aliud meditatur quam quod continet psalmus; quum legit, revolvit aut cogitat aliquid faciendum, aut reminiscitur factum : et ita hoc modo nihil recipitur aut dimittitur disciplinate ac opportune; sed agi ac moveri videtur velut fortuitis incursibus, non habens potestatem retinendi ea quibus delectatur, vel immorandi eisdem. Necessarium ergo est nobis præ omnibus scire, qualiter valeamus spiritualia ista Officia competenter explere, versiculumque prædictum immobiliter custodire, ut origo et finis spiritualium sensuum propria volubilitate non fluctuent, sed in nostra ditione seu potestate consistant.

CAPITULUM XIV.

Qualiter stabilitas cordis seu cogitationum possit acquiri.

ISAAC : Quamvis ad ista sufficienter responderimus vobis in prima collatione (ut reor), ubi de statu orationis contulimus; tamen quoniam postulatis hæc eadem vobis nunc iterari, breviter insinuabo aliquid de confirmatione cordis. Tria sunt quæ mentem vagam faciunt stabilem : vigiliæ, meditatio, et oratio. Quæ aliter nequeunt apprehendi, nisi universæ sollicitudines vitæ præsentis fuerint abdicatæ per infatigabilem exsecutionem operum deditorum usibus sacris cœnobii, non avaritiæ, ut ita possimus apostolicum illud præceptum implere : Sine intermissione orate. Parum enim orat, qui illo tempore tantum orare consuevit, dum genua flectuntur; nunquam vero orat, quicumque etiam genibus flexis distrahitur qualicumque cordis vagatione. Ideo quales volumus inveniri in oratione, tales nos esse oportet tempore præcedente : quia necesse est mentem in tempore orationis formari ex statu et actu præhabito, ita quod orantem oportet ad cœlestia sublimari, vel ad terrena demergi, per cogitationes quibus ante orationem mens fuerit immorata.

I Thess. v. 17.

Hucusque abbas Isaac fecit nobis attonitis secundam collationem de qualitate orationis. Cujus doctrinam valde mirantes, quam tradidit nobis servandam de meditatione præfati versiculi, et eamdem doctrinam cupientes tenacissime exercere, utpote quam compendiosam ac facilem credebamus, experti sumus eam satis difficiliorem esse ad observandum, quam studium illud quo antea solebamus varia meditatione passim discurrere per totum corpus Scripturæ, absque vinculo perseverantiæ alicujus in uno. Constat itaque neminem excludi a perfectione propter imperitiam litterarum, nec rusticitatem obesse ad capessendam ac obtinendam cordis ac animæ puritatem, quæ compendiosissime adjacet cunctis, si sanam et integram mentis intentionem servent ad Deum jugi meditatione versiculi hujus.

LIBRI SECUNDI
COLLATIONUM SS. PATRUM
TRANSLATIO

D. DIONYSII PRÆFATIO

TRAHITUR sapientia de occultis, sicut ait Scriptura : Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Nam et fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis : quod utique Verbum Deus est, ut habetur Joannis primo. Porro Deus omni secreto exstat secretior, cui loquitur beatissimus Isaias : Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel. Omni ignoto ignotior, quantum ad quid est : siquidem, Deum nemo vidit unquam, et ipse solus lucem habitat inaccessibilem. Omni incomprehensibili incomprehensibilior : Ecce enim Deus magnus vincens scientiam nostram; digne eum invenire non possumus, et investigari non potest : ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. De quo Proverbiorum tricesimo Salomon ait : Quod nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti ? Jeremias quoque propheta : Magnus, inquit, consilio et incomprehensibilis cogitatu. Deus itaque est primum et summum illud occultum, de quo trahitur, obtinetur, hauritur, infunditur sapientia : Deus namque dat sapientiam; et ex ore illius scientia et prudentia. Ideo Jacobus monet apostolus : Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei; et Psalmista, Accedite ad eum, et illuminamini. Insuper sunt alia multa occulta creata, de quibus suo modo trahitur sapientia. Trahitur namque ex angelicorum spirituum illuminationibus et inspirationibus, ex profundis considerationibus, ex naturis et proprietatibus rerum, ex dispositione et ordine universi, de cordibus eruditorum, de locis obscuris ac difficilibus voluminibus Scripturarum atque multiplici expositione earum, de libris quoque ecclesiasticorum Doctorum, in quibus sententiarum sublimitas et stili difficultas sunt duo occulta, quæ plerumque legentem et audientem a fructu et intellectu lectionis impediunt. Interdum vero non est difficultas aut profunditas magna in sensu librorum quorumdam, quamvis stilus eorum difficultatibus involvatur, et legenti ac audienti laborem pariat ad intelligendum. Inter hujuscemodi autem libros reputantur ac eminent volumina illustrissimi patris præcipuique doctoris omnium religiosorum, Joannis Cassiani. Idcirco ut de occultis illis trahatur facilius et item delectabilius sapientia salutaris, intendo hunc secundum librum Collationum Patrum ab ipso obscuro stilo conscriptum, ad stilum transferre facillimum : instigatus et quasi compulsus ad hoc motivis tactis in prologis aliorum duorum voluminum præfati Cassiani abbatis, quæ simili modo ad planissimum transposui stilum, quantum in libris illis fieri potuit, in quibus ob varias determinationes interpositas et permixtas, manet interdum aliquantula forsitan difficultas stili aut sensus, seu utriusque.

Job XXVIII, 18. *Eccli.* I, 1, 5. *Joann.* I, 1. *Is.* XLV, 15. I *Joann.* IV, 12. I *Tim.* VI, 16. *Job* XXXVI, 26; XXXVII, 23, 24. *Prov.* XXX, 4. *Jer.* XXXII, 19. *Prov.* II, 6. *Jacob.* I, 5. *Ps.* XXXIII, 6.

LIBRI SECUNDI

COLLATIONUM SS. PATRUM

TRANSLATIO

PROLOGUS

IN SEPTEM COLLATIONES PATRUM IN THEBAIDIS EREMO CONSISTENTIUM.

QUUM multi Sancti qui erudiuntur vestro exemplo, o sancti Fratres, Honorate et Eucheri, vix queant imitari vestram perfectionem, qua in hoc mundo præfulgetis admirabili claritate velut quædam luminaria magna; attamen tanta virtute inflammamini ex consideratione virorum illorum sublimium a quibus accepimus prima anachoreticæ vitæ statuta, ut unus vestrum, præsidens Fratrum cœnobio, optet congregationem suam, quæ docetur quotidiano vestræ sanctæ conversationis intuitu, regulari atque institui præceptis Patrum illorum; porro alter vestrum voluerit visitare Ægyptum, ut ædificaretur corporali eorumdem Patrum adspectu, quatenus derelinquens provinciam istam torpentem rigore frigoris Gallicani, transvolaret instar castissimi turturis ad terras illas quas Sol justitiæ respicit proxime, maturis virtutum fructibus abundantes. Hinc caritas extorsit a me, ut consulens fervori unius ac labori alterius, non vitarem tam apertum scribendi periculum, dummodo auctoritas addatur primo vestrum apud filios quibus præest, et secundo vestrum auferatur tam periculosæ navigationis necessitas. Insuper, quoniam Instituta Patrum, quæ conscripsimus libellis duodecim ad beatæ memoriæ Castorem episcopum, et decem Collationes Patrum in eremo Scythi degentium, quas descripsimus præcipientibus sanctis episcopis Elladio atque Leontio, non potuerunt satisfacere fervori fidei vestræ : idcirco ut nunc agnoscatur ratio nostri itineris, decrevi vobis esse consecrandas ac deputandas septem Collationes trium Patrum primorum quos vidimus in alia eremo commorantes, pari stilo

descriptas, per quas suppleantur ea quæ de perfectione omissa sunt, aut obscurius introducta in præfatis nostris opusculis. Denique si ista nequiverint satiare sitim studii vestri, aliæ septem Collationes mittendæ sanctis Fratribus habitantibus in Stœchadibus insulis, adimplebunt (ut arbitror) desiderium vestri ardoris.

COLLATIO XI

(Abbatis Chæremonis prima)

DE PERFECTIONE, SIVE DE PERFECTIS.

CAPITULUM PRIMUM.

De oppido Thenneso.

QUANDO eramus in cœnobio Syriæ, et cœpissemus majorem perfectionis gratiam desiderare, succedentibus aliqualiter incrementis post prima fidei rudimenta, proposuimus statim Ægyptum accedere ac remotissimam eremum Thebaidis penetrare, et visitare ibidem plurimos sanctos Patres quorum perfectionem et gloriam diffuderat fama in omni terra, quos volebamus invisere si non studio imitandi, saltem desiderio cognoscendi. Itaque navigatione peracta, pervenimus ad urbem Ægypti Thennesum nomine, cujus habitatores undique includuntur mari aut stagno salis, ita ut dediti ac intenti navigationibus tantum, eo quod terra eis desit, opes substantiamque procurent navali commercio, quia terra non suppetit ædificiis construendis, quum ædificare voluerint, nisi apportetur navigiis de longinquo.

CAPITULUM II.

De Arthebio episcopo.

ADVENIENTES autem ad urbem præfatam, invenimus ibi, Deo favente,
Cf. p. 67 C. beatissimum atque præcipuum virum Arthebium præsulem, qui ab ordine A anachoretarum assumptus et raptus fuit ad episcopatum oppidi jam prædicti, et cum tanta districtione custodivit propositum ac statuta anachoreticæ vitæ omni tempore sui episcopatus, quod nihil laxaverit de pristinæ suæ humilitatis observantia et rigore, nec de honore pontificii ei adjecto blanditus est sibi, nec extulit se. Nec enim reputavit se assumptum ad tantum officium quasi idoneum, sed conquerebatur se a disciplina et observatione anachoreticæ institutionis expulsum, eo quod tri- B ginta septem annis in solitudine conversatus, nondum obtinuisset perfectionem ac puritatem tantæ professionis. Quum ergo sanctus vir iste nos humanissime suscepisset in civitate prænominata, ad quam venerat causa episcopi eligendi, et agnovisset desiderium nostrum quo cupiebamus inquirere sanctos Patres etiam in remotioribus Ægypti partibus, dixit: Venite, interimque videte senes commorantes non longe a monasterio nostro, quorum antiquitas ita apparet in incurvatis eorum C corporibus, quorum et sanctitas sic resplendet in vultu eorum, ut solus eorum adspectus possit magnam conferre utilitatem atque doctrinam cunctis eos videntibus; a quibus potestis addiscere exemplo potius sanctæ vitæ quam verbis, perfectionem quam me doleo perdidisse, nec valeo perditam vobis jam tradere. Denique credo insufficientiam et inopiam meam

hoc conatu aliqualiter sublevandam, si A providero vobis ubi commodius reperiatis evangelicam margaritam quam quæritis, qua carere me fateor. (Matth. xiii, 46.)

CAPITULUM III.

Descriptio eremi in qua morabantur sancti patres Chæremon, Nesteros et Joseph.

Quum itaque accepissemus peram et baculum, ut ibi moris est monachis universis viam arripientibus, beatus Arthebius perduxit nos ad civitatem suam Panephysim. Cujus terram ac plurimam regionis contiguæ partem quondam opulentissimam (ex qua, ut fertur, subministrabantur omnia regia fercula), quæ et repentino terræ motu fuit excussa, operuit mare limites suos egressum, occupavitque salsis paludibus terras illas olim tam uberes, omnibus pene vicis collapsis; ut putent inhabitatores illius provinciæ ad litteram dictum esse de regione illa, quod C ait Psalmista: Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea. (Ps. cvi, 33, 34.) In his igitur locis, inundatio fecit multa oppida in eminentioribus tumulis sita insulas esse, quæ præbent solitudinem desideratam sanctis viris hunc mundum fugientibus: in quibus morabantur tres antiquissimi anachoretæ, videlicet Chæremon, Nesteros et Joseph.

CAPITULUM IV.

De abbate Chæremone, et excusatione ejus ab exhibitione informationis.

Beatus ergo Arthebius primo perduxit nos ad Chæremonem, quia propinquius habitavit, aliisque duobus senior fuit. Nempe quum alacer spiritu, esset magis quam centum annorum, dorsum ejus sic fuerat incurvatum præ senio et assiduitate orationum, ut quasi in primævam redactus infantiam, progrederetur tenens terram submissis protentisque manibus. Cujus admirabilem vultum et incessum pariter intuentes, qui in tanta ætate non reliquit præteritam et assuetam districtionem, rogavimus eum ut verbum instructionis et exhortationis faceret nobis, protestantes nos venisse ad eum propter hanc causam. Qui graviter ingemiscens, respondit: Quid doctrinæ possum vobis conferre, cui infirmitas corporis ita abstulit opem B loquendi, sicut relaxavit rigorem pristinum conversandi? Qualiter enim audebo docere quod ego ipse non facio? Aut quomodo in his alium informabo quæ scio me aut minus aut tepidius exercere? Propter quam causam non permisi mihi cohabitare aliquem juniorem usque in hanc ætatem, ne alterius districtio laxaretur meo exemplo. Nunquam enim auctoritas instruentis efficax erit, nisi doctrinam suam affixerit animo audientis effectu proprii operis.

CAPITULUM V.

Responsio nostra ad excusationem ipsius.

Ad hæc compuncti confusione non mediocri, respondimus: Quamvis nobis sufficere possit ad omnem instructionem difficultas loci istius, aut solitaria vita in senio tanto, quam robusta juventus vix tolerat, quæ utique instruunt et compun- D gunt nos valde; rogamus tamen, ut taciturnitate paulisper relicta, instruas nos dignanter ea per quæ valeamus perfectionem quam videmus in te, complecti admiratione magis quam imitatione. Nam etsi tepor noster, tibi forsitan revelatus, hoc impetrare non promeretur, debet hoc obtinere saltem labor tanti itineris, quoniam desiderio vestræ informationis et amore nostri profectus properavimus huc a loco ac rudimentis cœnobii nostri in Bethlehem.

CAPITULUM VI.

Responsio Chæremonis, quod vitia tribus modis vincantur.

TUNC beatus Chæremon dixit : Tria sunt quæ faciunt a vitiis abstinere. Primum est metus gehennæ, aut pœnarum vitæ præsentis quas inferunt leges ; secundum est spes seu desiderium regni cœlestis ; tertium est affectus ipsius boni, seu amor virtutum. Nam timor Dei legitur exsecrari contagium culpæ, quemadmodum scri- B
Prov. viii, 13. ptum est : Timor Dei odit malitiam. Præterea spes excludit omnium vitiorum in-
Ps. xxxiii, 23. cursum : Non enim delinquent omnes qui sperant in eo. Amor quoque non me-
I Cor. xiii, 8. tuit vitiorum ruinam : Quia caritas nun-
I Petr. iv, 8. quam cadit ; et iterum, Caritas operit multitudinem peccatorum. Hinc beatus Apostolus comprehendit totam nostram salutem in consummatione harum trium
I Cor. xiii, 13. virtutum, dicendo : Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc. Fidès namque est quæ facit vitare contagia pecca- C torum metu futuri judicii ac suppliciorum; spes vero est quæ mentem nostram de præsentibus avocans, contemnit universas corporis voluptates exspectatione cœlestium præmiorum ; caritas est quæ mentis ardore succendit nos ad Christi amorem ac spiritualem fructum virtutum, et facit nos toto odio detestari quidquid illis contrarium est. Quæ tria quamvis videantur ad unum tendere finem, quia inducunt nos ad abstinendum a rebus illicitis, distant tamen ab invicem magnis D gradibus dignitatis. Nam duo priora, videlicet declinare mala ex metu pœnarum et facere bona intuitu præmiorum, ad illos homines proprie pertinent qui nondum conceperunt affectum virtutum ; tertium autem est specialiter Dei, et eorum qui reformaverunt in se imaginem et similitudinem ejus. Deus etenim operatur ea quæ bona sunt, solo bonitatis affectu, non metu aut aliqua remunerationis gratia provocante, quemadmodum Salomon
A ait : Omnia propter se ipsum operatus est Prov. xvi, 4.
Dominus. Intuitu quippe propriæ bonitatis largitur dignis et indignis copiam omnem bonorum, quia nec fatigari potest injuriis, nec passibiliter commoveri hominum culpis, sed permanet semper in se bonitas prorsus perfecta immutabilisque natura.

CAPITULUM VII.

Quibus gradibus ascendatur ad apicem caritatis, et quæ stabilitas sit in ea.

QUI igitur tendit ad perfectionem, transcendat de primo illo gradu timoris, qui proprie est servilis, de quo dicitur :
Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt Luc. xvii, 10.
vobis, dicite, Servi inutiles sumus ; transcendat, inquam, proficiendo ad altiorem tramitem spei, qui comparatur mercenario, et non servo, quia mercedem retributionis exspectat, et quasi securus de peccatorum absolutione ac pœnali timore, et conscius sibi de bonis operibus, licet præstoletur præmium operum Deo placentium, nondum tamen pervenit ad filialem illum affectum, qui de liberalitate indulgentiæ paternæ confidens, non dubitat esse sua omnia quæ sunt patris. Ad quem gradum adspirare non audet prodigus ille qui perdidit nomen filii cum substantia patris ;
propter quod dixit : Non sum dignus vo- Ibid. xv, 19.
cari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis. Reversus equidem ad se ipsum post siliquas illas porcorum quarum satietas ei non præstabatur, id est post sordes et escas vitiorum, compunctus salutari timore, cœpit jam abhorrere immunditiam illam porcorum, et diræ mortis formidabat supplicia, quasi factus jam servus. Cogitans quoque de mercede mer-
cenarii, ex desiderio dixit : Quanti merce- Ibid. 17-19.
narii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ! Revertar ergo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis.

CAPITULUM VIII.

Quod caritas non solum faciat filios, sed etiam conferat imaginem et similitudinem Dei.

AD vocem autem tam humilis pœnitentiæ pater prosiliens in occursum illius, motus pietate, promisit ei majora quam perdidit; nec contentus dare minora, reddidit ei dignitatem pristinam filiorum, transcurrens celeriter gradum servorum ac mercenariorum. Festinare ergo debemus ut ascendamus per indissolubilem gratiam pietatis ad gradum filiorum, qui credunt sua esse omnia quæ sunt patris, sicque mereamur recipere imaginem ac similitudinem Patris cœlestis, atque ad imitationem veri et unigeniti Filii dicere valeamus : Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Quod de nobis affirmat Apostolus, dicens : Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura; omnia vestra sunt. Ad quam similitudinem præcepta etiam Christi nos excitant : Estote (inquit) perfecti, sicut et Pater vester perfectus est. In servis namque et mercenariis affectus bonitatis solet aliquando interrumpi, dum vigor animi relaxatus tepore aut delectatione, deponit ad tempus metum gehennæ aut desiderium æternorum. Estque in illis gradus cujusdam profectus, nos instruens ut dum vitia declinare incipimus metu pœnarum aut spe præmiorum, transire possimus ad gradum et apicem caritatis, quia ut ait Scriptura : Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus Deum quia Deus prior dilexit nos. Non enim aliter ascendere ad veram perfectionem poterimus, nisi Deum diligamus nullo intuitu alio nisi obtentu sui amoris, seu propter propriam bonitatem et amabilitatem ipsius, quemadmodum ipse dilexit nos nullius alterius rei gratia nisi nostræ salutis causa. Quamobrem studere debemus ut perfecto mentis ardore scandamus de timore isto ad spem, de spe ad caritatem ac virtutum amorem, et transmigrantes ac transformati in ipsius boni affectum, immobiliter teneamus quod bonum est, quantum exstat possibile naturæ humanæ.

Joann. XVI, 15. I Cor. III, 22. Matth. V, 48. I Joann. IV, 18, 19.

A B C D

CAPITULUM IX.

Quantum excellant qui per caritatis affectum declinant a vitiis.

MULTUM etenim differt inter eum qui exstinguit in se vitiorum incendia metu gehennæ aut spe retributionis æternæ, et inter eum qui malitiam immunditiamque abhorret affectu caritatis divinæ, puritatemque possidet solum amore ac desiderio caritatis; et efficit bona non jam adspiciens remunerationem futuræ promissionis, sed delectatus conscientia tantum boni præsentis, non consideratione pœnarum, sed delectatione virtutum. Talis enim non potest abuti occasione facultatis peccandi, neque per occultas cogitationes delectationibus violari, etiam si nullus hominum adsit, dum medullitus retinens affectum ipsius virtutis, non solum non recipit, verum etiam horrore maximo detestatur quidquid virtuti contrariatur. Aliud namque est quempiam delectatum præsenti bono virtutum odire contagia vitiorum ac carnis, aliud illicitas concupiscentias refrenare intuitu remunerationis futuræ; aliud quoque est præsens detrimentum metuere, aliud futurum supplicium formidare. Postremo multo perfectius est propter ipsum bonum nolle a bono discedere, quam propter metum mali non præbere consensum malis. In illo quippe voluntarium bonum est, in isto autem quasi coactum, et tanquam violenter a nolente extortum metu supplicii cupiditateve præmii. Qui enim a blandimentis abstinet vitiorum ex metu, rursus redibit ad malum quod diligit, sublato

timore, et non obtinebit stabiliter bonum virtutis, nec requiescet ab impugnatione tentationum, quia non possidebit firmam ac incessantem castimoniæ pacem. Nam ubi fuerit inquietudo bellorum, necesse est intervenire discrimina vulnerum. Necesse est enim quemlibet positum in conflictu interdum tangi gladio inimici, quamvis bellator sit ac fortiter dimicans, atque mortifera vulnera frequenter infligat adversariis suis. Porro si impugnatione vitiorum devicta, perfruitur pacis securitate, et in affectum virtutis transivit, jugiter retinebit statum boni illius honesti, cujus ipse jam totus est : quoniam credit nihil esse damnosius damno caritatis internæ, nec judicat aliquid carius aut pretiosius esse præsenti puritate quam habet ; idcirco gravissima pœna est sibi perniciosa virtutum transgressio, ac virulenta peccati contagio. Hinc reverentia humanæ præsentiæ nihil honestatis adjiciet ei, nec solitudo quidquam inde diminuet, sed ubique secum portans conscientiam suam arbitram seu judicem non solum actionum, sed etiam cogitationum suarum, contendet præcipue illi placere quem scit se nec subterfugere posse nec fallere.

CAPITULUM X.

Quod perfectio caritatis sit orare pro inimico, et quo signo noscatur animam nondum esse purgatam.

Quem statum perfectionis, si quis præsumens de adjutorio Dei, non de labore studii sui, meruerit possidere, transire incipiet de conditione servili in qua timor est, et de mercenaria spei cupiditate, in qua expetitur non tam bonitas largientis quam præmium retributionis, in filiorum adoptionem, in qua non timor
I Cor. XIII, 8. neque cupiditas, sed caritas nunquam excidens jugiter perseverat. De quo timore et caritate Dominus quosdam increpans,
Malach. I, 6, juxta LXX. pandit quid cui conveniat, dicens : Filius honorat patrem, et servus timet dominum suum ; et si pater ego sum, ubi est honor meus ? Necesse enim est servum timere, quia si sciens voluntatem domini Luc. XII, 47.
sui, non fecerit digna, plagis multis vapulabit. Quicumque itaque per hanc caritatem ad Dei imaginem similitudinemque pervenerit, delectabitur bono propter voluptatem et dignitatem ipsius boni, et deiformem quodammodo possidens affectum patientiæ ac lenitatis, non irascetur deinceps ullis peccantium vitiis, sed potius condolens infirmitati eorum, implorabit veniam ipsis. Reminiscens quoque se ipsum tamdiu impugnatum stimulis similium passionum, donec salvaretur miseratione divina, nec ereptum se esse proprio studio ab impugnatione carnali, sed protectione Dei salvatum, intelligit non iracundiam, sed misericordiam esse errantibus impendendam, atque cum omni cordis tranquillitate Deo decantat : Dirupisti vin- Ps. CXV, 16, 17.
cula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis ;
et, Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo Ps. XCIII, 17.
minus habitasset in inferno anima mea.

In hac quoque mentis humilitate persistens, poterit adimplere illud evangelicæ perfectionis mandatum : Diligite inimicos Luc. VI, 27, 35.
vestros, benefacite, etc. ; ac per hoc pervenire merebimur ad præmium quod subjungitur, per quod non solum portabimus imaginem et similitudinem Dei in nobis, sed etiam filii Dei erimus atque vocabimur. Unde ait Salvator : Ut sitis filii Patris Matth. V, 45.
vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Quem affectum B. Joannes apostolus sciens se assecutum : Ut fiduciam, inquit, habeamus in die ju- I Joann. IV, 17.
dicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. In quo enim infirma fragilisque natura humana, esse potest sicut ille (videlicet Deus) est, nisi ad imitationem Dei semper extendendo placidam sui cordis caritatem in bonos et malos, justos et injustos, operandoque bonum propter amorem boni ? ut ita pertingat ad veram illam filiorum Dei adoptionem, de qua ait idem Joannes apostolus : Omnis qui natus est Ibid. III, 9.

ex Deo, non peccat, quia semen ipsius in A
eo est, et non potest peccare, quia ex Deo
I Joann. v, 18. natus est; et iterum, Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. Quod non est intelligendum de omni genere peccatorum, sed de capitalibus tantum criminibus. A quibus qui non voluerit se extrahere et purgare, prohibet idem Apostolus orari pro eo, di-
Ibid. 16. cens : Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita non peccanti ad mortem. Sed est B
peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis. Ceterum de illis peccatis quæ non sunt ad mortem, a quibus immunes esse non queunt qui Christo fideliter serviunt, quantumcumque magna circumspe-
Ibid. i, 8. ctione se ipsos custodiant, dicitur : Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Impossibile enim est quemquam sanctorum in sæculo isto non incurrere ista minuta peccata quæ admittuntur per sermonem, cogitationem, oblivionem, igno- C
rantiam, necessitatem, voluntatem aut subreptionem : quæ quamvis aliena sint a peccato ad mortem, carere tamen non possunt reprehensione et culpa.

Dum ergo quis fuerit adeptus præfatum bonitatis affectum imitationemque Dei, tunc indutus viscera longanimitatis divinæ, orabit cum Christo pro persecutori-
Luc. xxiii, 34. bus propriis, dicens : Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. Ceterum evidens signum animæ nondum purgatæ, necdum eliquatæ fæcibus vitiorum, est in D
alienis criminibus non misericorditer condolere, sed rigidam judicantis censuram tenere. Qualiter enim poterit obtinere cordis perfectionem, qui non habet id quod Apostolus insinuavit posse implere legem:
Galat. vi, 2. Alter (inquiens) alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi? Nec habet
I Cor. xiii, 4, 5, 7. illam caritatis virtutem, quæ non irritatur, non inflatur, non cogitat malum, quæ om-
Prov. xii, 10. nia suffert, omnia sustinet, etc. Justus autem miseretur animabus peccatorum, viscera autem impiorum crudelia. Idcirco certissimum est, monachum vitiis subjacere eisdem quæ inclementi et inhumana severitate condemnat in alio. Rex enim rigidus ruit in maculam; et qui obturat aures suas ne audiat infirmum, ipse invocabit, et non erit qui exaudiat eum. Prov. xiii, 17, juxta LXX. Ibid. xxi, 13, juxta LXX.

CAPITULUM XI.

Interrogatio, cur dixerit affectum timoris et spei esse imperfectum.

GERMANUS : Potenter atque magnifice disseruisti de caritate Dei perfecta; verumtamen illud nos movet, quod dum caritatem tam eminenter laudasti, dixisti timorem Dei et spem retributionis æternæ esse imperfectam, quum Propheta videatur multo aliter sensisse de eis : Timete Ps. xxxiii, 10.
(inquiens) Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Et rursus fatetur se exercitatum in observandis justificationibus Dei intuitu retributionis, dicendo : Inclinavi cor meum ad fa- Ps. cxviii, 112.
ciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Apostolus quoque ait : Fide Moyses grandis factus negavit se Hebr. xi, 24-26.
esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi : adspiciebat enim in remunerationem. Qualiter ergo timor et spes imperfecta consistunt, quum beatus David glorietur se fecisse justificationem Dei propter retributionem, et præmia futura Moyses adspiciens, dicatur sprevisse adoptionem regiæ dignitatis, ac prætulisse afflictionem durissimam thesauris Ægyptiorum?

CAPITULUM XII.

De diversitate perfectionum.

CHÆREMON : Scriptura divina excitat et hortatur nostri arbitrii libertatem ad gradus perfectionum diversos, juxta

mensuram, dispositionem et statum cujuslibet mentis. Nec enim uniformis corona aut forma perfectionis poterat universis proponi, sicut nec omnium una est virtus, una voluntas, aut idem fervor; ideo sermo divinus instituit diversos ordines variasque mensuras perfectionum. Quod verum esse evidenter ostendit diversitas octo beatitudinum in Evangelio positarum. *Matth.* v, 3-6. Licet enim beati dicantur quorum est regnum cœlorum, et beati qui possidebunt terram, et beati qui consolabuntur, et item qui saturabuntur; multum tamen credimus interesse inter habitationem regni cœlorum et possessionem terræ, quæcumque sit illa; inter perceptionem quoque consolationis et inter plenitudinem saturitatemque justitiæ. Multum etiam distat inter eos qui misericordiam consequentur, et inter illos qui perfruentur visione gloriosissima Dei : *I Cor.* xv, 41, 42. Alia enim est gloria seu claritas solis, alia lunæ, aliaque stellarum; stella enim a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum.

Quum ergo Scriptura divina juxta hunc modum laudet timentes Deum, dicendo, *Ps.* cxxvii, 1. Beati omnes qui timent Dominum, atque per hoc eis promittat beatitudinem plenam, *I Joann.* iv, 18. nihilo minus iterum dicit : Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate. Præterea quum gloriosum sit Deo servire, et scriptum sit : *Ps.* ii, 11. Servite Domino in timore; et, *Is.* xlix, 6, juxta LXX. Magnum tibi est vocari servum meum; itemque, *Luc.* xii, 43. Beatus est servus ille, quem quum venerit dominus suus, invenerit ita facientem; *Joann.* xv, 15. tamen ad Apostolos dicitur : Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis; *Ibid.* 14. et denuo, Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.

Videtis ergo diversos esse gradus perfectionum, et quod incitemur a Deo de excelsis ad excelsiora : ita ut is qui beatus et perfectus in Dei timore exstiterit, ambulans, sicut scriptum est, *Ps.* lxxxiii, 8. de virtute in virtutem, et de perfectione una in aliam, utpote alacri mente ascendens de timore ad spem, invitetur iterum ad statum beatiorem, videlicet caritatem; *Matth.* xxiv, 45. et qui fuerit servus fidelis et prudens, ascendat ad amicitiæ fidelitatem, adoptionemque filiorum. *Galat.* iv, 5. Itaque juxta hunc modum intelligenda est nostra sententia, non ut affirmemus considerationem pœnæ perpetuæ, aut remunerationis æternæ sanctis promissæ, esse nullius momenti; sed quoniam quum sint utiles et introducant sectatores suos ad felicitatis exordia, caritas, in qua sunt plenior fiducia gaudiumque perpetuum, assumit eos de servili timore et mercenaria spe ad dilectionem divinam, et transfert eos ad filiorum adoptionem, ac de perfectis quodammodo facit perfectiores. *Joann.* xiv, 2. Multæ quippe sunt mansiones apud Patrem meum, ait Salvator. Et quamvis omnes stellæ videantur in cœlo, magna tamen distantia est inter claritatem solis et lunæ, *I Cor.* xv, 41. atque luciferi stellarumque aliarum.

Idcirco beatus Apostolus præferens caritatem non solum timori et spei, sed cunctis quoque charismatibus, quæ mirifica sunt et magna, ostendit viam ipsius supra modum omnibus altiorem. Quum enim quasi completo spiritualium charismatum numero, describeret membra seu opera caritatis, ita præmisit : *Ibid.* xii, 31. Adhuc supra modum excellentiorem viam vobis demonstro. *Ibid.* xiii, 1-3. Si linguis hominum loquar et angelorum, et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Videtis ergo nihil inveniri pretiosius, perfectius, sublimius, et ut ita dixerim, nihil perennius caritate. *Ibid.* 8. Nam sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur, caritas autem nunquam excidet; sine qua evacuantur non solum

præclarissima et excellentissima illa charismatum genera, sed etiam martyrii gloria.

CAPITULUM XIII.

De timore qui nascitur ex magnitudine caritatis.

QUICUMQUE itaque fuerit in hujusmodi perfectione fundatus, necesse est ut gradu excellentiori ascendat ad sublimiorem illum caritatis timorem, quem generat magnitudo amoris, non tremor pœnarum nec præmiorum cupido : quo timore filius indulgentissimum patrem, frater fratrem, amicus amicum, seu conjux conjugem reveretur affectu sollicito, dum formidat non verbera aut convitia, sed et tenuem amoris ejus offensam ; attonita quoque pietate semper distenditur aut occupatur in omnibus non solum actibus, sed etiam verbis, ne fervor dilectionis quantumlibet modice tepescat circa dilectum. Cujus timoris magnificentiam Isaias eleganter expressit, dicendo [*Is.* xxxiii, 6.] : Divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus. Non potuit evidentius exprimere dignitatem ac meritum hujus timoris, quam ut diceret divitias nostræ salutis, quæ consistunt in vera sapientia Dei atque scientia, non posse conservari nisi et timore hoc filiali, ad quem invitantur Prophetarum eloquiis non peccatores, sed sancti, dicente Psalmographo : Timete Dominum, omnes sancti, quoniam nihil deest timentibus eum [*Ps.* xxxiii, 10.]. Qui enim metuunt Dominum hoc timore, certum est perfectioni eorum nihil deesse. Nam de illo timore pœnali Joannes apostolus evidenter testatur [I *Joann.* iv, 18.] : Qui timet, non est perfectus in caritate, quoniam timor pœnam habet. Magna ergo distantia est inter timorem hunc cui nihil deest, qui sapientiæ et scientiæ est thesaurus, et illum imperfectum, qui initium sapientiæ nuncupatur [*Ps.* cx, 10.], et qui pœnam in se habens, excluditur a cordibus perfectorum superveniente plenitudine caritatis [I *Joann.* iv, 18.] : Timor enim non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. Et revera, si principium sapientiæ in timore consistit, quæ erit ejus perfectio, nisi in caritate Christi, quæ continens in se metum perfectæ dilectionis, nuncupatur non jam principium, sed thesaurus sapientiæ atque scientiæ ?

Propterea duplex est gradus timoris. Unus incipientium, puta eorum qui adhuc sunt sub jugo et timore servili, de quo dicitur : Servus timet dominum suum [*Malach.* i, 6. juxta LXX.] ; in Evangelio quoque : Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus [*Joann.* xv, 15.]; et rursus, Servus non manet in domo in æternum [*Ibid.* viii, 35.]. Instruit enim nos Scriptura ut ab illo pœnali timore transeamus ad libertatem caritatis plenissimam, et ad amicorum ac filiorum Dei fiduciam. Insuper sanctus Apostolus, qui dudum transcenderat servilem timorem virtute caritatis divinæ, inferiora contemnens, fatetur se ditatum a Domino bonis majoribus, dicens : Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis [II *Tim.* i, 7.]. Unde hortatur eos qui flagrabant perfecta Patris cœlestis dilectione, quos et divina adoptio jam ex servis fecerat filios : Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater [*Rom.* viii, 15.]. Denique quum Propheta describeret septiformem illam Spiritus Sancti gratiam, quam certum est descendisse in hominem Christum secundum Incarnationis mysterium, et dixisset: Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis [*Is.* xi, 2.] ; novissime intulit de metu isto quasi præcipuum quoddam : Et replebit eum spiritus timoris Domini [*Ibid.* 3.]. Tanta namque est magnitudo ubertatis hujus timoris, ut quem semel sua virtute possederit, occupet mentem ejus totam, non partem. Nec immerito : nam timor iste cohærens caritati quæ non excidit, non solum replet, sed et perpetua jugitate possidet eum quem ceperit, non immoratus* ullis dele-

[*imminutus]

ctationibus lætitiæ temporalis aut voluptatum; quod memorato interdum evenit timori qui mittitur foras. Hic ergo est timor perfectionis quo Christus narratur fuisse repletus, qui venit non solum redimere genus humanum, sed etiam præbere formam perfectionis, exempla virtutum: servilem quippe timorem tormentorum habere non potuit verus Filius Dei, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius. (I Petr. II, 22.)

CAPITULUM XIV.

Interrogatio de consummatione castitatis.

GERMANUS: Quoniam sermo digestus est de perfectione caritatis, volumus etiam aliqua sciscitari liberius de fine castitatis. Scimus enim præcelsum illud caritatis fastigium, per quam ascenditur ad imaginem et similitudinem Dei, sicut hucusque expressum est, non posse subsistere sine castitatis perfectione; sed volumus edoceri utrum tam indesinentem atque perpetuam castitatem obtinere possimus, ut titillatio libidinis nunquam in- A festet seu pulset cordis nostri integritatem, et utrum in carne degentes, valeamus ita alienari ab hac passione carnali, ut nunquam uramur æstibus incentivorum.

CAPITULUM XV.

Dilatio expositionis propositæ quæstionis.

CHÆREMON: Summæ beatitudinis est ac meriti singularis, discere aut do- B cere istum affectum per quem Domino adhæremus, ut, juxta Psalmistam, meditatio ejus consumat omnes vitæ nostræ dies ac noctes, perpetua quoque ruminatione hujus cibi cœlestis sustentet mentem nostram insatiabiliter esurientem ac sitientem justitiam; sed juxta benignissimam Salvatoris nostri sententiam, providendum est etiam jumento corporis nostri, ne deficiat in hac via. Spiritus enim promptus est, caro autem infirma; quæ et nunc refocillanda est perceptione modici cibi, C quatenus post refectionem ipsius addatur mentis intentio ad indagandum diligentius ea quæ desideratis. (Ps. I, 2.) (Matth. XV, 32.) (Ibid. XXVI, 41.)

COLLATIO XII

(Abbatis Chæremonis secunda)

DE CASTITATE.

CAPITULUM PRIMUM.

Procemium.

QUUM senex sensisset nos exspectare debitum promissæ collationis, refectione transacta, quæ onerosa fuit potius quam jucunda nobis desiderantibus cibum instructionis, dixit : Grata nobis est non solum attonita mentis vestræ intentio ad discendum, sed etiam disciplina seu ordo propositæ quæstionis. Rationabilis namque ordo interrogationis a vobis ser- B vatus est. Necesse est enim ut immensa illa præmia perpetuæ castitatis sequantur plenitudinem tam excelsæ dilectionis seu caritatis, parque oriatur gaudium in tanta parilitate et conformitate palmarum. Tanta enim societate junguntur caritas ista et castitas, ut una sine altera esse non possit aut possideri. Hoc ergo quæstio vestra inquirit, utrum concupiscentiæ ignis, cujus ardorem sentit hæc caro insitum sibi, possit plene exstingui.

De quo quid beatus Apostolus senserit C primo diligenter scrutemur : Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram. (Coloss. III, 5.) Itaque antequam cetera investigemus, videamus quæ sint membra quæ mortificari præcepit. Non enim Apostolus nos compellit jussione crudeli ad abscisionem manuum, pedum, genitaliumve membrorum, sed cupit quantocius destrui zelo sanctitatis perfectæ corpus peccati, quod constat ex membris, de quo alibi loquitur : Ut destruatur corpus peccati. (Rom. VI, 6.) Quæ autem sit ejus destructio exponit, sub- D dendo : Ut ultra non serviamus peccato. (Ibidem.) A A quo etiam postulat liberari cum fletu, dicens : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. VII, 24.)

CAPITULUM II.

De corpore peccati et membris ejus.

HOC corpus peccati ex multis vitiorum membris constructum est, atque ad ejus pertinet partem quidquid peccatur verbo, opere, aut cogitatione. Cujus membra rectissime dicuntur esse super terram; nam qui utuntur eorum obsequio, non possunt veraciter dicere : Nostra conversatio in cœlis est. (Philipp. III, 20.) Hujus ergo corporis membra describens Apostolus in hoc loco: Mortificate, ait, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus. (Coloss. III, 5.) Primo itaque loco posuit fornicationem, quæ carnali commixtione perficitur. Secundum membrum vocavit immunditiam, quæ interdum obrepit et accidit dormientibus aut vigilantibus, absque contactu femineo, per incuriam mentis incircumspectæ; idcirco notatur et prohibetur in lege, quæ immundos quosque non solum privavit participatione seu esu carnium sacrarum, imo etiam jussit eos avelli a congregatione castrorum, ne contactu suo polluerent sancta, dicens : Anima quæ comederit de carnibus sacrificii salutaris (quod est Domini), in qua est immunditia, peribit coram Domino; et quidquid tetigerit immundus, immundum erit. (Lev. VII, 20, juxta LXX.) In Deuteronomio quoque legitur : Si fuerit inter vos homo (Deut. XXIII, 10, 11.)

qui nocturno pollutus sit somnio, egredi- A etur extra castra, et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua; et post solis occasum regredietur in castra. Deinde tertium membrum peccati ponit libidinem, quæ in interioribus animæ coalescens et crescens, potest alicui accidere absque corporis passione. Libido quippe dicta est ab eo quod libeat. Post hæc a majoribus vitiis ad minora descendens peccata, posuit quartum membrum, videlicet concupiscentiam malam; quæ referri potest non solum ad prædictam impu- B dicitiæ passionem, verum etiam ad omnes noxias cupiditates, estque ægritudo tantummodo voluntatis corruptæ, de qua in Evangelio asserit Christus: *Matth.* v, 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Etenim multo majus est etiam tunc refrenare desiderium lubricæ mentis, quum ei offertur occasio illecebrosi adspectus. Ex quibus manifestissime comprobatur solam castimoniam continentiæ corporalis non posse sufficere ad puritatis perfectionem, nisi C addatur ei integritas mentis. Post quæ omnia ponit ultimum præfati corporis membrum, utpote avaritiam; ostendens animum non solum esse reprimendum ab appetitu rerum alienarum, sed propria quoque magnanimiter esse spernenda. Hoc namque legitur in Actibus Apostolorum fecisse multitudo credentium, juxta illud: *Act.* IV, 32, 34. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; quotquot D enim possessores agrorum, etc. Denique ne ista perfectio videretur pertinere ad paucos, testatus est Apostolus avaritiam esse servitutem simulacrorum. Et merito: quicumque enim non communicat seu succurrit necessitatibus egenorum, et præcepta Christi postponit pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conservat, idololatriæ crimen incurrit, utpote præferens caritati divinæ amorem materiæ mundialis.

CAPITULUM III.

De mortificatione fornicationis et immunditiæ.

Si ergo vidimus multos abjecisse opes suas pro Christo, ita ut non solum absciderint de cordibus suis possessiones pecuniarum, sed item desiderium earumdem usque in finem, consequens est ut etiam credamus ardorem fornicationis posse exstingui. Non enim conjunxit Apostolus rem impossibilem cum re possibili, sed sciens utrumque esse possibile, docuit ambo mortificanda esse æqualiter. Imo beatus Apostolus confidebat in tantum fornicationem et avaritiam exstirpari posse de cordibus nostris, ut asserat eas debere non solum mortificari, verum etiam nec nominari: Fornicatio, inquiens, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. *Ephes.* v, 3, 4. Insuper docet ea esse æqualiter perniciosa ac excludentia nos a regno Dei, dicendo: Illud autem scitote, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei; *Ibid.* 5. item, Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. *I Cor.* VI, 9, 10. Postremo dubitari non debet quin contagia fornicationis et immunditiæ valeant aboleri de membris nostris, quia Apostolus mandavit ea non aliter abscindenda quam avaritiam, stultiloquium, scurrilitatem, ebrietatem ac furta, quæ faciliter amputantur.

CAPITULUM IV.

Quod labor humanus non sufficiat ad promerendam castimoniæ puritatem.

Pro certo tamen sciamus quod, quamvis subierimus omnem abstinentiæ districtionem, famem, sitim, vigilias, assi-

duosque labores et incessabile studium A lectionis, attamen merito horum laborum acquirere nequeamus perpetuam castimoniæ puritatem, nisi in exercitiis istis jugiter desudantes, doceamur per experientiam incorruptionem castitatis præstari largitate gratiæ Dei. Hinc unusquisque agnoscat debere se infatigabiliter perdurare in exercitiis istis solummodo propter hoc, ut per illorum afflictionem consecutus misericordiam Dei, mereatur divino munere liberari de impugnatione carnis atque dominio præpotentium vitiorum, B non ut confidat se per illa adepturum inviolatam hanc corporis castitatem quam cupit.

Tanto igitur desiderio et amore accendamur pro acquirenda hac castitate, quanto ardore optat desiderium suum impleri quicumque cupidissimus appetitor pecuniarum, aut summe ambitiosus, vel qui intolerabili fervet ardore mulieris formosæ : sicque fiet ut dum insatiabili cupiditate succendimur pro integritate perpetua, despiciatur desiderabilis cibus, horreat C potus, somnus quoque naturæ debitus respuatur, vel certe capiatur mente attonita et suspecta, tanquam deceptor et fraudulentissimus æmulus puritatis castitati contrarius ; sicque unusquisque effectus maturus examinator integritatis suæ, quotidie gaudeat de puritate sibi collata, et sentiat se eam adeptum non studio suo aut vigilantia, sed protectione divina ; intelligat quoque eam tamdiu suo corpori adhæsuram, quamdiu Deus sua miseratione contulerit et conservaverit eam. Qui D enim hanc fidem stabiliter obtinet, nequaquam superbus de sua virtute confidit, nec dissolvitur securitate blandissima, seductus longis induciis seu carentiis fœdi humoris, sciens se protinus maculandum effusione impurissimæ colluvionis, si protectio divina paululum quid ab ipso recesserit. Propter quod indefessis orationibus insistendum est pro omni perseverantia castitatis cum omni contritione humilitateque cordis.

CAPITULUM V.

De utilitate impugnationis quæ generatur fervore incentivorum.

VULTIS capere evidens argumentum hujus rei quam dicimus, per quod approbetis quæ dicta sunt, et doceamini pugnam hanc corporis, quæ videtur nobis esse inimica ac noxia, insitam esse utiliter membris nostris ? Considerate, quæso, spadones, quæ causa reddat eos præcipue tam desides ac remissos in virtutibus appetendis. Nonne quoniam credunt se non habere castitatis corrumpendæ periculum ? Quod tamen nemo putet me ita proposuisse, ut velim asserere nullum eorum posse inveniri qui ferveat abrenuntiatione perfecta, sed quia naturam suam quodammodo vincant, si forte aliqui eorum summa cordis districtione tendant ad prætactam perfectionem : cujus ardor ac desiderium facit eum quem semel accenderit, non solum patienter, sed item libenter sustinere famem, sitim, vigilias, nuditatem, et labores corporis universos. Vir enim in doloribus laborat sibi, et vim facit perditioni suæ ; et iterum : Animæ esurienti etiam amara dulcia esse videntur. Aliter namque desiderium et amor rerum præsentium non poterunt refrenari sive expelli, nisi pro istis affectibus noxiis, quos cupimus amputari, intromittantur aliæ affectiones salubres. Vivacitas etenim mentis nullatenus valet consistere absque affectione desiderii, seu timoris, vel mœroris, aut gaudii alicujus : quæ nisi refrenentur et regulentur in bonum, necesse est ea declinare in partem contrariam ac nocivam.

Prov. XVI, 26, juxta LXX.

Ibid. XXVII, 7, juxta LXX.

Ideo si desideramus concupiscentias carnales extrudere, plantemus protinus in earum locis voluptates spirituales, ut animus noster eis semper conjunctus, habeat bona quibus jugiter immoretur, respuatque illecebras præsentium ac temporalium gaudiorum. Quumque mens nostra quotidianis exercitiis erudita profecerit in hunc statum, statim concipiet experientia

instruente affectum illius versiculi, quem A omnes modulatione solita psallimus, sed non nisi pauci atque experti virtutem ejus *Ps. xv, 8.* percipiunt : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Solus quippe consequitur vim et intellectum carminis hujus, qui perveniens ad puritatem hanc animæ et corporis, de qua loquimur, intelligit se cunctis momentis conservari a Domino, ne rursus devolvatur et cadat ab ea, et dextras, id est operationes suas virtuosas, cognoscit indesinenter muniri a Deo. Dominus enim sanctis suis semper adsistit a dextris, non a sinistris, quia vir sanctus nihil habet sinistrum; a peccatoribus vero et impiis non videtur, quia non habent dextras illas quibus Deus consuevit adstare, nec possunt dicere cum Propheta : *Ps. xxiv, 15.* Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Quod nullus potest vere fateri, nisi qui universa quæ in hoc mundo sunt judicans noxia sive superflua, aut summis virtutibus inferiora, defixerit omnem intuitum, curam ac studium suum circa cordis sui cultum atque custodiam, castitatisque puritatem; sicque mens istis exercitiis depurata et spiritualibus profectibus expolita, perveniet ad completam animæ ac corporis sanctitatem.

CAPITULUM VI.

Quod patientia ardorem fornicationis exstinguat.

QUANTUM etenim quis profecerit in lenitate et patientia, tantum crescet in puritate; et quo longius repulerit iracundiæ passionem, tanto tenacius castimoniam obtinebit. Non enim ardores corporis evitabit, nisi qui ante represserit animi motus. Quod aperte declarat beatitudo ore *Matth. v, 4.* Christi laudata, qua dicitur : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Non ergo aliter possidebimus terram nostram : hoc est, non aliter rebellis terra corporis subdetur imperio animæ nostræ, nisi mens nostra fuerit prius roborata patientiæ lenitate; nec poterit quis reprimere libidinis bella adversus animam suam surgentia, nisi prius instruatur ac roboretur mansuetudinis armatura : mansueti enim *Ps. xxxvi, 11, 29.* possidebunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Porro qualiter obtinere ac possidere possumus hanc terram Psalmista docet, dicendo : Exspecta *Ibid. 34.* Dominum, et custodi viam ejus; et exaltabit te ut hereditate capias terram. Constat ergo neminem posse ascendere ad B istius terræ possessionem firmiter obtinendam, nisi illos dumtaxat qui per inviolabilem patientiæ lenitatem servant vi- *Ps. xvi, 4.* as Domini duras ac ejus præcepta, atque per hoc exaltati fuerint, Domino extrahente eos de cœno seu fæcibus carnalium passionum. Mansueti ergo possidebunt ter- *Ps. xxxvi, 11.* ram; nec solum possidebunt eam, sed etiam delectabuntur in multitudine pacis : qua nemo stabiliter perfruetur, in cujus carne adhuc bella concupiscentiæ suscitantur. Necesse est enim eum infe- C stari durissimis dæmonum præliis, et sauciatum ignitis luxuriæ stimulis, a possessione suæ terræ repelli, donec Dominus *Ps. xlv, 10.* auferat bella usque ad fines terræ ipsius, arcumque conterat, et confringat arma, et scuta comburat igne : illo videlicet quem Dominus venit mittere super terram, sic- *Luc. xii, 49.* que confringat arcus et arma quibus spirituales nequitiæ, dimicantes adversus eum diebus ac noctibus, confringebant cor ejus jaculis passionum ignitis. Et ita quum Dominus, bella conterens, liberaverit eum ab D omnibus incentivorum ardoribus, ad illum puritatis statum perveniet, ut confusione deposita qua horrebat se ipsum, id est carnem suam, dum impugnaretur ab ea, incipiat delectari in ipsa tanquam in tabernaculo quodam purissimo. Non enim *Ps. xc, 10.* accedet ad eum malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus; et ita per patientiam perveniet ad illud prophe- *Ps. xxxvi, 11.* ticum, ut merito mansuetudinis, non solum hereditet terram suam, verum etiam delectetur in multitudine paçis.

Porro ubi adhuc superest sollicitudo certaminis, non potest multitudo consistere pacis. Per quod ostenditur quod patientia sit efficacissima animæ medicina, juxta
Prov. xiv, 30, juxta LXX. illud Salomonis : Mansuetus vir cordis est medicus; ut non solum exstirpet passiones iræ, tristitiæ, acediæ, superbiæ, vanæ gloriæ, imo et libidinis ac omnium fomi-
Ibid. xxv, 15, juxta LXX. tem vitiorum. In longanimitate quoque, ut ait Salomon, prosperitas regni est. Qui enim semper mitis est ac tranquillus, nequaquam perturbatione iræ succenditur, neque anxietate acediæ ac mœroris consumitur, nec gloria vana distenditur, neque
Ps. cxviii, 165. superbiæ tumore sustollitur : pax enim multa diligentibus legem Dei, et non est illis scandalum. Propter quod merito ait
Prov. xvi, 32, juxta LXX. Scriptura : Melior est patiens viro forti, et qui continet iram capiente urbem. Multis ergo tentationibus oportet nos tentari, quibus mereamur obtinere hanc pacem firmam ac incessantem; et frequenter cum fletu et gemitu debemus repetere istos
Ps. xxxvii, 7, 8, 4. versiculos : Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, etc. Tunc enim competenter et vere plangemus, quando post longam nostri corporis puritatem, sperantes nos jam omnimode evasisse carnalia contagia, sentimus rursus insurgere contra nos stimulos carnis oblectationesque cordis, vel certe per illusionem somniorum impuritas pristinæ colluvionis adspergit nos. Quum enim quis cœperit diuturna cordis ac corporis puritate gaudere, necesse est ut dum putat se non posse devolvi ab hujuscemodi puritate, in
Ps. xxix, 7. se ipso glorietur, et dicat : Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum. Sed quum sibi ipsi relictus a Deo, utiliter senserit perturbari illum puritatis statum in quo sibimet confidebat, seque viderit vacillare ab illo spirituali successu, recurrat protinus ad integritatis auctorem, et propriam infirmitatem agno-
Ibid. 8. scens, confiteatur et dicat : Domine, non A in mea, sed in tua voluntate præstitisti decori meo virtutem, avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus; illud quoque beati Job : Si lotus fuero quasi Job ix, 30, 31.
aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea. Quod tamen suo non potest dicere Creatori, qui proprio vitio sordibus se intingit. Unde necesse est eum istis inæqualitatibus sæpius erudiri, donec ad perfectum puritatis veniat statum, et per gratiam B Dei confirmatus in puritate quam appetit, efficaciter dicere mereatur : Exspectans Ps. xxxix, 2, 3.
exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas, etc.

CAPITULUM VII.

De differentiis et gradibus castitatis.

MULTI sunt gradus castitatis, quibus ascenditur ad præfatam inviolabilem puritatem : quos quamvis intellectus noC ster non sufficiat perspicere aut proferre, tamen quoniam ordo narrationis id exigit, tentabimus secundum mediocritatem experientiæ nostræ gradus illos utcumque exponere; reservantes perfectiora perfectis, nec præjudicantes his qui ferventiori studio possidentes castimoniam puriorem, tanto perspicaciori vigore præcellunt, quanto majoris industriæ sunt. Denique præcelsa castitatis fastigia distinguam sex gradibus magna a se invicem sublimitate distantibus (ita tamen quod prætermittam D media quædam, quæ multa sunt : quorum subtilitas ita subterfugit sensus humanos ut nec mens hoc possit inspicere, nec lingua proferre), quibus sensim adolescit seu paulatim crescit quotidianis profectibus perfectio castitatis. Nam animæ robur atque maturitas castitatis acquiruntur instar corporum terrenorum, quæ quotidie insensibiliter crescunt, et dum nesciunt, ad perfectam quantitatem pertingunt.

Primus itaque castimoniæ gradus est, ne monachus vigilans vincatur impugnatione

carnali. Secundus, ne mens libidinosis cogitationibus immoretur. Tertius, ne vel modice ad concupiscentiam moveatur adspectu femineo. Quartus, ne vigilans patiatur simplicem carnis motum. Quintus, ne subtilissimus voluptuosæ actionis consensus mentem perstringat, dum ratio tractatus aut necessitas lectionis inducit memoriam generationis humanæ; sed contempletur hoc tranquillo ac puro cordis intuitu tanquam opus quoddam simplex ac ministerium naturale humano generi necessario contributum, nihilque amplius de recordatione ejus concipiat quam si mente pertractet opus laterum, aut officium quodcumque mechanicum. Sextus gradus est, ne dormiens illudatur illecebrosis phantasmatibus mulierum. Licet enim credamus illusionem hanc non esse peccato obnoxiam, signum tamen est concupiscentiæ medullitus intus latentis.

Quam illusionem constat diversis modis accidere. Nam dormiens unusquisque tentatur secundum usum seu actum quem vigilans consuevit exercere aut cogitare. C Aliter quippe tentantur qui carnalem copulam norunt; aliter qui commixtionis femineæ sunt expertes : qui sicut inquietari solent simplicioribus ac purioribus somniis, ita purgari possunt diligentia faciliori et minori labore. Porro copulam illam experti, illuduntur phantasmatibus sordidioribus et magis expressis, donec mens etiam somno pressa vertatur paulatim in odium rei quam antea voluntariam sensit, secundum mensuram castitatis ad quam quilibet tendit, et illud D concedatur a Domino quod promittitur per Prophetam fortibus viris pro summo laborum suorum fructu atque stipendio :
Osee II, 18. Arcum, et gladium, et bellum conteram de terra vestra, et dormire vos faciam fiducialiter; sicque perveniet quis ad puritatem illam B. Sereni abbatis, et paucorum virorum sublimium. Quam idcirco sequestravi a præfatis sex gradibus castitatis, quoniam non nisi a paucissimis potest possideri, imo nec credi; et quoniam

A id quod B. Sereno collatum est speciali muneris largitate, proponi non potest ad formam generalis præcepti, ut scilicet mens nostra eo usque formetur et perficiatur castimoniæ puritate, ut ipso etiam naturali motu carnis emortuo, nullatenus patiatur obscenum illum humorem.

Silere sane non debeo opinionem quorumdam, quam tradunt de hac carnis pollutione. Nam dicunt eam accidere dormientibus non ob hoc quod deceptio somniorum eam producat, sed potius quia abundantia B humoris illius aliquas fingat illecebras in animo ægrotantis. Denique dicunt quod tempore illo quo non inquietat illa concretio seu humorum repletio, ita quiescat illusio sicut fluxus humorum.

CAPITULUM VIII.

Quod inexperti tractare non possint de natura castitatis et ejus effectu.

SED nemo poterit hoc suscipere vel probare, aut certo examine definire, utrum ista sint possibilia an impossibilia, nisi per experientiam longam cordisque puritatem pervenerit, verbo Domini dirigente, ad confinia carnis et spiritus, de quo verbo Apostolus : *Vivus est*, inquit, *sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Hebr. IV, 12. Sicque inter illorum terminos quodammodo collocatus, velut inspector et arbiter justa ponderatione discernet quid necessario et inevitabiliter attributum sit conditioni humanæ, quidve inductum sit consuetudine vitiosa ac juventutis incuria : de natura quoque et effectu eorum non seducetur falsis opinionibus vulgi, nec acquiescet definitionibus inexpertorum præjudicantibus veritati; sed modum puritatis perpendens certa experientiæ suæ libra examinationeque justa, nequaquam decipietur errore illorum qui vitio negligentiæ suæ

fœdati frequentioribus pollutionibus quam A natura requirit, de naturali conditione causantur. Quumque constet eos potius vim inferre naturæ, et extorquere ab ea colluvionem quam ipsa non ingerit, referunt intemperantiam suam ad carnis necessitatem, imo ad ejus Creatorem, transferentes proprias culpas ad naturæ diffamiam; de quibus in Proverbiis eleganter asseritur : Insipientia viri corrumpit vias suas, Deum autem causatur in corde suo. Postremo si quis huic nostræ assertioni fidem noluerit adhibere, quæso ut non disceptet nobiscum opinione præjudicata, antequam suscipiat instituta disciplinæ seu vitæ istius : quæ quum servaverit mensibus paucis moderatione a Patribus sanctis præfixa, poterit vero comprobare judicio ea quæ diximus. Frustra vero quis contendet de fine cujuslibet artis ac disciplinæ, nisi prius fuerit summo studio ac virtute sectatus omnia quæ ad consummationem spectant illius. Velut si, verbi gratia, asseram liquorem lenissimi olei posse produci ex tritico sicut ex seminibus lini ac raphani, C similitudinem quoque mellis ex tritico; si quis prorsus ignarus horum exsistat, nonne dicet hæc esse contra rerum naturam, deridebitque me tanquam apertissimi auctorem mendacii, nisi adducam testes quamplures qui testentur se ista vidisse, gustasse, fecisse, ordinem quoque exponam quo res illæ transmutentur in oleum aut mel? Quod si ille persistat in obstinatione opinionis suæ stultissimæ, negans ex illis seminibus posse produci aliquid dulce aut pingue, nonne magis reprehendenda est D irrationabilis et pervicax contentio ejus, quam veritas mei sermonis, quæ roboratur gravitate fidelium multorumque testium et evidentibus documentis, imo, quod amplius est, experientiis certis? Idcirco quicumque pervenerit ad hunc puritatis statum, ut per soporem caro ejus expellat illum humorem, velut superfluum quemdam liquorem, mente jam penitus liberata a titillatione hujusmodi passionis, cognoscet certissime modum et conditionem na-

Prov. xix, 3. juxta LXX.

turæ : sicque quum expergefactus invenerit carnem suam post tempora longa pollutam se ignorante nec sentiente, tunc de naturali necessitate causetur, ad illum statum indubitanter perveniens, ut talis sit in nocte qualis in die, talis in lecto qualis in oratione, talis solus qualis in turbis; postremo ut segregatus seu solus se nunquam adspiciat talem, qualis videri ab hominibus erubescit, nec tale aliquid deprehendat in eo inevitabilis oculus Dei, quod cupiat esse celatum adspectibus ho- B minum. Et ita quum cœperit jugiter delectari suavissimo lumine castitatis, dicere poterit cum Psalmista : Nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. Denique qualiter Propheta obtinuerit hoc ipsum, quod esse videtur supra conditionem naturæ humanæ, pandit, subdendo : Quia tu possedisti renes meos; id est, puritatem istam promerui non mea industria aut virtute, sed quia tu, Deus, mortificasti ardorem lubricæ voluptatis insitum renibus meis.

Ps. cxxxviii, 11, 12.

Ibid. 13.

CAPITULUM IX.

Interrogatio, an etiam dormientes possimus evadere corporis motum.

GERMANUS : Experti aliqualiter sumus perpetuam corporis puritatem posse a vigilantibus per Dei gratiam possideri, et fatemur stimulum carnis posse non accidere vigilanti, judicio ac rigore districtionis resistente corporis motibus; sed volumus edoceri an etiam dormientes valeamus inquietudine hac carere. Quod credimus impossibile esse duabus ex causis, quas licet nequeamus absque verecundia explicare, tamen quia necessitas spiritualis medicinæ exigit eas effari, quæsumus ut indulgenter accipias, si fuerit aliquid inverecundius denudatum. Primum igitur est, quia vigore mentis per somnum laxato ac impedito, videtur præservari et vitari non posse obreptio stimulationis illius;

secundum est, quoniam dum urina repleverit vesicam assiduo confluxu interioris humoris dormientibus nobis, mox excitat membra marcentia, quod etiam ex eadem causa contingit parvulis atque spadonibus. A

CAPITULUM X.

Responsio, quod motio carnis contingens in somno, non deroget castitati.

CHÆREMON : Apparet vos nondum cognovisse veræ castitatis virtutem, eo quod æstimetis eam retineri solum a vigi- B lantibus auxilio districtionis. Ideoque putatis a dormientibus non posse servari integritatem, quasi resoluto rationis vigore. Porro castitas subsistit non (ut arbitramini) auxilio districtionis, sed amore sui et delectatione propriæ puritatis. Non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi puritati resistit aliqua occasio aut incitatio voluptatis. Videtis igitur cessationem districtionis non obesse, etiam quando dormiunt, his qui medullitus receperunt castitatis affectum. Quidquid enim cum labore C reprimitur, præstat temporales inducias dimicanti, non tamen tribuit indesinentem securitatis quietem post laborem. Porro quidquid fuerit victum perfecta virtute, et absque omni inquietudine ordinatum, confert victori incessabilem firmitatem. Quamobrem, quamdiu sentimus nos motu carnis pulsari, sciamus nos nondum pervenisse ad castitatis fastigia, sed constitutos esse adhuc sub continentia nondum firmata, et præliis fatigari, in quibus oportet semper dubios esse eventus. Insuper quod præfa- D tam carnis stimulationem voluistis inevitabilem demonstrare isto judicio, quia eunuchi nequeunt ea carere, sciendum est eunuchis deesse non æstus carnales, nec affectum libidinis, sed solam generationis virtutem. Unde manifestum est eunuchos non debere resolvi ab humilitate contritioneque cordis, nec a districtione jejunii, si ad hanc castitatem cupiant pertingere ad quam nitimur nos, quamvis obtineri possit ab eis minori studio ac labore.

CAPITULUM XI.

Quid intersit inter continentiam et castitatem.

HINC castitatis perfectio distinguitur a laboriosis continentiæ rudimentis. Hæc est veræ castitatis completio, quæ non impugnans, sed toto horrore detestans carnalium concupiscentiarum motus, retinet jugem ac immobilem puritatem, nec potest aliud esse quam sanctitas. Hoc autem fiet, dum caro desinens contra spi- *Galat.* v, 17. ritum concupiscere, consenserit virtuti ac desideriis spiritus, cœperintque caro et spiritus sibi invicem pace firmissima confœderari, ac juxta Psalmistam, habitave- *Ps.* CXXXII, 1. rint tanquam fratres in unum, possidentes gratiam illam a Christo promissam, de qua ait : Si duo ex vobis consenserint su- *Matth.* XVIII, 19. per terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. Quicumque ergo transcenderit gradum intellectualis illius Jacob, id est supplantatoris, ab illa *Gen.* XXVII, 36. continentiæ colluctatione et vitiorum supplantatione, arefacto femoris nervo, ascen- *Ibid.* XXXII, 25, 28. det ad nomen ac meritum Israelis directione perpetua cordis. Quem etiam ordinem beatus propheta David vaticinatione Spiritus Sancti distinxit in Psalmis, dicendo : Notus in Judæa Deus ; id est, in anima *Ps.* LXXV, 2. quæ adhuc tenetur sub confessione peccatorum suorum : Judæa enim confessio interpretatur ; in Israel autem, id est, in *Ibidem.* eo qui videt Deum, vel (ut quidam interpretatur) in eo qui rectissimus Dei est, non solum notus est, sed etiam magnum nomen ejus. Deinde ad sublimiora nos provocans, et volens ostendere locum quo Dominus delectatur, adjunxit : Et factus *Ibid.* 3. est in pace locus ejus ; id est, non in conflictu certaminis colluctationeque vitiorum, sed in castimoniæ pace atque perpetua cordis tranquillitate. Qui ergo meruerit obtinere hunc pacis locum cum exstinctione carnalium passionum, proficiens quoque ex gradu isto, et consequenter effectus spiritualis Sion, id est specula Dei, erit etiam habitatio Dei. Non enim in confli-

ctu continentiæ, sed in jugi virtutum ar- A
ce seu specula Dominus commoratur : ubi
jam non retundit nec comprimit, sed in
Ps. LXXV, 4. perpetuum confringit potentis arcum, ex
quo arcu quondam dirigebantur adversum
nos cuncta ignita libidinum jacula. Videtis ergo quoniam sicut locus Domini non
est in colluctatione continentiæ, sed in castitatis pace, ita etiam habitatio ejus sit
in specula et contemplatione virtutum.
Unde non immerito portæ Sion præferun-
Ps. LXXXVI, 2. tur cunctis tabernaculis Jacob : Diligit
enim Dominus portas Sion super omnia B
tabernacula Jacob.

Præterea quod arguitis motum carnis inevitabilem esse, per hoc quod dum urina vesicam assidua stillatione impleverit, quieta moveat membra (quamvis motio ista nihil præjudicet veris sectatoribus puritatis ad obtinendum eamdem, si sola necessitas interdum et per soporem excitet motum istum); sciendum est tamen, quod si membra fuerint ita mota, nihilo minus ad quietem propriam reducuntur castita-
tis imperio, ut fœdentur non solum sine C
ullo pruritu, sed etiam absque omni recordatione libidinis. Idcirco ut cum lege mentis congruat lex corporalis, ita reprimenda est nimietas etiam in aquæ potatione, ut illa collectio quotidiani humoris pigrius influens membris arefactis, reddat illum corporis motum, quem putatis inevitabilem, non solum rarissimum, sed etiam lentum ac tepidum, atque (ut ita dixerim) ignem concupiscentiæ faciat frigidum, et absque ardore alicujus adustionis
rorantem suscitet flammam, instar admi- D
Exod. III, 2. rabilis visionis Mosaicæ : ut rubus carnis
nostræ noxio igne circumdata non ura-
Dan. III, 49, 50. tur, sicut nec corpora trium puerorum illorum, a quibus excussa est flamma fornacis Chaldaicæ spiritu Dei rorante, ita ut odor ignis non afflaret nec læderet eorum capillos aut fimbrias; ut incipiamus quodammodo in hoc corpore possidere quod Sanctis promittitur per Prophetam dicen-
Is. XLIII, 2. tem : Quum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.

CAPITULUM XII.

De mirabilibus quæ operatur Dominus in Sanctis suis.

MAGNA sunt atque mirifica, nec ulli hominum penitus nota, nisi his qui ea experti sunt, quæ Dominus ineffabili liberalitate largitur fidelibus suis adhuc in corruptibili vasculo isto degentibus. Quæ Propheta mentis puritate contemplans, exclamavit tam ex sua persona quam illorum qui perveniunt in hunc affectum et
statum : Mirabilia opera tua, Deus, et ani- Ps. CXXXVIII, 14.
ma mea cognoscet nimis. Alioqui nihil novi aut magni videtur Propheta dixisse, si protulit illa alio cordis affectu, vel de aliis Dei operibus. Nullus enim est homo qui non agnoscat ex magnitudine creaturarum mirabilia esse opera Dei. Ceterum opera illa quæ quotidiana operatione dispensat et exhibet usibus nostris, et speciali munificentia affluenter nobis infundit, nullus cognoscit nisi qui recipit ea : qui in secreto conscientiæ suæ ita est arbiter singularis beneficiorum Altissimi, ut ea non solum nequeat ullo effari sermone, imo nec possit comprehendere ea cogitatione aut sensu, quum discedens ab igneo illo fervore, fuerit devolutus ad istos materiales ac terrenos intuitus. Quis enim non miretur in se opera Dei, dum insatiabilem ventris ingluviem, sumptuosam voracitatem gulæ, perniciosam flammam luxuriæ viderit in se sic esse repressam, ut vix raro aut invitus percipiat ipsum exiguum atque vilissimum cibum ? Quis non obstupescat opera Dei, quum senserit ignem libidinis, quem antea naturalem inexstinguibilemque credebat, ita refriguisse in se, ut nec simplici corporis motu se sentiat incitari ? Quomodo virtutem Dei non contremiscat quicumque, quum viderit homines quondam duros ac truculentos, qui blandissimis subditorum obsequiis provocabantur ad summæ iræ furorem, devenisse ad tantam mititatem ac patientiam, ut non solum non provo-

centur ullis injuriis, sed etiam quum il- A latæ fuerint, ingenti magnanimitate lætentur? Denique quis non miretur opera Ps. CXXXIV, 5. Dei, et toto affectu exclamet, Quia ego cognovi quod magnus est Dominus; quum perspexerit se aut alium quempiam ex rapacissimo factum liberalem, ex prodigo moderatum, ex superbo humilem, ex delicato et tenero squalidum et hirsutum, atque præsentium rerum egestate et angustia voluntarie perfruentem?

Ista profecto sunt mira opera Creatoris, quæ anima prophetæ Davidis et consimi- B lium ejus cognoscit, stupefacta intuitu contemplationis mirificæ. Ista sunt prodigia quæ posuit super terram, quæ idem Propheta considerans, ad eorum admirationem Ps. XLV, 9, 10. advocat cunctos populos, dicens : Venite, et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ : arcum conteret, etc. Quod enim potest majus esse prodigium, quam in Matth. IX, 9. Act. IX, 6. momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos Christi fieri, ex truculentis persecutoribus patientissimos Evan- C gelii prædicatores constitui, ita ut proprii sanguinis effusione promulgarent fidem quam ante persequebantur? Ista sunt opera quæ Filius, in Evangelio apud Joannem, protestatur se cum Patre operari Joann. V, 17. quotidie, dicens : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. De istis operibus Dei beatus David in spiritu canens, Ps. LXXI, 18. dixit : Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. De quibus ait Amos V, 8, juxta LXX. et Amos propheta : Qui facit omnia et convertit ea, et umbram mortis transmu- D tat in matutinum. Ps. LXXVI, 11. Hæc quippe est mutatio dexteræ Excelsi. De hac operatione Ps. LXVII, 29. salubri orat sanctus Propheta : Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Ut prætermittam illas secretas atque absconditas Dei dispensationes et operationes quas in Sanctis peculiariter est exercens, quas mens omnium Sanctorum singulis intuetur momentis : utpote infusionem illam cœlestem spiritualis lætitiæ, qua dejectus sustollitur animus alacritate gaudii insperati, illos quoque ignotos* cordis excessus, * ignitos et tam ineffabilia quam inaudita gaudiorum solatia, quibus interdum, ignavissimo stupore torpentes, suscitamur quasi de somno gravissimo ad ferventissimam orationem. Hoc, inquam, est gaudium quod (juxta Apostolum) oculus non vidit, I Cor. II, 9. nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; ejus videlicet hominis qui terrenis vitiis hebetatus, adhuc homo est, atque humanis inhæret affectibus, nihilque intuetur de præfatis Dei muneribus. Denique idem Apostolus subjecit tam de se quam de sibi similibus, qui jam humanam conversationem transcenderant, dicens : No- Ibid. 10. bis autem revelavit Deus per Spiritum suum.

CAPITULUM XIII.

Quod dulcedinem castitatis non agnoscant, nisi qui eam experiuntur.

Quanto ergo mens nostra ad sublimiorem profecerit puritatem, tanto subtilius intuebitur Deum, et potius capiet intra se incrementa admirationis illius, quam loquendi inveniet facultatem aut narrationis sermonem. Quemadmodum enim inexpertus non valet mente percipere vim lætitiæ puritatis internæ, ita expertus non valet explicare eam sermone : tanquam si quis velit sermonibus enarrare dulcedinem mellis ei qui nunquam gustavit aliquid dulce, ille aure non capiet suavitatem saporis quam ore nunquam percepit, nec iste poterit verbis indicare dulcedinem quam cognovit gustus delectatione; sed illectus tantum propria agnitione suavitatis, necesse est ut tacitus in se admiretur experti saporis jucunditatem. Itaque quicumque meruerit pervenire in hunc quem prædiximus statum, tacita mente percurrens ac intuens omnia ista quæ Dominus peculiari gratia operatur in suis electis, horumque omnium attonita consideratione accensus, cum intimo cordis Ps. CXXXVIII, 14. affectu clamabit illud Psalmistæ : Mirabi-

lia opera tua, Deus, et anima mea novit A
nimis. Istud est ergo mirabile opus Dei,
hominem in carne degentem respuisse
carnales affectus, atque in tanta rerum et
incursionum varietate tenere uniformem
animi statum, immobilemque manere in
omnium accidentium permutatione. Qua
virtute senex quidam firmatus, quum apud
Alexandriam vallatus infidelium turbis,
impugnaretur non solum maledictis, sed
gravissimis quoque impellentium eum in-
juriis, diceretur que ei a subsannantibus :
Quid miraculi fecit Christus vester, quem B
colitis? dixit : Non movebor neque offen-
dar injuriis his neque majoribus, si mihi
intuleritis eas.

CAPITULUM XIV.

Quæstio de qualitate et tempore continentiæ ; et in quo castitas perfici possit.

GERMANUS : Quoniam admiratio casti-
tatis hujus non humanæ et terrenæ,
sed plane cœlestis atque angelicæ, ita stu- C
pore subito nos confudit, ut magis incu-
teret desperationis terrorem quam ad sui
appetitionem provocaret animos nostros :
quæsumus ut doctrina plenissimæ dispu-
tationis nos instruas de continentiæ qua-
litate, et temporis modo quo acquiri aut
perfici valeat, quatenus credamus eam
posse consummari, atque ad expetendam
eam deinceps animemur spatio temporis
constituti. Positis namque in carne judica-
mus eam quodammodo impossibilem es-
se, nisi certa ratione nobis pandatur ordo D
quidam ac via quibus ad illam valeat per-
veniri.

CAPITULUM XV.

Responsio ad quæstionem inductam.

CHÆREMON : Temerarium satis est cer-
tam mensuram temporis definire cir-
ca consummationem castitatis perfectæ, de
qua loquimur, præsertim in tanta diver-
sitate voluntatum ac virium humanarum;
quæ mensura non potest faciliter deter-
minari in materialibus artibus istis ac
visibilibus disciplinis. Nempe secundum
animi intentionem atque ingenii qualita-
tem necesse est artes et disciplinas has
apprehendi ab unoquoque tardiùs sive ce-
lerius; verumtamen constantissime pos-
sumus definire rationem continentiæ, et
temporis modum intra quem agnoscatur
possibilitas ejus. Quicumque ergo a fabu-
lationibus otiosis abstractus, et mortifica-
tus ab omni ira ac cura mundana, fuerit
duorum paximaciorum esu contentus quo-
tidie, nec aquam potans ad satietatem, nec
dormierit ultra tres horas, vel (ut alii sta-
tuunt) quatuor, nec crediderit se adeptu-
rum castitatem illam merito horum labo-
rum, sed miseratione ac gratia Dei, sine
qua fide inanis est omnis labor humanus :
infra sex menses cognoscet perfectionem
castitatis istius sibi nequaquam impossi-
bilem esse. Evidens tamen signum est pu-
ritatis jam proximæ, incipere eam non
sperare de proprii laboris industria. Si
enim quis vere conceperit vim illius ver-
siculi, Nisi Dominus ædificaverit domum, *Ps. cxxvi, 1.*
in vanum laboraverunt qui ædificant eam;
consequens est ut de meritis suæ puritatis
non extollatur, sciens se eam obtinuisse
non propria diligentia, sed pietate ac ope
divina; nec contra alios moveatur rigore
immiti, intelligens quod nihil sit virtus
humana, nisi eam adjuverit virtus divina.

CAPITULUM XVI.

De fine atque remedio castitatis.

PROINDE unicuique nostrum totis viri-
bus dimicanti contra fornicationis spi-
ritum singularis exstat victoria, non spe-
rare remedium de merito sui conatus :
quæ fides quamvis omnibus videatur plana
ac facilis, tamen tam difficulter ab inci-
pientibus possidetur ut ipsa perfectio ca-
stitatis. Nam quum eis arriserit particula
aliqua puritatis, mox in secretis consci-

entiæ suæ sibimet blandiuntur elatione A quadam subtiliter incidente, et credentes se eam consecutos studio diligentiæ suæ, necesse est ut privati paulisper divino auxilio, tamdiu opprimantur passionibus illis, quas virtus divina exstinxerat, quousque experientia docente cognoscant se obtinere non posse gratiam puritatis propriis viribus atque industriis. Et ut breviter concludamus disputationem nostram de fine plenissimæ castitatis longa elucidatione confectam, colligendo in unum omnia quæ copiose ac sparsim digesta B sunt : hæc est consummatio castitatis, ut nulla libidinis delectatio perstringat aut occupet monachum vigilantem, nec fallat dormientem somniorum illusio; sed dum dormienti motio carnis obrepserit per incuriam tantum mentis sopitæ, ita quiescat stimulatio illa absque omni carnis pruritu, quemadmodum suscitata est sine ulla voluptatis titillatione. Hæc de fine castitatis expressimus, quantum potuimus, experientia magistrante, non verbis. Quæ licet arbitrer impossibilia forsitan judicanda a pigris ac negligentibus, certus sum tamen ea a spiritualibus studiosisque viris agnoscenda esse et approbanda. Tantum etenim distat inter hominem et hominem, quantum ab invicem separantur illa ad quæ tendit intentio cordis eorum, hoc est cœlum ab inferno, seu Christus a Belial, juxta sententiam Salvatoris dicentis : Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit; et rursus, Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Joann. XII, 26.

Matth. VI, 21.

Hucusque abbas Chæremon de castitatis perfectione disseruit, admirabilemque doctrinam spiritualissimæ puritatis tali sermone conclusit, suadens nobis anxiis atque stupentibus ut, quia jam fluxerat major pars noctis, non fraudaremus corpus nostrum naturali sopore, ne mens corporis sui torpore gravata, amitteret sanctæ intentionis vigorem.

COLLATIO XIII

(Abbatis Chæremonis tertia)

DE PROTECTIONE DEI.

CAPITULUM PRIMUM.

Procemium.

QUUM post modicum somnum rediremus ad matutinam synaxim, reperissemusque senem, abbas Germanus movebatur scrupulo magno : quoniam in collatione præhabita, quæ infuderat nobis desiderium maximum castitatis incognitæ, beatus senex videbatur cassasse meritum humanæ industriæ, asserens hominem non posse esse compotem boni seu idoneum ad bene agendum, quamvis totis viribus enitatur ad opera virtuosa, nisi illud sibi donetur largitate gratiæ Dei, non proprio studio. Quam quæstionem dum inter nos cum admiratione revolveremus, egressus cellam suam beatus Chæremon, quum sensisset nos invicem mussitare, Officio orationum et psalmorum præ solito brevius persoluto, interrogavit quid nos moveret.

CAPITULUM II.

Interrogatio, cur merita virtutum non adscribantur industriæ laborantis.

GERMANUS : Quantum quasi excludimur a fide possibilitatis, propter sublimitatem virtutis seu castitatis excellentissimæ quæ collatione nocturna nobis est patefacta, tantum nobis videtur absurdum, si stipendium seu fructus laborum, utpote castitatis perfectio, quæ acquiritur proprii laboris instantia, non adscribatur specialiter industriæ laborantis. Ineptum est enim, ut si verbi gratia, viderimus agrico-
A lam indefessum laborem impendere circa culturam terræ, non adscribamus fructum terræ illius labori agricolæ.

CAPITULUM III.

Responsio, quod sine adjutorio Dei nec castitatis perfectio nec aliquid meritorium esse possit.

CHÆREMON : Hoc ipso exemplo quod proposuistis, evidentius comprobatur
B industriam laborantis nihil posse proficere sine adjutorio Dei. Nec enim agricola quum expenderit omnes suos conatus circa terræ culturam, poterit fructum segetum ubertatemque frugum mox deputare suæ industriæ, quam frequenter expertus est esse cassatam, nisi eam subsequatur opportunitas pluviarum aerisque serena tranquillitas ; ita ut plerumque viderimus fructus maturos de manu quodammodo tenentium esse præreptos, et assiduum illum laborem laborantibus nil penitus pro-
C fuisse, quoniam labor ille non divino subsidio consummatus atque directus est. Quemadmodum ergo divina pietas non confert segetum ubertatem pigris agricolis, sic pervigil sollicitudo non proderit laborantibus, nisi fuerit prosperata subventione divina. In quo tamen humana superbia nequaquam contendat se adæquare aut admiscere gratiæ Dei, neque per hoc conetur sese inserere participem in muneribus Dei, ut laborem suum æstimet esse auctorem divinæ largitatis seu
D gratiæ, abundantiamque spiritualium fructuum glorietur correspondere meritis suæ

industriæ. Imo consideret et vera examinatione perpendat, quod propriis viribus non potuisset exercere conatus et actus quos fecit pro perfectione et opulentia spirituali, nisi misericordia atque protectio Dei eum corroborasset ad illa agenda : imo inefficax fuisset voluntas ejus et virtus, nisi divina clementia præstitisset ei copiam peragendi, quæ aliquando impeditur nimia siccitate aut humiditate. Denique quum a Deo fuerint condonata virtus et sanitas, omnisque actio bona et agendi prosperitas, orandum est ne homi- B
Deut. xxviii, 23. *Joel* i, 4. ni hæc habenti fiat cœlum æneum et terra ferrea, et ne residuum locustæ comedat bruchus, et ne residuum bruchi devoret eruca, residuumque erucæ rubigo consumat. Insuper industria agricolæ laborantis non solum indiget auxilio Dei in istis, sed ut etiam avertat improvisos casus adversos, per quos non solum ager fecundus et plenus privaretur omni fructu sperato, sed abundantia quoque fructuum collectorum et in area seu horreo reconditorum destrueretur. C

Unde manifeste probatur, quod Deus sit principium non solum actionum, sed et cogitationum bonarum, qui nobis inspirat bonæ voluntatis initia, et virtutem opportunitatemque tribuit exsequendi ea quæ
Jacob. i, 17. recte optamus. Omne enim datum bonum et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum; qui et incipit ea quæ bona sunt, et exsequitur ac consummat ea in nobis, dicente Apostolo :
II *Cor.* ix, 10. Qui dat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit D semen vestrum, et crescere faciet fructum justitiæ vestræ. Nostrum vero est ut humiliter subsequamur gratiam Dei nos quotidie attrahentem, aut certe resistentes
Act. vii, 51. eidem dura cervice incircumcisisque auribus, mereamur per Jeremiam audire :
Jer. viii, 4, 5. Numquid qui cadit non resurget, aut qui aversus est non revertetur ? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aver-
Ibid. v, 3. sione contentiosa ? Induraverunt cervices suas, et noluerunt reverti.

CAPITULUM IV.

Objectio, quomodo gentiles absque gratia Dei castimoniam habuisse dicantur.

GERMANUS : Huic doctrinæ, quæ non potest abrupte improbari a nobis, hoc videtur obsistere, quoniam ipsa, ut apparet, tendit ad destructionem liberi arbitrii. Quum enim multi gentilium, qui utique non merentur gratiam divini auxilii, fulserint non solum virtutibus abstinentiæ et patientiæ, imo (quod mirabilius est) etiam castitatis : quomodo virtutes illæ credendæ sunt illis esse collatæ munere Dei, captivato arbitrio liberæ voluntatis, quum sectatores mundanæ sapientiæ non solum ignorantes gratiam Dei, sed etiam verum Deum, possedisse dicantur summam castimoniæ puritatem proprii laboris industria, quantum cognovimus ex studio lectionis aut aliorum traditione?

CAPITULUM V.

Responsio de philosophorum imaginaria castitate.

CHÆREMON : Gratum mihi est quod dum inflammamini tam summo agnoscendæ veritatis amore, quædam inepta proponitis, quorum objectione virtus catholicæ fidei appareat probatior, imo et exploratior, ut sic loquar. Quis enim sapiens uteretur propositionibus sibi invicem ita contrariis, ut cœlestem castimoniæ puritatem, quam heri asseruistis non posse cuiquam conferri mortalium etiam per gratiam Dei, nunc credatis fuisse possessam a philosophis propria eorum virtute ? Sed quia hoc ipsum proponitis studio veritatis investigandæ, quid de his sentiamus advertite. Primo, nequaquam credendum est philosophos talem habuisse castitatem qualis a nobis exigitur, quibus injungitur ut non solum fornicatio, sed nec immunditia nominetur in nobis. Habuerunt itaque philosophi quamdam por-

tiunculam castitatis, id est continentiam carnis, ut coercerent libidinem solummodo a coitu; hanc autem internam mentis et corporis puritatem indesinentem non potuerunt assequi opere, imo nec cogitatione. Denique ille eorum famosissimus Socrates non erubuit hoc fateri, ut recitant ipsi. Quum enim quidam physionomiæ magister inspiciens illum, dixisset : Oculi corruptoris puerorum; et discipuli Socratis irruentes in virum illum, vellent ulcisci convitium suo magistro illatum, repressit indignationem eorum, dicendo : Quiescite, o sodales, sum etenim, sed contineo. Apertissime ergo monstratur non solum nostra affirmatione, sed illorum quoque assertione, solam expletionem impudicitiæ seu turpitudinem commixtionis refrenatam esse ab eis violento quodam conatu; non tamen exclusam fuisse de corde ipsorum concupiscentiam et oblectationem commixtionis. Interea cum quanto horrore commemoranda est doctrina Diogenis? Quod enim philosophus ille non erubuit dicere tanquam memorabile aliquid, non potest a nobis sine verecundia dici neque audiri. Dixit autem cuidam pro adulterii crimine puniendo (ut fertur) : Quod gratis venditur, morte non emas. Constat ergo philosophos non novisse virtutem veræ castitatis, quæ a nobis expetitur; ideoque certissimum est spiritualem nostram circumcisionem non posse possideri nisi munere Dei, et eam inesse tantummodo illis qui tota mentis suæ contritione deserviunt Deo.

CAPITULUM VI.

Quod sine gratia Dei nullos conatus naturalis industriæ exsequi valeamus.

HINC quamvis possit ostendi quod homines indigeant semper gratia Dei in multis, imo in omnibus, nec humanam fragilitatem posse perficere aliquid pertinens ad salutem, per se solam, hoc est sine adjutorio Dei, in nullo tamen hoc
A evidentius monstratur quam in acquisitione atque custodia castitatis. Ut enim differatur tantisper disputatio de difficultate ipsius, disputemus interim breviter de instrumentis seu mediis ejus. Quis, quæso, quamvis spiritu fervens, prævaleat suis viribus sustinere, nulla hominum laude suffultus, squalorem solitudinis, et quotidianam sicci panis non dico penuriam sive esuriem, sed ipsam saturitatem? Quis incessabilem aquæ defectum et sitim sine consolatione divina valeat tolerare, et ocu-
B lis suis subtrahere illum suavem matutinum soporem, et somno horarum quatuor quotidie contentari? Quis sine gratia Dei explere sufficiat indesinentem lectionis instantiam et irremissam operis sedulitatem, nullum capiens commodum sæculi aut lucri præsentis? Quæ omnia sicut desiderari a nobis jugiter nequeunt absque inspiratione divina, ita nec perfici queunt sine auxilio Dei.

Denique omnia ista faciemus vobis manifestiora non solum probata experientiæ
C arte, sed certis signis et argumentis. Nonne in multis quæ optamus utiliter adimplere, quamvis plenus desiderii fervor et voluntas perfecta adsit, tamen interveniens quæcumque fragilitas impedit ab effectu vota concepta, nec effectus propositum nostrum consequitur, nisi virtus perficiendi tribuatur a Domino : ita ut quum sit innumera hominum multitudo quæ cupit virtutum studiis fideliter inhærere, rarissimi tamen sint qui hæc perficere tolerareque valeant; ut prætermittam quod nec tunc
D facultas agendi universa quæ volumus nostræ subjacet potestati, dum infirmitas nulla nos impedit? Non enim tenemus solitudinis silentium, districtionem jejuniorum, instantiam lectionis pro nostro arbitrio, etiam tempore illo quo possumus; sed occurrentibus causis quibusdam, retrahimur sæpe invitissimi a salutaribus institutis, ita ut necesse sit nobis deprecari a Domino copiam loci ac temporis in quibus hæc exercere possimus. Et certum est non sufficere nobis hoc ipsum quod possumus,

nisi a Deo præstetur nobis opportunitas
peragendi quæ nobis possibilia exstant, de
I Thess. II, 18. quibus ait Apostolus, Voluimus venire ad
vos et semel et iterum, sed impedivit nos
Satanas; ita ut sentiamus nos quandoque
utiliter revocari a spiritualibus exercitiis
istis, quatenus dum nolentibus nobis interrumpitur fervor sive intentio nostri
cursus, infirmitatique carnis aliquid relaxamus, ad salutarem perseverantiam diuturniorem reservemur quasi inviti. De qua
dispensatione Dei aliquid simile dicit Apo-
II Cor. XII, 8, 9. stolus : Propter quod ter Dominum rogavi
ut discederet a me, et dixit mihi, Sufficit
tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate
Rom. VIII, 26. perficitur; et iterum, Quid enim oremus
sicut oportet, nescimus.

CAPITULUM VII.

De principali proposito Dei, et providentia quotidiana.

PROPOSITUM namque Dei, quo condidit
hominem non ut periret, sed ut viveret in perpetuum, manet immobile. Cujus
benignitas quum in nobis qualemcumque
voluntatis bonæ scintillam excusserit de
duro silice cordis nostri, fovet et excitat,
I Tim. II, 4. ac sua miseratione confirmat eam : volens
omnes homines salvos fieri, et ad agnitio-
Matth. XVIII, 14. nem veritatis venire; quia non est voluntas Patris cœlestis ut pereat unus de pu-
II Reg. XIV, 14. sillis istis. Et iterum ait Scriptura : Non
vult Deus perire animam, sed retractat
cogitans ne penitus pereat qui abjectus
est. Verax namque est Deus nec menti-
Ezech. XXXIII, 11. tur, cum obtestatione affirmans : Vivo ego,
quia nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua mala, et vivat. Qui enim
non habet voluntatem ut unus pereat ex
pusillis, non sine ingenti sacrilegio putaretur salvos fieri velle quosdam, et non
generaliter omnes. Ergo quicumque pereunt, contra illius pereunt voluntatem,
quum ipse clamet quotidie contra unum-
Ibidem. quemque eorum : Convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus

A Israel? itemque, Quoties volui congregare Matth. XXIII, 37.
filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti; et
iterum, Quare aversus est populus iste in Jer. VIII, 5.
Jerusalem aversione contentiosa? Indura- Ibid. V, 3.
verunt cervices suas, et noluerunt reverti.
Præsto est ergo quotidie gratia Christi, qui I Tim. II, 4.
dum vult omnes homines salvos fieri et
ad agnitionem veritatis venire, cunctos
vocat absque exceptione, dicendo : Venite Matth. XI, 28.
ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Si autem vocat
B quosdam, non universaliter omnes, sequitur quod nec omnes sint onerati peccato
originali aut actuali, nec vera sit auctoritas illa : Omnes peccaverunt, et egent glo- Rom. III, 23.
ria Dei; nec mors credatur in omnes ho- Ibid. V, 12.
mines pertransisse. Insuper qui pereunt, in
tantum pereunt contra Dei voluntatem, ut
Deus dicatur mortem non fecisse, Scriptura dicente : Deus mortem non fecit, Sap. I, 13.
nec gaudet in perditione vivorum. Hinc
est quod oratio nostra interdum exauditur
tardius vel nequaquam, dum plerumque
C postulamus inutilia tanquam salubria; et
rursus dignanter nobis infert invitis, tanquam piissimus medicus, ea quæ putamus
esse contraria, atque vicissim ab effectu
retardat ac revocat proposita nostra mortifera et perniciosos conatus; et properantes ad mortem revocat ad salutem, ac
de inferni faucibus extrahit ignorantes.

CAPITULUM VIII.

De gratia Dei, et arbitrii libertate.

D QUAM curam ac providentiam Dei circa
nos sermo divinus exprimit eleganter
per Osee prophetam, sub figura et persona meretricis Jerusalem recedentis a cultu
Dei ad idololatriam alacritate damnabili,
siquidem ea dicente : Vadam post amatores Osee II, 5.
meos, qui dant panes mihi et aquas meas,
lanam meam et linum meum, oleum meum
et potum meum; respondet divina dignatio consulens ejus saluti, non voluntati :
Ecce ego sepiam viam ejus spinis, et se- Ibid. 6, 7.

piam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et dicet, Revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. Rursus describit contumacias nostras et contemptus, quibus rebelli spiritu, dedignamur eum nos invitantem ad reditum salutarem, dicens per comparationem hujusmodi : Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis; sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, ait Dominus. Itaque satis congrue comparavit amorem et benignitatem perseverantiæ suæ viro quem femina deserit, quoniam ipsam Jerusalem comparavit adulteræ discedenti a proprio amatore. Etenim pietas atque dilectio quam Deus semper impendit circa genus humanum, aptiori comparatione non potuit exprimi quam exemplo viri ardentissimo amore feminam diligentis, qui tanto vehementiori ardore zeli ad eam accenditur, quanto plus senserit se ab ea negligi et contemni : eo quod Deus nullis injuriis ita vincatur, ut a cura nostræ salutis recedat, aut quasi superatus iniquitatibus nostris revocetur a suo principali proposito. Inseparabiliter igitur adest nobis divina protectio, et tanta est pietas Salvatoris circa propriam creaturam, ut non solum comitetur, sed et præcedat eam jugiter providentia sua. Quod expertus Propheta Domino apertissime confitetur : Deus meus, misericordia ejus prævenit me.[1]

Jer. III, 19, 20.

Ps. LVIII, 11.

CAPITULUM IX.

Quod Deus inspiret desideria sancta, et occasiones præstet salutis.

NEC solum benigne inspirat desideria sancta, sed et occasiones præstat salutis et opportunitatem bonis effectibus, errantibusque demonstrat directionem viæ salubris. Unde fit ut inveniatur a non quærentibus se, et palam appareat inter illos qui eum non interrogabant, totaque die expandat manus suas ad populum non credentem et contradicentem sibi; resistentes quoque et longe positos vocet, invitos alliciat ad salutem, peccare volentibus subtrahat copiam voluntatis explendæ, et benigne resistat properantibus ad mala, ut jam non sit volentis neque currentis, sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate; et hoc non ex nobis, sed donum Dei est; non ex operibus, ne quis glorietur.

Is. LXV, 1, 2. Rom. IX, 16. Philipp. II, 13. Ephes. II, 8, 9.

Quid est enim quod ait Salvator : Nemo venit ad Patrem, nisi per me; et, Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum? Quid item est quod oramus : Dirige in conspectu tuo viam meam; et, Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea? Quid tandem est quod Deus promittit : Dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum; et, Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini? Et quid est quod Propheta a Domino hoc ipsum postulat, dicens : Cor mundum crea in me, Deus; et denuo, Lavabis me, inquit, et super nivem dealbabor? Item quid est quod fertur de Deo : Qui docet hominem scientiam; et, Dominus illuminat cæcos? Vel quod orantes dicimus cum Propheta : Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in mortem; nisi quod in his omnibus declaratur gratia Dei, qua homo semper indigeat adjuvari a Domino?

Joann XIV, 6. Ibid. VI, 44. Ps. V, 9. Ps. XVI, 5. Ezech. XI, 19. Ibid. XXXVI, 26, 27. Ps. L, 12. Ibid. 9. Ps. XCIII, 10. Ps. CXLV, 8. Ps. XII, 4.

[1] In genuino textu Cassiani, sententia Chæremonis abbatis hic refertur, quæ « prorsus hæretica est, quam idcirco prudens Lector usque ad finem Collationis pertranseat. Multa enim hic proferuntur ad extollendas liberi arbitrii vires, et ad deprimendam divini adjutorii necessitatem : quæ idcirco etiam Dionysius Carthusianus in sua Paraphrasi consulto omisit, et in locum illorum rectam, orthodoxam, et catholicam de gratia et libero hominis arbitrio doctrinam substituit. » *Io. Cassiani eremitæ de Institutis renunciantium, etc. Romæ, ex Typogr. Cam. Apostol., 1611, in-8°, pag. 967. — Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 49, col. 646 in fine.

CAPITULUM X.

De infirmitate liberi arbitrii.

INFIRMITATEM quippe liberi arbitrii
Philipp. IV, 7. Apostolus manifestat, dicens : Dominus
custodiat corda vestra et intelligentias vestras.
Eamdem David orando docet, quum
Ps. CXVIII, 36. inquit : Inclina cor meum in testimonia
tua, et non in avaritiam ; Salomon quo-
III Reg. VIII, 58. que : Inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus
in universis viis ejus, et custodiamus
mandata ejus et cærimonias ejus.
Infirmitatem ejusdem fatetur illa oratio
Ps. CXL, 3. nostra : Pone, Domine, custodiam ori meo,
et ostium circumstantiæ labiis meis ; item
Ps. CXLV, 7, 8. Propheta : Dominus, inquit, solvit compeditos,
Dominus illuminat cæcos ; et rursus,
Ps. CXV, 16. Dirupisti vincula mea, etc. Item Christus
Joann. VI, 44. apud Joannem : Nemo, inquiens, potest
venire ad me, nisi Pater, qui misit me,
traxerit eum. Et beatissimus Joannes Ba-
Ibid. III, 27. ptista asserit : Non potest homo accipere
quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.
Ps. CXXVI, 1. Unde et Propheta in spiritu clamans : Nisi,
ait, Dominus custodierit civitatem, frustra
vigilat qui custodit eam ; et Aposto-
Philipp. II, 13. lus : Deus est, inquit, qui operatur in vobis
et velle et perficere, pro bona voluntate.

CAPITULUM XI.

Utrum voluntatem nostram bonam præcedat an sequatur gratia Dei.

PORRO si arbitrio nostro adscribimus
consummationem virtutum exsecutionemque
mandatorum, quomodo oramus :
Ps. LXVII, 29. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in
Ps. LXXXIX, 17. nobis ; et, Opera manuum nostrarum dirige
super nos? Scimus Balaam fuisse con-
Num. XXII, 18. ductum ad maledicendum filiis Israel, sed
videmus sibi id cupienti non esse permis-
Gen. XXVI, 10. sum. Custoditus est Abimelech, ne Rebeccam
tangendo peccaret in Dominum. Jo-
Ibid. XXXVII, 28. seph fratrum livore est venditus, ut fieret
descensio filiorum Israel in Ægyptum, et
illis de nece Joseph tractantibus, provideretur
fami futuræ ; quod Joseph a fratri-
A bus agnitus reserat, dicens : Nolite pavere, Gen. XLV, 5.
nec durum vobis videatur quod vendidistis
me in his regionibus : pro salute enim
vestra misit me Deus ante vos ; et rursus,
Præmisit enim me Deus, ut reservemini Ibid. 7, 8.
super terram, et escas ad vivendum habere
possitis : non vestro consilio, sed Dei
voluntate huc missus sum, qui fecit me
quasi patrem Pharaonis, et dominum totius
domus ejus, et principem in omni
terra Ægypti. Quumque post obitum patris
sui auferret suspicionem timoris for-
B midantibus fratribus suis : Nolite, inquit, Ibid. L, 19, 20.
timere ; numquid Dei resistere possumus
voluntati? Vos cogitastis adversum me malum,
et Deus vertit illud in bonum, ut
exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis,
et salvaret populos multos. Quod
etiam factum œconomicum seu dispensatorium
David canit in Psalmo : Vocavit, in- Ps. CIV, 16, 17.
quiens, famem super terram, et omne firmamentum
panis contrivit; misit ante eos
virum, in servum venundatus est Joseph.

Sic igitur virtutem efficaciamque gra-
C tiæ Dei statuamus, ne excessisse regulam
ecclesiasticæ fidei videamur. Ecclesiastica
regula est, prædicante Apostolo : Nemo po- I Cor. XII, 3.
test dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu
Sancto. Ecclesiastica regula est : Gratia Ibid. XV, 10.
Dei sum id quod sum, et gratia ejus in
me vacua non fuit, sed plus omnibus illis
laboravi : non autem ego, sed gratia
Dei mecum ; et, Misericordiam consecu- Ibid. VII, 25.
tus sum, ut fidelis essem. Ecclesiastica
regula est : Habemus thesaurum istum in II Cor. IV, 7.
vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis
D Dei, et non ex nobis. Ecclesiastica regula
est : In nullo terreamini ab adversariis, Philipp. I, 28, 29.
quæ illis est causa perditionis, vobis autem
salutis, et hoc a Deo. Vobis datum
est per Christum, non solum ut in eum
credatis, sed etiam ut patiamini pro eo.
Ecclesiastica regula est : Cum tremore et Ibid. II, 12, 13.
timore vestram ipsorum salutem operamini ;
Deus enim est qui operatur in vobis
et velle et operari, pro bona voluntate.
Ecclesiastica regula est : Non quia idonei II Cor. III, 5.
simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex

nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hanc regulam firmat Deus, dicens : *Joann.* VI, 66. Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei *Ibid.* 37. datum a Patre meo; et, Omne quod dat *Ibid.* XV, 5. mihi Pater, venit ad me; et, Sine me ni- *Ibid.* 16. hil potestis facere; et, Non vos me ele- *Matth.* XI, 27. gistis, sed ego elegi vos; et, Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit revelare; et, *Joann.* V, 21. Sicut Pater vivificat mortuos, ita et Filius *Matth.* XVI, 17. quos vult vivificat; et, Beatus es, Simon Barjona, quoniam caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

Hac regula nulli hominum aufertur voluntas, quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur ita ut non sint, sed ut ex malis bonæ, et ex infidelibus sint *Ephes.* V, 8. fideles; et qui ex semetipsis erant tenebræ, lux efficiantur in Domino; quod mortuum erat vivificetur, quod jacebat erigatur, quod perierat inveniatur. Hoc in *Coloss.* I, 13. omnibus prorsus hominibus, qui eruuntur de potestate tenebrarum, et transferuntur in regnum dilectionis Filii Dei, sine cujusquam exceptione personæ agere credimus gratiam Salvatoris. Quia sicut *Cf. p. 294 C.* hic idem probabiliter definivit, dicimus atque defendimus non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum, ex Deo esse principium, qui nobis et initium bonæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupi- *Jacob.* I, 17. mus, tribuit peragendi : Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum; qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis. Quum enim Deus nos tepuisse conspexerit, ingerit cordibus nostris orationes salutiferas, quibus bona voluntas reformatur in nobis.

CAPITULUM XII.

Indigemus divino auxilio ad exercendum opus salutis.

RECTUM quidem et omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata na- A tura est, dubitare fas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, possent in nobis quæ naturaliter acceperat, perseverare, quia vellet; et merito perseverantiæ in eamdem beatitudinem perveniret, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit, bonus mansit, a proposita sibi lege discessit; nec denuntiari sibi mortis supplicium formidavit, deserens Deum et sequens diabolum, rebellis Domino serva- B tori, et inimico obediens peremptori. Fuit ergo Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et ex illo perierunt omnes. Quod ita non falso dixit B. Ambrosius, sicut non falso ipsa Veritas ait : Venit Filius homi- *Luc.* XIX, 10. nis quærere et salvare quod perierat. Naturæ enim humanæ, illa prævaricationis universalis ruina, nec substantia prærepta est, nec voluntas; sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est. Perditis autem per quæ ad æternam atque inamissibilem corporis animæque C incorruptionem poterat pervenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnabilis et pœnæ? Propter quod natos in Adam renasci oportet in Christo, ne in illa quis inveniatur generatione quæ periit. Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filii iræ, non es- *Ephes.* II, 3. sent tenebræ nec sub potestate tenebrarum, Salvatoris gratia non indigerent, quia non frustra boni essent, nec justitiæ præ- D mio fraudarentur, habentes ea bona quorum amissione primi patres de paradiso exsulare meruerunt. Nunc autem quum sine sacramento regenerationis æternam mortem nemo possit evadere, nonne ex istius remedii singularitate apertissime patet, in quam profundum malum totius generis humani natura demersa sit illius prævaricatione in quo omnes peccaverunt, *Rom.* V, 12. et quidquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primus fidem, perdidit continentiam, perdidit caritatem, spoliatus est

sapientia et intellectu, caruit consilio et fortitudine; et impie altiora sectando, a veritatis scientia et obedientiæ pietate dejectus est, nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis vel metu caveret pœnæ, qui [non] abstinebat amore justitiæ.

Liberum ergo arbitrium, id est rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat fastidivit, et vilescentibus sibi salutis suæ præsidiis, insanam cupiditatem ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Inde, priusquam edendo carnem Filii hominis et bibendo sanguinem ejus, letalem digerat cruditatem, labitur memoria, errat judicio, nutat incessu, neque ullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum et concupiscendum quo se sponte privavit; quia non sicut potuit Deo non impellente corruere, ita potest Deo non erigente consurgere. Ne etenim credamus nos non indigere divino auxilio ad exercendum opus
Philipp. II, 13. salutis, Apostolus ait : Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate. Ideoque et Timotheum
I Tim. IV, 14. admonuit : Noli negligere gratiam Dei quæ
II Tim. I, 6. est in te; itemque, Ob quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te. Hinc quoque Corinthiis scribens, hortatur ne per opera infructuosa facerent
II Cor. VI, 1. se indignos gratia Dei, dicens : Adjuvantes obsecramus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quam quia in vacuum Simon receperat, non profuit ei perceptio gratiæ salutaris. Non enim curavit obedire præ-
Act. VIII, 22, 23. cepto sacratissimi Petri dicentis : Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.

Prævenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini, juxta quod scriptum
Ps. LVIII, 11. est : Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Insuper advocat nos Dominus et
Is. LXV, 2. invitat, quemadmodum ait : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi. Exspectat nos Deus, sicut loquitur per Prophetam :
Propterea exspectat Deus, ut misereatur vestri. Is. XXX, 18.
Confortat nos, secundum quod ait :
Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. Osee VII, 15.
Clamat Dominus Jesus : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Joann. VII, 37.
Quærit nos Dominus, dicens : Quæsivi, et non erat vir; vocavi, et non erat qui responderet. Is. L, 2; LXVI, 4.

CAPITULUM XIII.

Quod humani conatus compensare non possint gratiam Dei.

Et ita gratia Dei semper cooperatur arbitrio nostro in bonum, atque in omnibus sic adjuvat et protegit illud, ut semper gratuita perseveret, dum inæstimabili largitate tribuit parvis conatibus gloriam tantæ immortalitatis, tantaque dona perennis felicitatis. Nonne quod David brevissimo temporis puncto obtinuit tantorum indulgentiam criminum, donum erat Dei miserentis? Denique quid dicamus de hac tam brevi Davidis confessione, tamque incomparabili divinæ miserationis ac retributionis immensitate? quum certum sit quid Apostolus ad futuræ beatitudinis magnitudinem intuens, pronuntiaverit de innumerabilibus atque gravissimis persecutionibus suis : Momentaneum, inquit, et leve hoc tribulationis nostræ, supra modum et ultra comparationem æternum gloriæ pondus operatur in nobis. II Cor. IV, 17.
Unde et alibi constanter fatetur : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. VIII, 18.
Quantumlibet ergo enixa et conata fuerit humana fragilitas, comparari futuræ retributioni non poterit, nec suis laboribus ita diminuet gratiam Creatoris ut non perseveret semper gratuita. Idcirco præfatus gentium Doctor, quamvis testetur se gradum apostolatus sortitum gratia Dei, dicens : Gratia Dei sum id quod sum; tamen affirmat se respondisse et cooperatum esse gratiæ I Cor. XV, 10.

I Cor. xv, 10. divinæ, subdendo : Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi ; non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quum enim ait, Non autem ego, sed gratia Dei mecum, ostendit virtutem protectionis divinæ. Et quum ait, Mecum, testatur gratiam Dei cooperatam esse sibi non otioso neque securo, sed laboranti ac desudanti. Itaque Dominus volens motu humanæ affectionis exprimere suæ pietatis dispensationem, et amorem quem nobis tribuere indefessa pietate dignatur, nec in creaturis inveniens caritatem cui eum dignius compararet, comparavit eum tenerrimis matris visceribus, et utitur hoc exemplo, quoniam carius eo
Is. xlix, 15. inveniri in creaturis non valet : Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Verumtamen non contentus hac comparatione,
Ibidem. transcendit eam confestim, subdendo : Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

CAPITULUM XIV.

Summa nostræ salutis deputanda est cœlesti gratiæ.

PER quod evidenti ratione colligitur, summam nostræ salutis deputandam esse cœlesti gratiæ, non meritis actionum nostrarum, Deo per Prophetam loquente :
Ezech. xx, 43, 44. Recordabimini viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum, et displicebitis vobis ipsis in malitiis vestris ; et scietis quia ego Dominus, quum benefecero vo-
A bis propter nomen meum, non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima, domus Israel. Hinc asseritur ab universis catholicis Patribus, qui perfectionem cordis didicerunt non inani disputatione, sed digna conversatione, hoc divini muneris esse primum, ut accedat unusquisque ad desiderandum omne quod bonum est, sed ita ut plenum sit liberæ voluntatis arbitrium in partem utramque. Secundum vero opus divinæ gratiæ asserunt, ut effici valeant exercitia
B præfata virtutum, ita ut possibilitas arbitrii non tollatur. Tertio ad gratiam pertinere testantur, ut virtutes acquisitæ perseveranter serventur, sed ita ut libertas captivitatem non sentiat. Sic etenim Deus universorum credendus est omnia in omnibus operari, ut incitet, protegat et confirmet, non ut auferat libertatem quam semel donavit. Porro, si quid humana argumentatione et ratione versutum collectum videatur his derogare, vitandum est potius quam ad destructionem fidei propo-
C nendum aut provocandum. Non enim meremur fidem ex intellectu, sed intellectum
ex fide, quemadmodum scriptum est : Nisi Is. vii, 9.
crediderítis, non intelligetis ; quia ut arbitror, plene comprehendi non potest ratione humana qualiter Deus omnia operetur in nobis, et nihilo minus totum adscribatur libero arbitrio, quum Dominus loqui-
tur : Si volueritis, et audieritis me, quæ Ibid. i, 19.
bona sunt terræ comedetis.

Hoc cibo nos confirmatos B. Chæremon fecit non sentire laborem tanti itineris.

COLLATIO XIV

(Abbatis Nesterotis prima)

DE SCIENTIA SPIRITUALI.

CAPITULUM PRIMUM.

De multiplici genere scientiarum.

ORDO sponsionis nostræ requirit ut subsequatur collatio et doctrina abbatis Nesterotis, præclari in omnibus viri, summa scientia decorati. Qui quum sensisset nos commendasse memoriæ aliqua Scripturarum sanctarum, et desiderare intelligentiam earumdem, incepit nos ita affari . Multa scientiarum sunt genera in hoc mundo; tanta namque varietas est earum, quanta et artium et disciplinarum. Sed quum omnes aut omnino sint inutiles, aut solum prosint commodis vitæ præsentis, nulla tamen est quæ non habeat proprium ordinem ac rationem suæ doctrinæ, per quos possit ab expetentibus obtineri. Si igitur illæ artes ad sui manifestationem diriguntur certis ac propriis lineis seu regulis, quanto magis disciplina atque professio nostræ religionis, quæ tendit ad contemplanda arcana invisibilium sacramentorum, nec quærit retributionem quæstus præsentis, sed æternalium præmiorum, subsistit ordine certo ac ratione? Cujus religionis scientia duplex est: prima est practica seu actualis, in emendatione et purgatione vitiorum consistens; alia theorica, quæ consistit in contemplatione divinorum et cognitione sensuum sacratissimorum.

CAPITULUM II.

De apprehendenda spiritualium rerum cognitione.

QUICUMQUE ergo ad theoricam voluerit pervenire, necesse est ut primo A acquirat omni studio ac virtute actualem scientiam. Actualis namque seu practica possideri potest absque theorica; theorica vero nequaquam apprehendi potest absque actuali scientia. Gradus quippe sic ordinati sunt atque distincti, ut humana humilitas possit ad altiora ascendere. Qui gradus si invicem sibi succedant modo prætacto, potest homo ad sublimia pervenire, ad quæ transvolare non valet primo gradu sublato. Frustra igitur tendit ad Dei conspectum, qui vitiorum maculas B non devitat : Spiritus enim Dei effugiet peccatum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap. 1, 5, 4.

CAPITULUM III.

Quod actualis scientia in duobus consistat.

HÆC autem actualis scientia sita in duobus est. Nam primus modus seu gradus ejus est, ut natura omnium vitiorum et ratio curationis eorum sciantur. C Secundus est, ut ita discernatur ordo virtutum, et mens nostra ita formetur perfectione earum, ut illis famuletur non jam quasi coacta aut violento imperio subdita, sed delectetur et pascatur eis tanquam naturali bono et convenientissimo cibo, arduamque viam salutis cum delectatione perambulet. Qualiter enim valebit attingere rationem habitumque virtutum, in quo consistit gradus secundus scientiæ actualis, aut sacramenta spiritualium atque cœlestium rerum in gradu sublimiori D theoricæ, qui naturam vitiorum suorum nequivit cognoscere, nec ea conatus est

exstirpare? Consequens namque est ut dicatur non posse ad altiora procedere, qui planiora et faciliora mala non vicerit: multoque minus apprehendet et sciet ea quæ extrinsecus sunt, qui intelligere non potuit ea quæ sibi insunt. Verumtamen agnoscamus quod duplici labori insudandum sit nobis, tam in vitiis expellendis quam in virtutibus acquirendis. Nec hoc capimus ex propria conjectura, sed illius sententia qui solus cognoscit vires et rationem opificii sui, qui ait per prophetam Jer. I, 10. Jeremiam: Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices et plantes. In expulsione quippe rerum noxiarum insinuavit quatuor necessaria esse: id est, evellere, destruere, disperdere, dissipare. In perficiendis vero virtutibus et in acquirendis his quæ ad justitiam pertinent, duo tantum necessaria esse signavit: id est, ædificare et plantare. Unde liquido patet, quod difficilius sit inolitas corporis et animæ passiones evellere et eradicare, quam spirituales virtutes exstruere ac plantare.

CAPITULUM IV.

Quod actualis vita derivetur circa multas professiones et studia.

HÆC igitur practica, quæ in duobus modis consistit, ut dictum est, dividitur circa multas professiones et studia. Quidam enim principalitatem suæ intentionis constituunt circa deserti secreta et animi puritatem, ut olim Elias et Eliseus, et nostris temporibus B. Antonius, et alii sectatores ejusdem propositi, qui per solitudinis silentium et quietem Deum familiarissime quæsierunt. Quidam apposuerunt omnem sollicitudinem studii sui circa Fratrum directionem et curam cœnobiorum pervigilem, ut nuper B. Joannes qui in vicina civitate præfuit grandi cœnobio, et alii quidam ei similes, quos scimus apostolicis coruscasse miraculis. Quosdam delectat pium obsequium hospitalitatis et susceptionis aut xenodochii, per quod Abraham patriarcha et Lot Deo olim placuerunt, et nuper B. Macarius, vir singularis mansuetudinis ac patientiæ, qui apud Alexandriam ita præfuit hospitalitati aut xenodochio, ut credendus sit nulli eorum esse inferior qui solitariam vitam egerunt. Porro quidam eligentes ægrotantibus servire, alii pro miseris et oppressis intervenire, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynam pauperibus largientes, viguerunt, et computati sunt pro suo affectu et pietate inter magnos et summos viros.

CAPITULUM V.

De arreptæ professionis perseverantia.

QUAPROPTER hoc unicuique utile atque conveniens est, ut secundum propositum quod elegit, seu gratiam vocationis quam accepit, summo studio ac diligentia festinet pervenire ad operis arrepti et status assumpti perfectionem, et aliorum virtutes admirans ac laudans, nequaquam discedat a sua professione quam semel elegit: sciens unum esse corpus Ecclesiæ multaque membra, et habere Ecclesiam donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. (Rom. XII, 4, 6-8.) Nec enim ulla naturalia membra possunt sibi vindicare ministeria aliorum membrorum, quia nec oculi utuntur officio manuum, nec nares exercent officium aurium. Idcirco non omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes doctores; non omnes habent gratiam curationum, non omnes loquuntur linguis, non omnes interpretantur. (I Cor. XII, 29, 30.)

CAPITULUM VI.

De imperfectorum instabilitate et mutatione.

SOLENT quippe qui nondum fundati sunt in professione arrepta, quum audierint quosdam in diversis studiis et statibus atque virtutibus commendari, ita eorum exemplis et laude accendi, ut protinus cupiant sequi vocationem ac disciplinam eorum. In quo humana fragilitas impendit cassos conatus, quum impossibile sit unum eumdemque hominem simul fulgere universis donis et actibus jam præfatis. Quos si quis voluerit pariter affectare, necesse est ad hoc devenire, ut dum omnes sequitur, nullum integre consequatur, atque ex hac mutatione capiat detrimentum potius quam profectum. Multis etenim viis ad Deum tenditur : ideo unusquisque irrevocabiliter compleat illam cursus sui intentionem quam semel arripuit, ut sit in qualibet professione perfectus.

CAPITULUM VII.

Exemplum castitatis quo docetur non omnia esse ab omnibus æmulanda.

ABSQUE illo etenim detrimento quod jam diximus incidere monachum, qui mentis mobilitate cupit ad opera diversarum vocationum transire, etiam hinc periculum mortis incurritur, quod aliqua a quibusdam recte assumpta ac gesta, incaute et non recte attentantur ac præsumuntur ab aliis; et quæ aliquibus bene cesserunt, sentiuntur et fiunt aliis perniciosa : nempe (ut exempli gratia aliqua proferamus), velut si quis velit sectari virtutem viri illius, quam solet abbas Joannes narrare, non ad imitandum, sed ad admirandum. Quidam namque in habitu sæculari veniens ad abbatem Joannem, et portans ei quasdam frugum suarum primitias, reperit ibi quemdam ferocissimo

A obsessum dæmonio, quod adjurationes et jussiones Joannis despexit, protestans se nequaquam exiturum a corpore quod possedit, ad Joannis imperium; sed adventu viri illius sæcularis ita perterritum est, quod cum reverentissima nominatione ipsius mox fugit. Cujus viri tam evidentem virtutem et gratiam abbas Joannes vehementer admirans, præsertim quum cerneret eum habitu sæculari vestitum, cœpit ab eo diligenter inquirere qualitatem et ordinem suæ vitæ. Qui quum responderet se
B esse sæcularem et uxoratum, Joannes mente pertractans excellentiam virtutis ac gratiæ ejus, attentius investigavit conversationem ipsius. Qui testabatur se rusticum esse, quotidianumque victum opere manuum quærere, nec alicujus boni in sese esse conscium, nisi quod de mane nunquam procederet ad exercenda opera rusticana, neque de vespere domum rediret, nisi prius in ecclesia referret gratias Deo pro victu quotidiano; nec unquam usurpare se aliquid de fructibus suis, nisi
C prius offerret Deo primitias eorum ac decimas; nec unquam duxisse se boves suos per agros messesque aliorum, nisi ora eorum prius ligaret, ne proximi sui vel modicum damnum incurrerent ex negligentia sua. Denique quum nec ista viderentur abbati Joanni idonea respectu gratiæ tantæ qua vidit illum se esse perfectiorem, et sciscitans scrutaretur quidnam esset per quod tanti esset meriti, ille adstrictus reverentia tam sollicitæ inquisitionis, confessus est se accepisse uxorem ante duo-
D decim annos ex compulsione parentum, quum monachus fieri vellet, nec se illam unquam cognovisse, sed loco sororis habere ac virginem custodire, nemine id sciente. Quo audito, senex tanta admiratione repletus est, ut coram viro illo publice fateretur quod dæmon, a quo ipse erat despectus, merito tolerare non potuit illius præsentiam, cujus virtutem appetere ipse non auderet sine castitatis discrimine, non solum in juventutis fervore, imo nec modo in senio suo. Quod factum

quamvis abbas Joannes cum summa admiratione narraret, nullum tamen monachorum hortatus est ut tale quid attentaret, sciens quod multa ab aliquibus bene gesta, fuerint aliis ea imitari volentibus occasio magnæ ruinæ, nec posse ab omnibus usurpari quæ aliquibus conceduntur a Deo munere speciali.

CAPITULUM VIII.

De spirituali scientia.

SED revertamur ad declarationem scientiæ de qua sumptum est collationis hujus exordium. Itaque, sicut jam diximus, practica versatur circa diversas professiones ac studia ; theorica vero in duas dividitur partes, puta in expositionem seu sensum historicum, et intelligentiam spiritualem. Unde et Salomon quum enumerasset multiplicem Ecclesiæ gratiam, addidit : Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. (Prov. XXXI, 21.) Porro spiritualis scientiæ tria sunt genera : utpote tropologia, allegoria, et anagoge. De quibus in Proverbiis dicitur : Ecce descripsi eam tibi tripliciter super latitudinem cordis tui. (Ibid. XXII, 20, juxta LXX.) Ad historiam autem pertinet cognitio præteritarum ac visibilium rerum, ut quum ait Apostolus : Scriptum est, quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et alterum de libera. (Galat. IV, 22.) Ad allegoriam pertinent quæ sequuntur, quibus affirmat illa quæ historialiter facta sunt, præfigurasse formam alterius sacramenti, dicendo : Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar ; Sina enim mons est in Arabia, etc. (Ibid. 24, 25.) Anagoge vero de spiritualibus mysteriis ascendit ad sublimiora et sacratiora secreta, sicut quum ait Apostolus : Quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater nostra ; scriptum est enim, Lætare, sterilis, quæ non paris, erumpe et clama, quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. (Ibid. 26, 27. Is. LIV, 1.) Tropologia est moralis expositio, pertinens

A ad vitæ emendationem instructionemque actualem, ut si per hæc duo testamenta intelligamus scientiam practicam atque theoricam ; vel certe si per Jerusalem aut Sion intelligamus hominis animam, juxta illud : Lauda, Jerusalem, Dominum ; lauda Deum tuum, Sion. (Ps. CXLVII, 12.) Sicque prædicti quatuor sensus intelligi possunt per idem, sic quod una eademque Jerusalem quadrupliciter potest intelligi : utpote secundum historiam, civitas Judæorum ; secundum allegoriam, Ecclesia Christi ; secundum anagogen, B cœlestis illa civitas quæ est mater omnium nostrum ; secundum tropologiam, anima hominis, quæ frequenter sub hoc nomine laudatur aut increpatur a Domino.

Denique de his quatuor generibus expositionum ait Apostolus : Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina ? (I Cor. XIV, 6.) Revelatio enim spectat ad allegoriam, per quam historica narratio reseratur spirituali expositione ac C sensu ; ut si verbi gratia, mystice interpretari conemur quod ait Apostolus : Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt de consequenti eos petra ; petra autem erat Christus. (Ibid. X, 1-4.) Quæ omnia allegorice referuntur ad Christum et ad ejus Baptismum, et corpus et sanguinem quæ quotidie sumimus. Scientia quoque ab Apostolo nominata, est D tropologia, qua prudenti examinatione discernimus universa quæ ad discretionem pertinent actualem, utrum sint utilia vel honesta : ut quum jubet Apostolus ut apud nos ipsos judicemus, an deceat mulierem capite non velato orare Deum ; (Ibid. XI, 13.) quæ ratio moralem continet intelligentiam, quemadmodum dictum est. Prophetia quoque, quam tertio loco nominavit Apostolus, anagogen designat, per quam sermo transfertur ad invisibilia et futura, ut est illud : Nolumus autem vos ignorare, fratres, de (I Thess. IV, 13, 14.)

dormientibus, ut non contristemini sicut A et ceteri qui spem non habent; si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo, etc. Qua exhortatione anagoge præfertur et insinuatur. Doctrina demum pandit simplicem expositionis historicæ ordinem, in qua nullus intellectus secretior continetur quam
I Cor. xv, 3. qui verbis exprimitur, ut est illud : Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas; et quod B
Galat. iv, 4. 5. iterum scriptum est : Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret;
Deut. vi, 4. itemque, Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.

CAPITULUM IX.

Quod de actuali scientia proficiatur ad spiritualem.

PROPTEREA si curamus ad lumen spi- C ritualis scientiæ pervenire, non vitio inanis jactantiæ, sed gratia emundationis internæ, accendamur primum desiderio
Matth. v, 8. beatitudinis de qua refertur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; ut etiam perveniamus ad illam de qua ange-
Dan. xii, 3. lus ait ad Danielem : Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Unde et alius ait
Osee x. 12, juxta LXX. Propheta : Illuminate vobis lumen scientiæ, dum tempus est. Tenentes itaque di- D ligentiam lectionis quam habere vos sentio, omni studio festinate in primis integre possidere actualem scientiam, seu ethicam disciplinam : quoniam sine hac apprehendi non potest theorica puritas, quam ii tantum quasi pro præmio consequuntur post multa opera laborumque studia, qui perfecti sunt actuum propriorum virtute, non aliorum docentium verbis. Acquirentes quippe intelligentiam legis non a meditatione, sed operatione, cum Psalmographo cantant : A mandatis tuis intellexi. Ps. cxviii. 104.
Excoctis quoque passionibus universis, fiducialiter dicunt : Psallam et intelligam Ps c. 1. 2.
in via immaculata. Ille enim psallens intelligit quæ canuntur, qui gressu puri cordis immaculatæ viæ innititur. Ideo si præparare vultis in corde vestro tabernaculum spirituali scientiæ, purgate vos ab omni vitiorum contagione, et sæculares curas abjicite. Impossibile namque est animam mundanis distentionibus vel modice occupatam, promereri donum scientiæ, aut generatricem fieri spiritualium sensuum, vel tenacem esse lectionum sacrarum.

Observate ergo in primis, et maxime tu, Joannes, cui adolescentior ætas amplius suffragatur ad custodiendum quæ dicam, ut imponas ori tuo summum silentium, ne studium lectionis aut labor desiderii tui vana elatione cassetur. Hic est enim actualis disciplinæ primus ingressus : Om- Eccle. vi, 7.
nis namque labor hominis in ore ipsius; insuper ut intento corde et quasi muto ore suscipias instituta atque sententias seniorum, et ea in corde tuo diligenter condens, magis festines hæc facere quam docere. Ex festinatione enim docendi orietur vanæ gloriæ perniciosa præsumptio, ex festinatione autem ea implendi pullulabit fructus spiritualis scientiæ. Nihil itaque audeas proferre in seniorum collatione, nisi ad quod interrogandum impulerit te ignorantia periculosa, aut necessariæ cognitionis causa seu ratio, quemadmodum quidam amore vanæ gloriæ occupati, ea quæ optime norunt simulatorie quærunt pro ostentatione doctrinæ. Impossibile quippe est eum qui studio lectionis insistit desiderio laudis humanæ, promereri donum veræ scientiæ. Qui enim passione hac victus est, necesse est ut involvatur aliis vitiis, præsertim elatione; sicque prostratus et victus in aggressione scientiæ actualis seu ethicæ, minime consequetur spiritualem scientiam ex ea nascentem. Esto ergo per omnia velox ad Jacob. i, 19.
audiendum, tardus autem ad loquendum,

[Prov. xxix, 20, juxta LXX.] ne impleatur in te quod Salomon ait : Vidisti hominem velocem ad loquendum? magis illo spem stultus habebit; nec quemquam docere præsumas, quod ante non feceris. Hunc etenim ordinem nos debere tenere docuit et Salvator suo exemplo, [Act. i, 1.] juxta quod scriptum est : Cœpit Jesus facere et docere. Cave ergo ne ante actum prosilias ad docendum, et computeris inter illos de quibus dixit Salvator discipu- [Matth. xxiii, 3, 4.] lis : Quæ dicunt servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt, alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo no- [Ibid. v, 19.] lunt ea movere. Præterea si ille qui unum mandatum minimum solverit, et docuerit sic homines, vocabitur minimus in regno cœlorum, consequens est ut qui multa et majora negligens præsumpserit docere sic homines, habeatur non jam profecto minimus in regno cœlorum, sed maximus in suppliciis inferorum. Idcirco cavendum est tibi, ne ad loquendum inciteris illorum exemplis qui adepti peritiam disputandi affluentiamque loquendi, spiritualem scientiam possidere creduntur ab iis qui non noverunt discernere qualitatem et vim hujus scientiæ, eo quod sciant ornate et copiose effari quæ volunt. Aliud namque est habere nitorem et facilitatem sermonis, aliudque intrare medullas ac venas verborum cœlestium, atque purissimo cordis oculo contemplari profunda sacramenta eorum. Quod nullatenus obtinebit doctrina humana aut eruditio sæcularis, sed per illuminationem Spiritus Sancti sola puritas cordis.

CAPITULUM X.

De apprehendenda veræ scientiæ disciplina.

FESTINANDUM ergo est tibi, si vis ad veram Scripturarum scientiam pervenire, ut in primis consequaris et teneas immobilem cordis humilitatem, quæ te [A] perducat non ad scientiam illam quæ in- [I Cor. viii, 1.] flat, sed ad eam quæ caritatis consummatione illuminat. Impossibile namque est mentem immundam adipisci donum scientiæ spiritualis. Hinc omni cautione devita ne pro studio lectionis nascantur tibi non lumen scientiæ, neque perpetua gloria, quæ per illuminationem doctrinæ promittitur, sed instrumenta perditionis pro vanitate elationis. Deinde omnino debes conari, ut expulsa omni sollicitudine et cogitatione terrena, insistas sacræ lectioni [B] assidue, imo ac jugiter magis, donec continua meditatio imbuat mentem tuam et quasi in similitudinem sui formet, faciens eam quodammodo arcam testamenti ha- [Hebr. ix, 4.] bentem in se duas lapideas tabulas, id est perpetuam firmitatem utriusque legis, seu Scripturarum ipsius; aureamque urnam, hoc est sinceram memoriam, quæ perpetua tenacitate conservet manna in ea reconditum, puta perennem atque cœlestem dulcedinem spiritualium sensuum et panis angelici; virgam etiam Aaron, id est [C] salutare vexillum veri et summi pontificis nostri Jesu Christi, viriditate immortalis memoriæ semper frondescens. Hæc namque est virga, quæ postquam abscisa est [Is. xi, 1.] de radice Jesse, efficacius reviresc it. Insuper hæc omnia protegentur duobus Cherubim, id est plenitudine spiritualis scientiæ atque historicæ. Cherubim enim interpretatur plenitudo scientiæ : quæ ju- [Hebr. ix, 5.] giter protegent propitiatorium Dei, id est habitaculum et placiditatem pectoris tui, et illud a cunctis spiritualium nequitiarum [D] incursibus obumbrabunt. Et ita mens tua, provecta non solum in arcam testamenti divini, verum etiam in regnum sacerdotale, et per indissolubilem puritatis affectum absorpta quodammodo spiritualibus disciplinis, implebit illud pontificale mandatum per Moysen datum, quo dicitur, De sanctis non egredietur, ne pollu- [Lev. xxi, 12.] at sanctuarium Dei, id est cor suum, in quo Deus promittit se jugiter habitaturum, Inhabitabo (inquiens) in eis, et inter [II Cor. vi, 16; Lev. xxvi, 12.] illos ambulabo. Quamobrem sacra Scri-

ptura est diligenter memoriæ commendanda et incessabiliter recensenda. Hujus namque assiduitas meditationis, duplicem fructum nobis confert : primum, quia dum mentis intentio occupatur legendo, non captivatur laqueis cogitationum pravarum ; secundum, nam ea quæ frequenti repetitione percurrendo laboramus memoriæ tradere, nec eo tempore potuimus intelligere, obligata tunc mente, postmodum absoluti ab universis visionum actuumque illecebris, taciti revolventes et maxime nocturna meditatione, eadem clarius intuemur : ita ut intelligentia occultissimorum sensuum, quos vigilando non potuimus saltem tenuiter capere, reveletur nobis quiescentibus et quasi demersis stupore soporis.

CAPITULUM XI.

De multiplici intellectu Scripturæ.

Crescente autem innovatione mentis nostræ per hoc studium lectionis, facies quoque seu notitia Scripturarum incipiet innovari in nobis, et pulchritudo sacratioris intelligentiæ cum proficiente proficiet. Decor etenim Scripturarum coaptatur capacitati sensuum humanorum, ita ut Scriptura sancta videatur carnalibus esse terrena, spiritualibus vero divina : ita ut hi quibus antea apparebat crassis nebulis involuta, nequeant subtilitatem ejus concipere, nec fulgorem ipsius valeant sustinere. Porro ut hoc ipsum quod affirmamus, clarius pateat per exemplum, unum testimonium legis proferre sufficiat, per quod etiam probemus cuncta præcepta cœlestia extendi ad omne hominum genus secundum mensuram status eorum.

Exod. xx, 14. Scriptum est enim in lege : Non fornicaberis. Hoc salubriter custoditur secundum simplicem litteræ sonum ab homine adhuc detento passionibus obscenitatum carnalium. Sed necesse est istud spiritualiter observari ab homine qui recessit ab opere hoc immundo et carnali affe- A ctu, ut scilicet non solum discedat a cærimoniis idolorum et observatione omnium signorum et dierum ac temporum, sed etiam ab omni superstitione gentilium et auguriorum, vel certe ne implicetur conjecturis quorumdam verborum aut nominum quæ polluunt fidei nostræ sinceritatem. Hac quippe fornicatione Jerusalem dicitur constuprata, quæ fornicata est (*Jer.* III, 6.) in omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso. Quam etiam Dominus increpans per Prophetam, disseruit : Stent et salvent (*Is.* XLVII, 13.) B te augures cœli, qui contemplabantur sidera et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. De qua fornicatione iterum arguens eos : Spiritus, inquit, (*Osee* IV, 12.) fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. Qui ergo ab hac gemina fornicatione discesserit, habebit tertiam quam devitet, quæ in superstitionibus legis ac Judaismi consistit. De quibus ait Apostolus : Dies observatis, et menses, et tempora, et annos ; (*Galat.* IV, 10.) et iterum, Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis. (*Coloss.* II, 21.) C Quæ de superstitionibus legis dicta esse non dubium est, quas si quis inciderit, procul dubio mœchatus est a Christo, nec ab Apostolo audire meretur : Despondi (II *Cor.* XI, 2.) enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo ; sed illud quod sequitur, dicetur ad eum voce ejusdem Apostoli : Timeo autem, ne sicut serpens decepit Evam (*Ibid.* 3 ; *Gen.* III, 4.) astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo Jesu. Insuper qui immunditiam hujus fornicationis effugerit, habebit quar- D tam quam fugiat, quæ perpetratur hæreticæ pravitati consentiendo, de qua affirmat Apostolus : Ego scio quia post discessionem meam intrabunt in vos lupi graves, (*Act.* XX, 29, 30.) non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Postremo qui fornicationem istam abjecerit, caveat ne subtiliore peccato labatur in vitium fornicationis quæ sita est in evagatione cogitationum distractioneque cordis. Omnis enim cogitatio non solum turpis, sed etiam

otiosa aut quantumcumque modice a Deo discedens, reputatur a viro perfecto immundissima fornicatio.

CAPITULUM XII.

Interrogatio, qualiter possit ad oblivionem sæcularium carminum perveniri.

GERMANUS : Ad hæc ego primo motus compunctione occulta, deinde graviter ingemiscens locutus sum : Hæc omnia quæ copiosissime protulisti, auxerunt mihi desperationem præ solito. Mihi namque accedit extrinsecus speciale impedimentum salutis, præter generales animæ tentationes et distractiones quibus non dubito infirmos pulsari. Quod impedimentum oritur mihi per notitiam litterarum, quam videor aliqualiter attigisse : in qua maceravit me instantia pædagogi atque continuæ studium lectionis, ita ut mens mea poeticis carminibus illis infecta, meditetur nunc etiam tempore orationis illas fabularum nugas historiasque bellorum quibus imbuta est a primis pueritiæ rudimentis ac studiis; impudens quoque memoria poematum ingeratur, aut quasi pugnantium principum imago ante oculos meos versetur, dum psallo aut pro peccatorum indulgentia oro; taliumque phantasmatum species me semper illudens, non patitur mentem meam adspirare ad supernos intuitus, in tantum ut exstingui non valeat fletibus quotidianis.

CAPITULUM XIII.

Responsio, qualiter memoriam talium carminum possimus abolere.

NESTEROS : De hac ipsa re de qua nascitur tibi desperatio maxima, poterit tibi oriri velox efficaxque remedium, si diligentiam atque instantiam quas te habuisse dixisti circa sæcularia studia illa, transferre volueris ad lectionem ac meditationem spiritualium Scripturarum. Necesse est enim mentem tuam occupari A carminibus illis tamdiu, quamdiu alia sibi acquirat simili assiduitate ac studio, quæ intra se condat ac recolat, et pro illis infructuosis ac terrenis parturiat spiritualia ac divina. Quæ quum mens tua profunde et alte conceperit, fueritque enutrita in illis, priores nugæ ac fabulæ poterunt sensim expelli, aut penitus aboleri. Vacare enim cogitationibus cunctis mens humana simul non potest : idcirco quamdiu non fuerit spiritualibus studiis occupata, necesse est eam implicari his quæ didicit B ante. Quamdiu enim non habuerit quo recurrat, et circa quod infatigabiliter occupetur, necesse est ut ad ea labatur quibus ab infantia est instructa, eaque semper revolvat quæ longo usu ac meditatione concepit.

Ut ergo hæc spiritualis scientia roboretur in te soliditate continua, nec ea fruaris solum ad horam, ut illi qui eam attingunt non studio suo, sed aliorum relatione, et ut sic loquar, velut aerio odore percipiunt; sed ut cordi tuo inviscerata C sit et perspecta, ac quasi palpata condatur in eo, hoc convenit te omni diligentia custodire : ut si forte audieris in collatione proferri etiam ea quæ optime nosti, non suscipias ea aspernanter aut fastidiose, eo quod nota sint tibi, sed ea commendes cordi tuo illa aviditate qua desiderabilia verba salutis infundenda sunt auribus nostris indesinenter, atque ex ore nostro jugiter proferenda. Quamvis enim sancta ac salutaria frequenter narrentur, nunquam tamen satietas gignet horrorem animæ ha- D benti sitim veræ scientiæ, sed ea quotidie velut nova et desiderata percipiens, quanto frequentius hauserit illa, tanto avidius eadem vel audiet aut loquetur; sicque ex frequenti collatione seu repetitione accipiet potius confirmationem scientiæ ante possessæ, quam ullum fastidium. Evidens quippe indicium superbæ ac tepidæ mentis est, si quis negligenter aut fastidiose suscipiat verborum salubrium medicinam, quamvis frequenter adhibitam : Anima enim quæ in satietate est, favis illudit; Prov. xxvii, 7, juxta LXX.

animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur.

Si itaque diligenter hæc exsequaris, et sacra eloquia fuerint in secretis animæ tuæ recondita ac debita taciturnitate signata, postea tanquam vina suaviter odo-
Ps. CIII, 15. rantia atque cor hominis exhilarantia, proferentur de vase pectoris tui cum grandi fragrantia sui, quum decocta fuerint virtute patientiæ sensuumque canitie; et tanquam fons perennis redundabunt irriguis virtutum meatibus de experientiæ venis, continuaque effundent fluenta quasi de quadam abysso ingenii tui. Et ita implebitur in te quod in Proverbiis dicitur ei qui
Prov. V, 15, 16, juxta LXX. hæc opere consummavit : Bibe aquas de vasis tuis et de fonte puteorum tuorum; supereffluant tibi aquæ de tuo fonte, et in plateas transeant aquæ tuæ. Et juxta
Is. LVIII, 11, 12. Isaiam prophetam : Eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ; et ædificabuntur in te deserta a sæculis, fundamenta generationis et generationis suscitabis; et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. Sicque conveniet tibi et illa bea-
Ibid. XXX, 20, 21. titudo de qua idem loquitur Isaias : Non faciet Deus avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum ; et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc via, ambulate in ea, et neque ad dexteram neque ad sinistram. Atque sic fiet ut non solum omnis directio ac meditatio cordis tui, imo et cunctæ evagationes ac discursus cogitationum tuarum, sint tibi divinæ legis sancta incessabilisque ruminatio.

CAPITULUM XIV.

Quod immunda anima nec possit docere nec discere scientiam spiritualem.

QUEMADMODUM autem præfati sumus, impossibile est quemquam immundum et inexpertum ista cognoscere vel docere. Qui enim capax non est ad percipiendum seu ad discendum, quomodo erit idoneus ad docendum? De quibus tamen si aliquis docere præsumpserit, sermo ejus procul dubio inefficax atque inutilis erit, et ad audientium aures tantum perveniet, cor autem eorum penetrare non poterit, utpote proditus inertia operum et infructuositate propriæ vanitatis : quia doctrina sua non profluit de thesauro conscientiæ bonæ, sed de præsumptione inanis jactantiæ. Impossibile namque est immundam animam adipisci spiritualem scientiam, quantumcumque magna laboret lectionis instantia. Nemo enim infundit nobilem optimumque liquorem in vas fœtidum et corruptum. Testa namque semel infecta horrendis fœtoribus, facilius contaminat myrum quamvis odoratissimum, quam aliquid suavitatis ex illo acquirat; munda enim multo citius corrumpuntur, quam corrupta mundantur. Ita ergo vas pectoris nostri nisi prius purgetur ab omni passione ac vitio, non merebitur illud benedictionis unguentum suscipere de quo dicitur per Prophetam : Sicut unguentum *Ps.* CXXXII, 2.
in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus; nec mens polluta servabit spiritualem illam scientiam atque eloquia Scripturarum, quæ dulciora sunt super *Ps.* XVIII, 11.
mel et favum. Quæ enim participatio ju- II *Cor.* VI, 14, 15.
stitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci cum tenebris? Quæ autem conventio Christi ad Belial?

CAPITULUM XV.

Quæstio, quomodo multi immundi scientiam habeant, et sancti non habeant.

GERMANUS : Hæc tua assertio non videtur veritate fulciri aut probabili rationi inniti. Nempe quum certum sit omnes illos esse immundos qui fidem Christi despiciunt, aut eam hæretica pravitate corrumpunt, quomodo multi Judæi, hæretici, ac vitiosi catholici Scripturam sanctam perfecte intelligunt, et de magnitudine spiritualis scientiæ aut doctrinæ exsultant; et

econtra innumera multitudo virorum sanctorum, ab omnibus vitiis purgatorum, simplici fide contenta est, et profundioris scientiæ ignorat arcana? Qualiter ergo stabit illa sententia quæ spiritualem scientiam non nisi cordis tribuit puritati?

CAPITULUM XVI.

Responsio, quod mali veram scientiam non possint habere.

NESTEROS : Certum est quod vim doctrinæ non recte examinat, qui non perpendit diligenter omnia verba prolatæ sententiæ. Prædiximus enim hujusmodi homines tantum habere disputandi peritiam et sermonis ornatum, non autem posse intrare venas Scripturarum et arcana spiritualium sensuum. Vera quippe scientia non possidetur nisi a veris Dei cultoribus, quam certe populus ille non habet cui
Jer. v, 21. dicitur : Audi, popule stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, et
Osee iv, 6. aures et non auditis; et iterum, Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne
Coloss. ii, 3. sacerdotio fungaris mihi. Quum enim in Christo sint omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, quomodo is qui Christum invenire contempsit, aut inventum sacrilego ore blasphemat, aut fidem catholicam immunditiis polluit, credendus
Sap. i, 5, 4. est veram scientiam habere? Spiritus namque Dei disciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Idcirco non aliter ad spiritualem scientiam pervenitur nisi hoc ordine, quem unus Prophetarum eleganter expressit, dicen-
Osee x, 12, juxta LXX. do : Seminate vobis ad justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Primo ergo seminare debemus ad justitiam, ut scilicet activæ perfectionem vitæ per opera justitiæ exsequamur; deinde metere debemus spem vitæ, hoc est, congregare spirituales fructus virtutum expulsione vitiorum, et ita poterimus nobis illuminare lumen scientiæ. Quem etiam ordinem docet Psalmista esse tenendum :
A Beati (inquiens) immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; beati qui scrutantur testimonia ejus. Non enim prius dixit : Beati qui scrutantur testimonia ejus; et postea, Beati immaculati in via; per hoc evidenter ostendens neminem posse pertingere ad perscrutanda testimonia Dei, nisi prius per actualem conversationem incedat in via Christi immaculatus. Prædicti ergo non habent scientiam istam, sed falsi nominis scientiam, de qua ait
Apostolus : O Timothee, depositum custo- 1 Tim. vi, 20.
B di, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ.

(Ps. cxviii, 1, 2.)

De his ergo qui videntur imaginem quamdam scientiæ adipisci, vel diligenter insistunt lectioni sacrorum voluminum atque memoriis Scripturarum, carnalia tamen vitia non relinquunt, in Proverbiis
dicitur eleganter : Sicut inauris aurea in Prov. xi, 22, juxta LXX.
naribus suis, ita mulieri male moratæ species. Quid enim prodest quempiam consequi ornamentum eloquiorum cœlestium, pretiosissimam quoque notitiam Scriptura-
C rum, si eam quasi immundissimam terram subigendo confringat, id est, carnalibus sensibus et immundis operibus aut fœdis libidinum suarum volutabris polluat? Fit enim ut id quod recte utentibus solet esse decori, istos non solum non ornet, verum
etiam majore turpitudine inquinet. Ex ore Eccli. xv, 9.
etenim peccatoris non est pulchra laudatio, cui Dominus loquitur per Prophetam :
Quare tu enarras justitias meas, et assu- Ps. xlix, 16.
mis testamentum meum per os tuum? Denique de hujusmodi animabus quæ non
D possident stabiliter Dei timorem (de quo
legitur : Timor Domini disciplina et sa- Prov. xv, 33, juxta LXX.
pientia), et quæ conantur sensum acquirere Scripturarum ex memoria et jugi meditatione earum, satis proprie in Pro-
verbiis fertur : Ut quid fuerunt divitiæ Ibid. xvii, 16, juxta LXX.
insipienti? Possidere enim sapientiam excors non poterit. In tantum vero hæc vera et spiritualis scientia removetur et distat a sæculari scientia quæ carnalium vitiorum sorde polluitur, ut spiritualem illam scientiam sciamus aliquando mirabiliter

viguisse in quibusdam elinguibus et pene A illitteratis. Quod evidentissime patuit ac probatur in Apostolis et aliis multis, qui non dilatabantur inani philosophorum carnalitate, sed veris fructibus spiritualis scientiæ curvabantur. De quibus in Apostolorum Actibus conscriptum est (*Act.* IV, 13) : Videntes autem Petri constantiam et Joannis, et comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur.

Idcirco si tibi cura est ad immarcescibilem hujus scientiæ dulcedinem pervenire, toto conatu in primis labora ut pu- B ritatem castitatis a Deo obtineas. Nullus enim poterit spiritualem scientiam possidere, in quo dominatur adhuc affectus carnalium passionum, et maxime fornicationis (*Prov.* XIV, 33. *Eccli.* XXXII, 18) : In corde enim bono requiescit sapientia ; et, Qui timet Deum, inveniet scientiam cum justitia. Præterea etiam beatus Apostolus docet, ad spiritualem scientiam perveniri ordine jam prædicto. Quum etenim vellet non solum ponere numerum universarum suarum virtutum, sed et ordinem earumdem exponere, ut explicaret C quæ quam sequeretur, et quæ quam produceret, dixit (II *Cor.* VI, 5, 6) : In vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta. Qua conjugatione virtutum voluit evidentissime nos docere, quod de vigiliis et jejuniis perveniatur ad castitatem, de castitate ad scientiam, de scientia ad longanimitatem, de longanimitate ad suavitatem, de suavitate ad Spiritum Sanctum, de Spiritu Sancto ad caritatis præmia. Quum hac ergo disciplina et ordine D isto tu quoque perveneris ad spiritualem scientiam, habebis procul dubio, sicut jam diximus, doctrinam non sterilem et inertem, sed virentem et fructuosam; semen quoque verbi salubris, quod quum fuerit ante infusum cordibus audientium, subsequens imber Spiritus Sancti largissimus fecundabit, et juxta propheticam promissionem (*Is.* XXX, 23), Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terræ tuæ erit uberrimus et pinguis.

CAPITULUM XVII.

Quibus debeat perfectio aperiri.

CAVE quoque ne ista quæ didiceris sudore experientiæ magis quam lectione, quum ætas maturior te provexerit ad docendum, ingeras passim immundis hominibus, seductus amore gloriæ vanæ, ne facias quod Salomon prohibet, dicens (*Prov.* XXIV, 15, juxta LXX) : Noli applicare stultum ad pascua justi, nec seducaris saturitate ventris; non enim decent stultum deliciæ, nec opus est sapientia ubi deest sensus (*Ibid.* XIX, 10, juxta LXX). Magis enim ducitur insipientia : quoniam, Servus durus non emendabitur verbis, si enim intellexerit, non obediet (*Ibid.* XVIII, 2, juxta LXX); et, In auribus imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos (*Ibid.* XXIX, 19, juxta LXX); et, Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos (*Ibid.* XXIII, 9, juxta LXX. *Matth.* VII, 6). Oportet itaque ut subtrahens talibus hominibus secreta spiritualium sensuum, efficaciter psallas (*Ps.* CXVIII, 11) : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

Sed forsitan quæras : Quibus proponenda sunt secreta Scripturæ divinæ? Hoc docet Salomon, loquens (*Prov.* XXXI, 6, 7, juxta LXX) : Date siceram iis qui in tristitia sunt, et vinum bibere iis qui in doloribus sunt, ut obliviscantur paupertatis, et dolorum suorum non meminerint amplius; id est, his qui deprimuntur pœnitentia et mœrore pro actibus suis pristinis malis, affluenter infundite jucunditatem spiritualis scientiæ tanquam vinum exhilarans cor humanum (*Ps.* CIII, 15), eosque studete salutari verbo reficere ac implere, ne demersi mœrore assiduo et desperatione letali, absorbeantur abundantiore tristitia qui ejusmodi sunt (II *Cor.* II, 7). Porro de illis qui in tepore et negligentia constituti, nullo dolore mordentur interno, ait Scriptura (*Prov.* XXI, 5, juxta LXX) : Qui sanus * et sine dolore est, in egestate erit. Quanta itaque cautione potes, devita ne amore vanæ gloriæ inflatus, demerearis particeps esse illius quem Propheta collaudat, dicendo (*Ps.* XIV, 5) : Qui pecuniam

* suavis

suam non dedit ad usuram. Omnis enim qui amore laudis humanæ erogat Dei eloquia, de quibus ait Psalmista (Ps. xi, 7), Eloquia Domini eloquia casta, etc., pecuniam suam dat ad usuram, et pro hoc mercaturus est non solum nullam laudem, sed æterna quoque supplicia : quia pecuniam domini sui expendere maluit ut ex ea consequeretur temporalem mercedem, non ut dominus ejus veniens reciperet, sicut scriptum est (Matth. xxv, 27), quod suum est cum usura.

CAPITULUM XVIII.

Quibus ex causis spiritualis doctrina fiat infructuosa.

Duabus de causis doctrina spiritualium rerum fit infructuosa : primo, quoniam ille qui docet, inexperta commendans, nititur instruere auditorem vano sono verborum ; secundo, quia auditor nequam vitiisque repletus recipit corde obdurato salutarem ac sanctam spiritualis viri doctrinam. De quibus dicitur per Prophetam (Ibid. xiii, 15; Is. vi, 10) : Excæcatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, nequando videant oculis suis et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.

CAPITULUM XIX.

Quod indigni quandoque recipiant gratiam sermonis salubris.

Interdum tamen præstatur munifica liberalitate dispensatoris nostri Dei, qui (I Tim. ii, 4) omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ut is qui prava conversatione indignum se præbuit gratia evangelicæ prædicationis, consequatur gratiam doctrinæ pro multorum salute. Porro nunc consequens est, ut simili disputatione pandamus quibus modis concedantur curationum charismata ad expellenda dæmonia : quam disputationem reservantes ad vesperam, nunc consurgamus ad refectionem ; semper enim efficacius percipitur corde, quidquid proponitur sensim et absque immoderato corporis labore.

COLLATIO XV

(Abbatis Nesterotis secunda)

DE CHARISMATIBUS DIVINIS.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod ex triplici causa conferatur a Deo gratia curationum aut signorum.

POST vespertinam synaxim ad promissam collationem intenti, consedimus simul sedilibus solitis. Quumque sileremus ad tempus propter reverentiam senis, prævenit verecundiam taciturnitatis nostræ tali eloquio : Ordo præcedentis disputationis pervenit usque ad proferendam spiritualium charismatum rationem, quam triplicem esse percepimus traditione majorum.

Prima siquidem causa curationum est, dum gratia miraculorum confertur electis et Sanctis pro merito sanctitatis eorum, quemadmodum juxta Christi auctoritatem certum est Apostolos multosque Sanctos fecisse signa atque prodigia, quibus ait
Matth. x, 8. Salvator : Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.

Secunda causa est, dum virtus sanitatum procedit etiam a peccatoribus et indignis ob ædificationem Ecclesiæ aut eorum qui infirmos suos adducunt, aut propter fidem eorum qui curandi sunt.
Ibid. vii, 22, 23. Unde in Evangelio Dominus loquitur: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite a me, operarii iniquitatis. Econtrario quoque si fides desit offerentibus aut infirmis, non sinit eos exercere
A curationem quibus gratia sanitatum collata est. Unde ait Marcus evangelista : Non Marc. vi, 5, 6.
poterat Jesus inter illos facere virtutes propter incredulitatem eorum. Hinc dixit et Christus : Multi leprosi erant in Israel Luc. iv, 27.
sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

Tertius modus curationum et signorum est, dum dæmonum illusione et factione seu operatione efficiuntur, sicut dum homo manifestis criminibus involutus, creditur sanctus et famulus Dei, ejusque
B vitia occultantur propter signa quæ operatur; atque per hoc, obloquendi aditu reserato, diffamatur sanctitas religionis, vel certe is qui credit se habere dona curationum, gravius dilabitur. Hinc contingit quod dæmones exclamantes et invocantes eorum nomina quos cognoscunt non habere ulla merita sanctitatis spiritualesve fructus, simulant se illorum meritis uri, et de corporibus obsessis effugari. De quibus in Deuteronomio legitur : Si surrexerit in medio tui propheta, aut Deut. xiii, 1-3.
C qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum aliquod atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis; non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quoniam tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde vestro et in tota anima vestra. In Evangelio quoque : Ex- Matth. xxiv, 24.
surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut
D in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi.

CAPITULUM II.

In quo admirari quis debeat viros sanctos.

PROPTEREA nunquam admirari debemus in signis his, eos qui ea affectant, sed potius intueri an perfecti sint expulsione omnium vitiorum emendatione que morum : quæ perfectio dispensante Deo conceditur non pro fide alterius, aut pro diversitate causarum, sed pro uniuscujusque labore. Hæc namque est actualis
I Cor. xiii, 1-3. scientia, quæ alio nomine vocatur caritas ab Apostolo, et ejus auctoritate præfertur universis linguis angelorum ac hominum, et plenitudini fidei montes transferenti, omni quoque scientiæ et prophetiæ et erogationi omnium facultatum, atque postremo glorioso martyrio. Quum enim enumerasset universa charismatum dona, et
Ibid. xii, 8. dixisset, Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, etc.; dicturus de caritate, qualiter præferat eam cunctis charismatibus compendiose adver-
Ibid. 31. tite : Adhuc, inquit, supra modum excellentiorem vobis viam demonstro. Per quod evidenter ostendit, quod beatitudo sive perfectio non consistat in mirabilibus illis, sed in sinceritate caritatis. Nec immerito :
Ibid. xiii, 8. omnia enim illa evacuanda sunt et destruenda, caritas vero in æternum mansura est. Hinc nunquam vidimus opera ista signorum a nostris Patribus affectari : quin imo quum possiderent ea per gratiam Spiritus Sancti, nunquam tamen facere voluerunt, nisi forte necessitas inevitabilis et extrema arctasset eos ad hoc, quemadmodum recordamur mortuum suscitatum ab abbate Macario, qui primus habitare cœpit in solitudine Scythi.

CAPITULUM III.

De suscitato mortuo ab abbate Macario.

QUUM enim hæreticus quidam Eunomianus conaretur diabolica arte catholicam fidem subvertere, ac plurimos decepisset,
A rogatus B. Macarius ab his qui gravissime tristabantur de tantæ subversionis ruina, advenit ut totius Ægypti regionem liberaret ab infidelitatis periculo. Quem quum hæreticus fuisset dialectica calliditate aggressus, et ignorantem vellet deducere ad Aristotelicas spinas, S. Macarius apostolica auctoritate loquacitatem illius superans et
concludens : Non in multiloquio, inquit, I Cor. iv, 20.
est regnum Dei, sed in virtute. Eamus igitur ad sepulcra, et Dominum invocemus super mortuum quem invenerimus pri-
B mum, atque ut scriptum est, ostendamus Jacob. ii, 18.
ex operibus fidem nostram, quatenus testimonio Dei pandantur certissima rectæ fidei documenta. Quo audito, hæreticus coram adstante plebe constrictus pudore, dissimulavit ad præsens præbere assensum verbis propositis, spondens se adfuturum die sequente. Postero die, circumstantibus universis qui cupiditate spectaculi confluxerant ad locum præfixum, perterritus ille infidelitate conscientiæ suæ, fugit et a tota Ægypto recessit. Quem B. Ma-
C carius cum populo præstolans usque ad nonam horam, quum videret illum abiisse ex formidine conscientiæ malæ, assumens plebem ab hæretico depravatam, abiit ad sepulcra. Porro aqua Nili induxit hunc morem Ægyptiis, ut nulla sit eis facultas sepeliendi corpora mortuorum tempore certo, quoniam tota terra illa non parvo tempore anni, instar immensi oceani operitur erumpentibus aquis Nili; ideo corpora defunctorum sale aut redolentibus pigmentis condita, reponuntur in editio-
D ribus seu altioribus locis aut cellulis. Nam tellus illa madens humiditate continua, impedit sepeliendi officium : imo si quæ corpora sepeliantur in ea, mox evomit ea ad superficiem suam exuberantia suæ inundationis. Quum ergo B. Macarius adstitisset antiquissimo cuidam cadaveri, dixit : O homo, si huc venisset mecum ille hæreticus filius perditionis, et ipso præsente nomen Jesu Christi Dei mei super te invocassem, dic anne surrexisses coram his qui pene subversi fuerant fraude il-

lius? Tunc mortuus ille consurgens, sua voce mox respondit annuente. Quem interrogavit Macarius quis aliquando exstitisset in vita hac, et in qua ætate mundi fuisset, et an tunc nomen Christi cognovisset. Respondit fuisse se sub antiquissimis regibus, et se nunquam audisse nomen Christi illis temporibus. Cui Macarius: Dormi (inquit) in pace, suscitandus a Christo cum ceteris in fine temporum in ordine tuo. Hæc virtus ac gratia S. Macarii latuisset forsitan semper, quantum in ipso fuit, nisi necessitas totius periclitantis provinciæ, sincerusque amor ac plena ad Christum devotio compulisset eum facere istud miraculum. Quod ab eo fieri extorsit totius plebis utilitas et caritas Christi, non ostentatio vana: quemadmodum liber Regum testatur fecisse Eliam, qui ideo postulavit ignem de cœlo descendere super (III *Reg.* XVIII, 37.) hostias altari impositas, ut fidem totius populi liberaret, eodem populo periclitante præstigiis pseudoprophetarum.

CAPITULUM IV.

De miraculo abbatis Abrahæ facto in uberibus mulieris.

QUID etiam referam gesta abbatis Abrahæ, qui propter simplicitatem et innocentiam morum suorum simplex cognominatur? Qui quum tempore Quinquagesimæ perrexisset causa metendi ad Ægyptum, et precibus lacrimisque fuisset arctatus a muliere bajulante infantulum suum ex inopia lactis jam tabidum et semidefunctum, dedit ei calicem aquæ potandum impresso crucis signaculo, cujus haustu arida feminæ ubera confestim redundare cœperunt mirum in modum copia lactis.

CAPITULUM V.

Qualiter idem curaverit claudum.

DENIQUE idem Abraham pergens ad vicum, circumdatus ibi turbis illudentium perfidorum, qui subsannando mon- A straverunt ei hominem qui genu contracto, privatus fuit gradiendi officio multis annis atque antiqua infirmitate reptavit, tentatus est a perfidis illis, dicentibus: Abba Abraham, si servus Dei es, restitue illum pristinæ sanitati, ut credamus nomen Christi, quem colis, non esse inane. Tunc ille nomine Christi invocato, inclinans se et apprehendens aridum hominis pedem, traxit eumdem: cujus tractu rectificatum est subito siccatum curvatumque genu, et recepto gressus usu, claudus ille sanatus B abiit lætus.

CAPITULUM VI.

Quod meritum hominis non debeat ex miraculis ponderari.

HI viri nihil meriti sibi attribuebant propter hujusmodi signa, quæ fatebantur fieri non ex merito suo, sed pietate divina, refutantes humanam gloriam in admiratione signorum per apostolica verba hæc: Viri fratres, quid admiramini (*Act.* III, 12.) C in hoc? aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate* (* potestate) fecerimus hunc ambulare? Nec reputabant aliquem esse laudandum ex Dei prodigiis, sed virtutum operibus quæ fiunt per virtutem atque industriam mentis. Frequenter namque, ut dictum est, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, expellunt dæmonia, et signa maxima operantur. De quibus quum Apostoli causarentur, et dicerent Christo: Præceptor, (*Luc.* IX, 49.) vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia ejicientem, et prohibuimus eum, D quia non sequitur nobiscum; et quamvis Salvator responderit tunc: Nolite prohibere, (*Ibid.* 50.) qui enim non est adversum vos, pro vobis est; eis tamen in fine dicentibus: Domine, Domine, nonne in nomine tuo (*Matth.* VII, 22.) prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? responsurum se esse testatur: Quia nunquam novi vos; discedite (*Ibid.* 23.) a me, operarii iniquitatis. Hinc quoque admonet eos quibus concessit gratiam miraculorum propter meritum sanctitatis

ipsorum, ne extollantur ex talibus, di- A
Luc. x, 20. cens : Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

CAPITULUM VII.

Quod virtus charismatum non in mirabilibus sed in humilitate consistat.

AUCTOR quoque omnium prodigiorum, quum vocaret discipulos ad magisterium suæ doctrinæ, evidenter ostendit quid B veri et electissimi sectatores sui debeant ab
Matth. xi, 28, 29. ipso addiscere, Venite (inquiens) ad me, et discite a me : non cœlesti virtute expellere dæmonia, non leprosos mundare, cæcos illuminare, mortuos suscitare : dum enim hæc operor per aliquos meos servos, non potest humana conditio se inserere laudibus Dei seu laudari ex talibus, nec minister et famulus audeat sibi decerpere aliquam partem in his in quibus
Ibid. 29. virtus et gloria est Dei solius ; sed discite a me, quia mitis sum et humilis corde. C Hoc enim omnes homines discere possunt et exercere; opera autem miraculosa non sunt semper necessaria, nec omnibus expedientia, nec singulis conceduntur. Humilitas ergo magistra omnium est virtutum, cœlestisque ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium ac magnificum Salvatoris. Universa quippe miracula quæ operatus est Christus, exercet sine elationis periculo, qui sequitur mitem Dominum non per sublimitatem signorum, sed in patientiæ ac humilitatis D virtute. Qui autem affectat immundis spiritibus imperare, aut infirmos curare, aut signum quodcumque populis demonstrare alienis a Christo, quamvis in ostentatione invocet nomen ejus, tamen alienus a Christo est, quoniam humilitatis magistrum sequitur mente superba. Insuper quum Christus ad Patrem rediens, quoddam, ut sic loquar, faceret testamentum, istud re-
Joann. xiii, 34. liquit discipulis : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; protinusque subjunxit : In hoc cognoscent omnes quia Joann. xiii, 35. discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Non dixit, Si miracula similiter mihi feceritis; sed, Si dilectio- Ibidem. nem habueritis ad invicem : quam tenere non possunt nisi mites et humiles. Quapropter majores nostri dixerunt, illos nunquam esse monachos probos et a vana gloria alienos, qui se fatentur coram hominibus exorcistas, et jactantissima ostentatione promulgant inter admirantium turbas gratiam istam signorum quam meruerunt aut præsumpserunt ; sed incassum. Qui enim innititur mendaciis, pascit Prov. x, 4. ventos, et sequitur aves volantes; et sine dubio eveniet ei quod in Proverbiis dicitur : Sicut venti et nubes et pluviæ ma- Ibid. xxv, 14, juxta LXX. nifestæ sunt, ita qui gloriatur in dato falso. Ideo si quis coram nobis fecerit aliquod signum, laudare eum debemus non de sublimitate signi, sed de conatu et rectitudine morum ; nec inquirendum est an dæmonia ei subjecta sint, sed an caritatem et opera ejus possideat, quæ describit Apostolus.

CAPITULUM VIII.

Quod mirabilius sit de seipso expellere passiones et vitia, quam a possessis dæmonia.

ET revera majus miraculum est eradicare fomitem luxuriæ de propria carne, quam spiritus immundos de corporibus aliorum expellere; et magnificentius signum est virtute patientiæ cohibere truculentos motus ac impetus iræ, quam aeris potestatibus imperare. Plus quoque est edacissimos tristitiæ morsus a se ipso penitus abjecisse, quam infirmitates ab aliis repulisse. Postremo multo præclarior virtus atque profectus sublimior est, curare languores propriæ animæ quam corporis alieni. Nam quanto anima est carne sublimior, tanto sanitas ejus exstat præstantior; et quanto anima est pretiosioris ac sublimioris substantiæ, tanto est gravioris et perniciosioris ruinæ.

CAPITULUM IX.

Quantum præcellat probitas vitæ operibus miraculorum.

BEATISSIMIS quippe Apostolis dixit Christus, loquens de signis : Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur. Hoc enim non fecit eorum potestas, sed divina majestas. Ideo admonentur ut non audeant sibi usurpare aliquid felicitatis aut gloriæ ex ipsis miraculis, quæ fiunt potentia Deitatis, sed ex intima puritate suæ vitæ ac mentis, ob quam scribi merentur in cœlis.

Luc. x, 20.

CAPITULUM X.

Revelatio de perfecto castitatis experimento.

UT autem probemus testimoniis veterum et divinis oraculis ea quæ diximus, referamus quid B. Paphnutius de puritatis gratia senserit, imo quid angeli revelatione cognoverit : quod tentabimus ex verbis et experimentis ipsius S. Paphnutii. Hic etenim multis annis tam præcipua vivit districtione, ut crederet se penitus absolutum a laqueis carnalis concupiscentiæ, eo quod sentiret se factum superiorem cunctis infestationibus dæmonum, contra quas diu et aperte conflixerat. Qui dum pararet pulmentum lenticulæ viris sanctis visitantibus eum, manus ejus læsa est in clibano flamma volitante, ut solet. Quo facto contristatus, cœpit magnifice secum revolvere, intra se dicens : Cur ignis non habet pacem mecum, quum graviora dæmonum prælia cessaverint mihi ? aut qualiter ille inexstinguibilis ignis inquisitor omnium meritorum non tenebit me transiturum per se in illo metuendo judicii die, cui non pepercit extrinsecus

A ignis iste temporalis et parvus ? Quumque sopor advenisset ei talibus cogitationibus atque mœroribus æstuanti, veniens angelus Dei, dixit : Cur tristaris, Paphnuti, quod nondum pacatus est tibi ignis ille terrenus, quum carnalium motuum agitatio aut libido necdum plene excocta adhuc resideat in membris tuis ? Cujus quamdiu radices in tuis vivunt medullis, nequaquam permittent tibi esse pacificum ignem istum terrenum et materialem, quem aliter innoxium sentire non poteris,

B nisi omnes motus interiores in te exstinctos experiaris per ista indicia. Vade et apprehende nudam et pulcherrimam virginem, et si illam tenens, senseris in te perdurare tranquillitatem cordis immobilem et æstus carnales nequaquam rationi rebelles, delectabit te tactus hujus visibilis flammæ, et erit tibi innoxius quemadmodum tribus pueris in fornace Babylonis. *Dan.* III, 50.

Itaque senex hac revelatione percussus, non attentavit signum experimentale sibi monstratum, sed conscientiam suam interrogans et puritatem cordis sui examinans,

C nec castimoniam suam tali probatione experiendam decernens aut judicans, dixit : Non est mirum, si præliis immundorum spirituum mihi cedentibus, senserim adhuc adversum me sævientis ignis adustiones, quas credebam durissimis dæmonum impugnationibus inferiores. Major namque est virtus et sublimior gratia exstinguere interiorem carnis libidinem, quam signo Domini et virtute Altissimi subjugare nequitias dæmonum extrinsecus irruentes,

D aut expellere dæmones de obsessis corporibus per invocationem Omnipotentis.

Hucusque abbas Nesteros collationem perducens de vera charismatum operatione, prosecutus est institutione suæ doctrinæ nos properantes ad cellam senis Joseph, quæ fere sex millibus distabat a cellula Nesterotis.

COLLATIO XVI

(Abbatis Joseph prima)

DE AMICITIA.

CAPITULUM PRIMUM.

De eminentia sancti abbatis Joseph.

BEATUS Joseph, cujus doctrina jam describetur, unus ex tribus quorum in Cf. p. 373C. prima Collatione fecimus mentionem, fuit præclaræ familiæ, et primarius civitatis suæ nomine Thmuis in Ægypto; et ita diligenter fuit edoctus non solum Ægyptia, sed et Græca facundia, ut per se ipsum elegantissime sermocinaretur, non per interpretem ut ceteri, nobis aut his qui Ægyptiam linguam penitus ignorabant. Qui quum sensisset nos desiderare suam instructionem, interrogavit an essemus fratres germani. Cui respondimus quod conjuncti essemus non carnali, sed spirituali germanitate, atque indivisibili vinculo sociati ab exordio nostræ renuntiationis, tam in peregrinatione quam ambo arripuimus intuitu et amore militiæ spiritualis, quam in conversatione cœnobii. Quo audito, exorsus est ita.

CAPITULUM II.

De multiplici genere amicitiarum.

DIVERSA sunt genera amicitiarum ac societatis, quæ diversis modis connectunt genus humanum sodalitate dilectionis. Quosdam enim præcedens commendatio fecit inire primo notitiam, deinde amicitiam. In aliis autem quidam contractus aut pactio dati et accepti copulavit A fœdera caritatis; quosdam vero similitudo atque communio negotiationis aut militiæ seu artis vel studii unierunt amicitiæ nexu : per quam etiam ferocia corda sic mansuescunt, ut et hi qui latrociniis gaudent in silvis ac montibus, et effusione humani sanguinis delectantur, participes et consortes suorum scelerum amplectantur ac foveant. Est quoque aliud genus dilectionis, quæ ex naturali instinctu aut lege consanguinitatis contrahitur, qua contribules, conjuges, parentes, fratres ac fi- B lii præ ceteris naturaliter diliguntur: quod non solum hominibus, sed et brutis convenire videmus. Nam pullos suos aut catulos sic protegunt et defendunt, instigante hoc naturali affectu, ut frequenter non timeant se pro illis exponere morti atque periculis. Denique bestiæ et serpentes ac aves quæ propter intolerabilem feritatem ac virus mortiferum ab omnibus separantur, ut sunt basilisci et monocerotes ac gryphes, quum et solo visu perniciosa cunctis dicantur, tamen inter se perseverant C innoxia et pacata ex consortio originis aut naturalis affectionis. Insuper sicut videmus omnia jam præfata genera dilectionis communia esse bonis ac malis, feris atque serpentibus, sic certum est ea non posse semper perseverare usque in finem, quia frequenter interrumpit ac dividit ea locorum distantia, temporalis oblivio et negotiorum contractus. Quemadmodum enim solent acquiri ex diversis societatibus lucri, sive libidinis, aut consanguinitatis, seu cujuslibet necessitatis, ita solvuntur inter- D veniente quacumque occasione divortii, seu deficiente causa eorum.

CAPITULUM III.

Unde nascatur indissolubilis amicitia.

HINC inter omnia ista unum est indissolubile genus dilectionis, quod nec gratia commendationis, nec magnitudo muneris sive officii, nec contractus, neque necessitas, sed sola similitudo virtutum parit ac unit. Hæc est caritas quæ nullis unquam casibus scinditur, quam intervalla locorum aut temporum dissociare aut removere non prævalent, imo nec mors ipsa divellit. Hæc est vera et indirupta dilectio, quæ crescit ac proficit gemina amicorum virtute ac perfectione ; cujus fœdus semel initum non dirumpet desideriorum varietas, nec contentiosa contrarietas voluntatum. Ceterum multos novimus in professione hac constitutos, qui quum essent conjuncti flagrantissima sodalitate ex Christi caritate, non tamen potuerunt eam servare indirupte usque in finem : quoniam licet inniterentur bono principio societatis, non C
tamen uno studio parique diligentia tenuerunt arreptum propositum; fuitque inter eos quædam temporalis affectio, quia non servabatur pari profectu amborum, sed patientia unius dumtaxat. Nam quamvis teneatur magnanimiter ac indefesse ab uno, nihilo minus dirumpitur pusillanimitate ac defectuositate alterius. Infirmitates namque eorum qui ad perfectionem tepide tendunt, quantumcumque magna tolerantia sustineantur a fortibus, non tamen sustinentur ab ipsis infirmis, quo- D
niam habent causas commotionum insitas sibi, quæ eos quiescere non permittunt : quemadmodum corporaliter infirmantes solent infirmitates suas imputare negligentiis ministrorum sive coquorum, et quantumcumque sollicite eis deserviatur, nihilo minus solent causas suæ indispositionis adscribere sanis, quas non sentiunt sibi inesse propriæ valetudinis vitio.

Idcirco, ut diximus, hæc est fida et indissolubilis amicitiæ unio, quæ parilitate
A virtutum fœderatur, contrahitur et fovetur : Dominus enim inhabitare facit unius moris in domo. (Ps. LXVII, 7.) Idcirco dilectio potest indirupta manere tantum in his in quibus consistit unum propositum, una voluntas, unum velle ac nolle. Quam caritatem si cupitis inviolabiliter conservare, festinare debetis ut vitiis primo expulsis, mortificetis proprias voluntates, quatenus unito studio ac proposito quasi naturaliter impleatis illud propheticum : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres (Ps. CXXXII, 1.)
B in unum. Quod non localiter, sed spiritualiter oportet intelligi. Nihil etenim prodest si moribus ac proposito discordantes habitatione jungantur, sicut nec obest fundatis pari virtute, per locorum intervalla distare. Siquidem coram Deo conjungit fratres conformitas morum, non cohabitatio sola locorum; nec unquam potest pacis integritas custodiri, ubi voluntatum diversitas invenitur.

CAPITULUM IV.

Interrogatio, an aliquid fieri debeat contra voluntatem fratris.

GERMANUS : Quid ergo, si unus voluerit facere aliquid quod secundum Deum viderit commodum et salubre, et alter non præstet assensum ? Exsequendumne est illud contra desiderium fratris, an ad arbitrium ejus sit dimittendum ?

CAPITULUM V.

Responsio ad propositam quæstionem.

JOSEPH : Ideo diximus perfectam et plenam amicitiam perseverare non posse nisi inter viros perfectos in virtute conformes, quos eadem voluntas et idem propositum nunquam aut raro permittit diversa sentire, aut dissentire in his quæ ad profectum spiritualis pertinent vitæ. Quod si animosis contentionibus cœperint corrixari, constat eos nunquam fuisse concor-

des secundum regulam quam induxi. Sed quoniam nemo potest a perfectione incipere nec ad eam pertingere, nisi qui cœperit a fundamento ipsius, idcirco inquiritis non quanta sit magnitudo perfectionis seu inviolabilis caritatis, sed qualiter possit perveniri ad ipsam. Hinc necessarium reor ut breviter vobis aperiam viam ac regulas quibus dirigantur gressus vestri ad eam, quatenus facilius obtinere possitis bonum pacis ac patientiæ sanctæ.

CAPITULUM VI.

Quibus modis inviolabilis societas seu amicitia habeatur.

PRIMA igitur fundamenta patientiæ veræ consistunt in contemptu mundanæ substantiæ et omnium rerum exteriorum. Valde enim injustum ac impium est, ut post abrenuntiationem mundi et omnium mundanorum, præferatur pretiosissimæ dilectioni fratrum vilissima supellex quæ superest. Secundum est, ut unusquisque sic resecet proprias voluntates, ne se judicet consultum ac sapientem atque per hoc amplius acquiescat judicio suo quam proximi. Tertium, ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria reputantur, postponenda esse bono pacis et caritatis. Quartum, ut credat penitus irascendum non esse ex causis justis sive injustis. Quintum, ut curare desideret iram fratris contra se etiam injuste conceptam, eodem modo quo suam : sciens sibi æqualiter esse nocivam fratris tristitiam, ac si ipse contra illum tristetur, nisi repulerit eam de mente fratris quantum in se est. Postremum est illud, quod certum est repulsivum esse omnium vitiorum, ut scilicet credat se de hoc mundo quotidie migraturum : quæ consideratio non solum repellet a corde omnem vitiosam tristitiam, imo etiam comprimet universos concupiscentiarum vitiorumque motus. Quicumque ergo ista tenuerit, pati non poterit in se nec aliis inferre amaritudinem iræ sive discor-

A diæ. Porro istis cessantibus, quum æmulus caritatis diabolus primo sensim diffuderit venena tristitiæ in cordibus amicorum, consequens est ut tandem dissociet amantium corda diu exulcerata, dilectione paulatim tepefacta in eis frequentibus jurgiis.

Qui vero ingreditur per viam directionis prædictæ, in quo unquam poterit a suo discordare amico, qui radicitus amputaverit primam litium causam, quæ generari solet ex rebus materialibus parvis, vilissimis, non vindicans aliquid proprium sibi,
B sed tota virtute adimplens quod de primitiva Ecclesia in Actibus scriptum est :
Multitudinis credentium erat cor unum et *Act.* IV, 32.
anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia? Deinde qualiter seminarium dissensionis exsurget ab eo qui servit voluntati fratris, non suæ, imitans Creatorem ac Dominum suum qui loquitur ex persona hominis quem gerebat : Non veni facere voluntatem meam, *Joann.* V, 30.
sed voluntatem ejus qui misit me? Quali-
C ter etiam suscitabit fomitem ullum contentionis, qui decreverit magis credere examini fratris quam proprio, de intelligentia horum quæ proponuntur, probans aut improbans suas inventiones juxta arbitrium fratris, implens pio ac humili corde evangelicum illud : Verumtamen *Matth.* XXVI, 39.
non sicut ego volo, sed sicut tu? Rursus qua ratione admittet aliquid quo proximus contristetur, qui judicat nihil esse pretiosius bono pacis, recolens incessanter dominicum illud eloquium : In hoc cogno- *Joann.* XIII, 35.
D scent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; per quod tanquam per speciale signaculum voluit Dominus gregem ovium suarum in hoc mundo cognosci, atque charactere isto, ut sic loquar, discerni ab aliis? Amplius, qua ex causa sustinebit rancorem tristitiæ in se esse aut in alio residere, qui sentit non posse esse justas causas iracundiæ, quæ perniciosa est atque illicita; et ita se non posse orare alio contra se irascente, quomodo si ipse alteri irasceretur,

semper humili retinens corde illam Salvatoris sententiam : Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, etc.? Nihil quippe proderit si te asseras non irasci, et putes te adimplere illud mandatum, Sol non occidat super iracundiam vestram; et, Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; et contumaci corde despicias alterius iram, quam delinire tua mansuetudine potuisti. Eodem etenim modo efficeris prævaricator divini præcepti. Qui enim dixit te contra alterum non debere irasci, dixit non debere alterius tristitiam parvi pendi: quia non interest apud Deum, qui omnes homines vult salvari, an perdas te ipsum an alium, quoniam detrimentum sui honoris nascitur ei ex cujuscumque interitu. Dæmoni quoque acquiritur idem lucrum ex tua et ex fratris tui damnatione, cui utique dæmoni placet damnatio omnium. Postremo qualiter poterit vel tenuem tenere tristitiam contra fratrem, qui se credit quotidie, imo continue, de hoc sæculo migraturum?

Matth. v, 23. — Ephes. iv, 26. — Matth. v, 22. — I Tim. ii, 4.

CAPITULUM VII.

Quod nihil præponendum sit caritati, nec aliquid postponendum iracundiæ.

SICUT enim nihil præponendum est caritati, sic econtrario nihil est postponendum iracundiæ aut furori. Omnia enim quamvis utilia et necessaria videantur, spernenda sunt ut perturbatio iræ vitetur; omnia quoque quæ putantur adversa, sunt suscipienda ac toleranda ut tranquillitas dilectionis ac pacis illibata servetur. Nec credendum est aliquid perniciosius esse ira atque tristitia, neque utilius caritate.

CAPITULUM VIII.

Quibus de causis nascatur inter spirituales dissensio.

NAM sicut inimicus velociter ab invicem separat Fratres adhuc carnales et imbecilles, propter vilem et terrenam substantiam, sic inter spirituales gignit discordiam ex varietate opinionum aut sententiarum. Ex qua plane discordia oriuntur frequenter rixæ et contentiones, quas Apostolus damnat. Unde consequenter hostis antiquus et malignus divortia seminat inter fratres unanimes. Vera quippe est illa Salomonis sententia : Odium suscitat contentio ; universos vero qui non contendunt, protegit amicitia.

Galat. v, 20. — Prov. x, 12, juxta LXX.

CAPITULUM IX.

De amputandis spiritualibus causis discordiæ.

PROPTEREA ad conservandam perpetuam ac individuam caritatem, nihil prodest amputasse primam discordiæ causam, quæ de terrenis atque caducis nascitur rebus, et universa carnalia despexisse, et proprias opes pro communi usu dereliquisse ; nisi et abscindentes secundam causam, quæ ex diversitate intellectuum oritur, acquiramus in omnibus humilem mentem et consonas voluntates.

CAPITULUM X.

De optimo examine veritatis.

MEMINI namque, quum junior ætas hortaretur me adhuc adhærere consorti, talem intelligentiam nobis frequenter fuisse ingestam in disciplinis moralibus aut Scripturis, ut crederemus ea nil verius, nil rationabilius esse. Sed convenientes in unum, dum cœpissemus intelligentias nostras invicem propalare, quædam communi examinatione discussæ, inveniebantur primo ab uno nostrum falsæ ac noxiæ. Deinde communi nostro judicio perniciosæ pronuntiatæ, mox damnabantur, quæ prius a diabolo infusæ quasi luce veritatis fulgebant : in tantum ut potuissent facilius inter nos discordiam generare, nisi præceptum seniorum, quod tanquam divinum oraculum servabamus, revocasset nos ab omni contentione; quoniam illi pro legali sanctione instituerunt, ut neuter

nostrum plus crederet judicio suo quam fratris, si nunquam vellet illudi calliditate diaboli.

CAPITULUM XI.

Quod impossibile sit confidentem proprio judicio, non decipi illusione diaboli.

PROBATUM est enim, sæpius evenisse quod ait Apostolus: Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis; ut scilicet fraudulenter infundat tetram erroris caliginem pro lumine veræ scientiæ. Quæ nisi mansueto et humili corde suscepta, reservetur examini maturissimi Fratris aut probatissimi senioris, et eorum judicio diligenter discussa, acceptetur aut abjiciatur a nobis, gravissimo feriemur interitu, utpote venerantes in cordibus nostris angelum tenebrarum pro angelo lucis. Quam perniciem non potest evadere qui proprio confidit judicio; nisi amator et executor effectus veræ humilitatis, impleverit cum omni cordis contritione quod Apostolus deprecatur ac monet magnopere: Si qua, inquiens, consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores vobismetipsis alterutrum arbitrantes; et illud, Honore alterutrum prævenientes: ut unusquisque plus sanctitatis atque scientiæ adscribens suo consorti, credat summam veræ discretionis magis stare in alterius judicio quam in suo.

II Cor. xi, 14.

Philipp. ii, 1-3.

Rom. xii, 10.

CAPITULUM XII.

Cur inferiores non debeant in collatione contemni.

SÆPE contingit illusione diaboli, aut eventu erroris humani (quum nullus in hac carne exsistat qui falli non possit tanquam homo), ut etiam ille qui acrioris ingenii est et majoris scientiæ, falsum aliquid mente concipiat; et ille qui est tardioris ingenii minorisque meriti, aliquid verius ac rectius sentiat. Ideo nullus, quamvis scientia præditus, persuadeat sibi tumore inani quod alterius collatione non egeat. Nam etsi diabolica illusio non fallat ejus judicium, non tamen evadet graviores laqueos elationis. Quis enim poterit sibi hoc usurpare sine grandi periculo, quum Vas electionis, in quo Christus loquebatur, asseruit se ob hoc solum ascendisse Jerusalem, ut secreta examinatione conferret cum coapostolis suis evangelium, quod Domino revelante et cooperante, prædicabat in gentibus? Per quod ostenditur, quod per ista præcepta non solum serventur unanimitas atque concordia, verum etiam non formidentur insidiæ diaboli adversantis et laquei illusionum ipsius.

II Cor. xiii, 3.

CAPITULUM XIII.

Quod caritas sit non solum res Dei, sed etiam Deus.

DENIQUE in tantum caritas extollitur, ut B. Joannes apostolus pronuntiet eam esse non solum rem Dei, sed etiam Deum, dicendo: Deus caritas est, et qui, etc. Nam usque in tantum videmus caritatem esse divinam, ut manifestissime sentiamus vigere in nobis illud Apostoli: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, etc. Quod tantum est dicere: Deus diffusus est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; qui etiam interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quum ignoremus quid orare debeamus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum orat pro sanctis.

I Joann. iv, 16.

Rom. v, 5.

Ibid. viii, 26, 27.

CAPITULUM XIV.

De gradibus caritatis.

CARITATEM itaque, quæ ἀγάπη dicitur, possibile est omnibus exhibere, de qua ait Apostolus: Ergo dum tempus ha-

Galat. vi, 10.

bemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Quæ in tantum est generaliter omnibus exhibenda, ut jubeamur eam inimicis impendere, juxta illud : Diligite inimicos vestros. *Matth.* v, 44. Amicitia autem seu affectio exhibetur admodum paucis, et his qui connexi sunt parilitate morum et societate virtutum. Quamvis etiam ipsa affectio multam in se differentiam habeat (aliter namque diliguntur parentes, aliter conjuges, aliter fratres, aliter filii); magna quoque distantia est in vigore horum affectuum, nec dilectio parentum ad filios uniformis est aut æqualis. Quod probatur etiam Jacob patriarchæ exemplo, qui quum esset pater duodecim filiorum, et omnes diligeret paterno affectu, majore tamen affectu dilexit Joseph, ita ut de eo Scriptura aperte commemoret : *Gen.* XXXVII, 4. Invidebant autem ei fratres sui, eo quod pater suus diligeret eum. Non quod pater ejus, vir justus, non diligeret valde etiam ceteros filios suos, sed quoniam Joseph, utpote Christi typum gerens, dulcius ac indulgentius inhærebat affectui patris. Quod et de Joanne evangelista evidentissime legimus designari, quum dicitur, *Joann.* XIII, 23. Discipulus autem ille quem diligebat Jesus; quum utique Jesus præcipua dilectione amaverit alios undecim similiter præelectos, prout in Evangelio protestatur : *Ibid.* 34. Sicut dilexi vos, ita et vos diligatis invicem. *Ibid.* 1. De quibus iterum legitur : Quum dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos. Sed hæc dilectio unius non designat caritatis teporem circa discipulos reliquos, sed largiorem amoris abundantiam circa unum qui sua virginitate hoc meruit : quæ idcirco cum quadam exceptione insinuatur tanquam sublimior, quia non comparatio odii, sed affluentior gratia amoris exuberantissimi eam extollit. Tale quid legimus in Cantico canticorum ex persona Sponsæ, dicentis : *Cant.* II, 4. Ordinavit in me caritatem. Hæc est vera ordinataque caritas, quæ nullum odiens, quosdam jure meritorum plus diligit : quæ quum generaliter diligat cunctos, excipit tamen sibi

A ex eis quos peculiari amplectatur affectu; et rursus inter hos præcipue caros aliquos sibi excerpit, qui superponantur affectui ceterorum.

CAPITULUM XV.

De iis qui dissimulatione corroborant iram suam aut proximi.

ECONTRA novimus (quod utinam nesciremus) videlicet quosdam Fratrum esse B tantæ obstinationis atque duritiæ, ut quum senserint se commotos contra Fratres, aut econverso, recedant ad dissimulandam mentis suæ impatientiam ex indignatione commotionis mutuæ ortam, et subtrahentes se ab eis quos lenire et mitigare debuerant humili satisfactione atque colloquio, incipiunt decantare aliquos psalmorum versiculos. Qui dum putant se delinire amaritudinem corde conceptam, insultando augent eamdem, quam exstinguere poterant si esse voluissent C humiliores, magisque anxii ut opportuna compunctione mederentur proprio cordi et fratrum commotioni. Nempe hoc modo palpant vitium suæ pusillanimitatis, imo et elationis, et fomitem jurgiorum nutriunt potius quam exstirpant, obliti jussionis Christi, qua ait : Qui irascitur fratri *Matth.* v, 22. suo, reus erit judicio; et, Si recordatus *Ibid.* 23, 24. fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. D

CAPITULUM XVI.

De eo, Si frater aliquid habeat contra nos.

DOMINUS itaque Deus noster in tantum vult nos non despicere iram sive tristitiam alterius, ut nec munera nostra suscipiat, id est, orationes nostras non permittat sibi offerri, si frater aliquid habuerit contra nos, donec celeri satisfactione tollamus de animo ejus tristitiam sive

juste sive injuste conceptam. Non enim ait Salvator, Si frater tuus habet veram
Matth. v, 23, 24. querelam adversum te, etc.; sed dicit, Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, id est, etiamsi leve aut vile quid sit propter quod frater tuus fuerit contra te motus, et hoc subita recordatione pulsaverit memoriam tuam, scias te non debere offerre spiritualia munera precum tuarum, nisi benigna satisfactione prius deleveris a corde fratris tristitiam ex causa qualibet ortam. Si ergo evangelicus sermo jubet nos satisfacere irascentibus pro simultate seu controversia præterita et minima, atque pro causis exiguis orta, quid de nobis miseris fiet, qui pertinaci dissimulatione contemnimus recentes et maximas causas, nostro quoque errore commissas; atque tumore diabolico inflati, dum erubescimus nos humiliare, negamus nos esse causas fraternæ tristitiæ, et rebelli spiritu dedignantes subdi præceptis Dei, asserimus ea sic observari non debere aut impleri non posse? Sicque judicantes Deum præcepisse impossibilia sive incongrua, efficimur, juxta
Jacob. iv, 11. Apostolum, non factores, sed judices legis.

CAPITULUM XVII.

De iis qui putant patientiam impendendam sæcularibus magis quam Fratribus.

HOC quoque quibus lacrimis est deflendum, quod quidam quum fuerint inflammati ex verbis contumeliosis alterius, et aliquis eos instanter roget ut injurianti ignoscant, dicatque neminem debere concipere aut retinere tristitiam contra fra-
Matth. v, 22. trem, quum scriptum sit, Qui irascitur
Ephes. iv, 26. fratri suo, reus erit judicio; et, Sol non occidat super iracundiam vestram; protinus clamant : Si paganus aut sæcularis hoc fecisset aut protulisset, merito sustineretur; quis autem sustineat Fratrem ita culpabilem, aut proferentem ex ore suo tam grave convitium? Quasi patientia sit exhibenda infidelibus ac sacrilegis tantum,
A et non generaliter cunctis, aut quasi iracundia contra gentilem sit noxia, et utilis contra Fratrem; quum utique obstinata perturbatæ mentis commotio non dissimile inferat detrimentum commoto, contra quemcumque fuerit excitata. Insuper quantæ obstinationis, imo vecordiæ est, ut præ stupore suæ mentis brutalis non discernant proprietatem verborum Christi, quia non ait, Omnis qui irascitur alienigenæ, reus erit judicio : quod secundum illorum opinionem posset forsan excipere consor-
B tes fidei et conversationis nostræ; sed evangelicus sermo signanter expressit :
Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit *Matth.* v, 22.
judicio. Quamvis itaque secundum regulam veritatis debeamus omnem hominem intelligere fratrem nostrum, tamen hoc loco fideles et nostræ conversationis participes potius designantur fratris vocabulo quam pagani.

CAPITULUM XVIII.

C ***De iis qui patientiam mendaciter simulantes, provocant fratres ad iram suo silentio.***

QUALE est etiam istud, quod interdum patientes esse nos credimus, quia injuriam passi respondere contemnimus, et fratres commotos amara taciturnitate et irrisorio motu aut gestu taliter subsannamus, ut eos magis provocemus ad iram tacito vultu quam incitari possent superbo convitio : existimantes nos minime
D reos, quia nihil protulimus ore quod posset nos notare aut reos monstrare humano judicio? Quasi Deus respiciat tantummodo verba et non potius voluntatem; solumque opus peccati habeatur in crimine, et non etiam desiderium atque propositum; et hoc tantum sit in judicio requirendum quid unusquisque fecerit per loquelam, et non etiam quid facere intenderit per taciturnitatem. Non enim sola qualitas commotionis illatæ in culpa est, sed etiam propositum irritantis. Hinc verum judicis

nostri examen discutiet non solum qualiter jurgium fuerit excitatum, sed cujus pravitate exarserit : affectus enim peccati pensandus est, non solum ordo admissi. Quid etenim differt an quis fratrem occiderit gladio, an aliqua fraude impulerit eum ad mortem, quum constet illum esse exstinctum fraude ac crimine hujus? Quasi non sufficiat impegisse cæcum in præceps propria manu, quum similiter reus sit qui non revocavit illum jam foveæ imminentem, quum potuit; aut ille solus in crimine sit qui manu sua laqueaverit quempiam, et non etiam is qui paraverit ingesseritve laqueum, aut auferre contempserit, quum potuerit.

Sic ergo nil prodest tacere, si idcirco tacemus ut taciturnitate agamus quod convitio fieri quivit, simulando quosdam gestus quibus vehementiore iracundia inardescat, quem oportebat curari; et super omnia hæc nos laudemur damno et perditione illius : quasi quis non sit criminosior ex hoc ipso quod voluerit sibi acquirere gloriam de fratris perditione. Imo tale silentium erit ambobus æqualiter noxium : quoniam sicut auget tristitiam in corde alterius, ita non permittit eam exstingui in suo. Contra quos maledictio illa
Habac. II, 15, 16. Prophetæ satis proprie est directa : Væ qui potat amicum suum mittens fel suum, et inebrians ut adspiciat nuditatem ejus, repletus est ignominia pro gloria; illud quoque quod alibi de talibus dicitur :
Jer. IX, 4, 5, 3. Omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, et vir fratrem suum deridebit, et non loquetur veritatem; extenderunt enim linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis. Denique ficta patientia sæpe magis accendit quam sermo, et maligna taciturnitas superat atrocissimas verborum injurias; leviusque feruntur hostium vulnera quam subdola irridentium blandimenta.
Ps. LIV, 22. De quibus dicitur per Prophetam : Molliti sunt sermones ejus super oleum, et
Prov. XXVI, 22, juxta LXX. ipsi sunt jacula; alibi quoque : Verba callidorum mollia, et ipsa perveniunt in pe-
A netralia ventris. Quibus consonat illud : In ore pacem cum amico suo loquitur, et Jer. IX, 8.
occulte ponit ei insidias. Per quæ tamen ipse qui decipit magis decipitur : nam qui Prov. XXIX, 5, juxta LXX.
præparat ante faciem amici sui rete, circumdat illud pedibus suis; et qui fodit Ibid. XXVI, 27, juxta LXX.
proximo suo foveam, incidet in eam. Præterea quum magna multitudo venisset cum Matth. XXVI, 55.
gladiis et fustibus ad capiendum Christum, nemo fuit cruentior parricida in vitæ nostræ auctorem, illo qui cunctos præveniens, ficto salutationis honore exhibuit os-
B culum simulati amoris. Cui tunc dixerat Dominus : Juda, osculo Filium hominis Luc XXII, 48.
tradis? id est, amaritudo persecutionis ac odii tui hoc assumpsit velamen quo dulcedo veræ dilectionis ostenditur? Apertius quoque et vehementius exaggerat vim hujus doloris, asserens per Psalmistam : Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, Ps. LIV, 13-15.
sustinuissem utique, et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo; tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus,
C qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.

CAPITULUM XIX.

De iis qui ex indignatione jejunant.

ALIUD rursus est genus tristitiæ pessimum et profanum, quod recitatione indignum consisteret, nisi a quibusdam Fratribus admitteretur : qui dum contristati fuerint aut irati, a cibo pertinaciter
D abstinent, ita ut (quod dicere non valemus absque pudore) hi qui dicunt se non posse refectionem differre usque ad horam sextam aut nonam, quando tranquilli sunt, jejunia biduana non sentiant quum fuerint repleti tristitia aut furore, et tantam inediæ defectionem sustentent iracundiæ satietate. In quo evidenter incurrunt sacrilegii crimen, tolerando diabolica elatione jejunia soli Deo offerenda pro cordis humiliatione purgationeque vitiorum. Quod tale est quasi orationes et sa-

Deut. xxxii, 17. crificia offerant dæmoniis, et non Deo, diis quos ignorabant.

CAPITULUM XX.

De quorumdam simulata patientia, qui alteram maxillam offerunt verberandam.

NON ignoramus etiam aliud genus amentiæ, quod in quibusdam Fratribus reperitur sub colore patientiæ veræ, quibus parum est jurgia commovisse, nisi verbis instigatoriis provocent alios et irritent ut percutiantur ab eis. Quumque fuerint vel leviter cæsi in una corporis parte, ingerunt aliam ad cædendum, quasi impleturi per hoc perfectionem illius consilii : Matth. v, 39. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram. Penitus ignorantes vim propositumque Scripturæ, evangelicam patientiam putant se adimplere per iracundiæ vitium, ob quod radicitus exstirpandum, prohibetur non solum talio et concertandi provocatio, sed etiam mitigare jubemur verberantium iram tolerantia injuriæ geminatæ seu repetitæ.

CAPITULUM XXI.

Interrogatio.

GERMANUS : Qualiter reprehendendus est qui satisfaciens evangelico consilio, talionem non solum non intulit, imo paratus est etiam ut duplicetur sibi injuria?

CAPITULUM XXII.

Quod Christus inspector sit voluntatis, et non facti dumtaxat.

JOSEPH : Quemadmodum diximus paulo ante, non solum intuenda est res ipsa quæ fit, sed etiam qualitas mentis atque propositum facientis. Idcirco si integro cordis examine perpendatis quo animo fiat, et ex quo affectu procedat id quod ab unoquoque efficitur, videbitis virtutem A patientiæ ac mititatis nequaquam posse impleri contrario spiritu, puta zelo impatientiæ ac furoris. Siquidem Dominus et Salvator instruens nos ad profundam patientiæ mansuetudinisque virtutem, ut scilicet proferamus eam non labiis tantum, sed recondamus eam in intimis animæ nostræ visceribus, dedit nobis hanc perfectionis evangelicæ formam : Si quis te Matth. v, 39. percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram. Subauditur sine dubio, dexteram. Quæ est alia dextera, nisi B interioris hominis facies? Christus namque per hoc cupit exstirpare de interioribus animæ omnem fomitem iræ, ut si exterior dextera acceperit impetum percutientis, mens ipsa interior præbeat per humilitatis assensum suam dexteram feriendam, compatiens exterioris hominis compassioni, et corpus suum subjiciens injuriæ ferientis, ne vel tacite intra se moveatur de exterioris hominis percussione.

Videtis ergo illos præfatos longe distare ab evangelica perfectione, quæ patientiam docet servandam non verbis tantum, C sed interioris cordis tranquillitate; eamque præcipit sic custodiri a nobis, quum adversum quid accidit, ut non solum nos ipsos servemus alienos ab iracundiæ passione ac perturbatione, sed etiam humiliantes et subdentes nos illis qui moti sunt, cogamus eorum injurias ad placiditatem reverti expleta satietate percussionis eorum, vincendo nostra mititate furorem ipsorum ; sicque implebimus illud Apostoli : Noli vinci a malo, sed vince in bo- Rom. xii, 21.
D no malum. Quod certissimum est non posse impleri ab illis qui verba caritatis et humilitatis emittunt illo spiritu ac tumore, ut non solum non mitigent conceptum furorem, sed faciant eum magis fervere tam in suo quam in sensu fratris commoti. Qui quamvis possent aliquo modo mites ac placidi permanere, nec sic caperent aliquos fructus justitiæ, eo quod vindicare sibi conentur patientiæ gloriam cum proximi damno : per quod omni modo sunt alieni ab apostolica caritate, quæ

I Cor. xiii, 5. non quærit quæ sua sunt, sed quæ alio- A rum. Non enim sic quærit divitias proprias, ut ex detrimento proximi faciat sibi lucrum, nec aliquid optat acquirere cum alterius nuditate.

CAPITULUM XXIII.

De propria voluntate subjicienda voluntati fratris.

SCIENDUM interea quod ille generaliter fortius agit et victoriosius operatur ac B prævalet, qui suam subjicit voluntatem voluntati fratris, quam ille qui pertinacior invenitur in tenendo ac defendendo proprias assertiones. Ille quippe sustentans ac tolerans proximum, obtinet locum et personam hominis sani ac validi; hic autem sua immansione et elatione sortitur locum infirmi ac ægrotantis, quem necesse est ita palpari atque foveri, ut interdum salubre sit pro ejus quiete ac pace aliquid relaxari a necessariis rebus ac regulis. In quo relaxans non credat se ali- C quid minuisse de sua perfectione, quamvis condescendendo subtraxerit aliquid de proposita districtione, sed econtrario sciat se multo plus aliquid acquisisse pro sua patientia ac longanimitate. Apostolicum
Rom. xv, 1. namque præceptum est : Vos qui fortiores estis, imbecillitates infirmorum sustinete;
Galat. vi, 2. et, Alterutrum onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Nunquam enim infirmus sustentat infirmum, nec is qui ægrotat tolerare poterit aut curare similiter ægrotantem; sed is medelam tribuit imbe- D cilli, qui imbecillitati non subjacet. Merito
Luc. iv, 23. etenim dicitur : Medice, cura te ipsum.

CAPITULUM XXIV.

Quod infirmi injuriosi sint aliis, et tamen injurias ferre non possint.

HÆC quippe natura est infirmorum, ut quum ipsi sint proni ad injurias inferendas ac jurgia suscitanda, minima tamen injuria tangi non volunt; quumque inconsiderata equitent libertate ad inferendum proterva convitia, recusant parva atque levissima sustinere. Hinc juxta præhabitam seniorum sententiam, caritas stabilis ac indirupta non poterit permanere, nisi inter viros ejusdem propositi ac virtutis ; scinditur namque quandoque ab imperfecto, quantalibet cautione custodiatur ab altero.

CAPITULUM XXV.

Quæstio, quomodo fortis sit, qui non sustinet semper infirmum.

GERMANUS : In quo ergo patientia viri perfecti potest esse laudabilis, si non potest semper tolerare infirmum?

CAPITULUM XXVI.

Responsio, quod infirmus non sinat se sustentari.

JOSEPH : Nec ego dixi quod vincenda sit virtus aut tolerantia ejus qui fortis ac robustus est, sed quod pessima ægritudo defectuositasve infirmi, nutrita sustentatione ejus qui sanus est, quotidie cadet in pejus, generabitque causas propter quas ipse non sit amplius sustinendus; vel certe conjiciens patientiam proximi sui esse notam, et deformationem impatientiæ suæ convictam, malit abire quam semper portari magnanimitate et patientia fratris sui.

Ecce hæc observanda præ omnibus arbitramur ab his qui cupiunt affectum sodalitatis inviolabiliter observare : primo, ut monachus quibuslibet injuriis lacessitus, tranquilla custodiat non solum labia sua, sed etiam pectoris sui profunda. Quæ tamen si vel modice turbata senserit, omni taciturnitate cohibeat semetipsum, et diligenter observet illud Psalmistæ :
Turbatus sum, et non sum locutus; item- Ps. lxxvi, 5.
que, Dixi, Custodiam vias meas ut non Ps. xxxviii, 2.
delinquam in lingua mea, posui ori meo

custodiam, etc. Nec considerando statum A suum præsentem, proferat ea quæ ad horam suggerit ira aut impatientia vel animus exasperatus, sed recolat caritatem præteritam, vel mente adspiciat reformandæ pacis recuperationem, eamque etiam in ipso commotionis suæ tempore contempletur tanquam mox reversuram. Et ita dum præparat se ad dulcedinem concordiæ protinus rediturae, non sentiet amaritudinem præsentium jurgiorum, et ita respondebit ac dicet potissime ea ex quibus non poterit a semetipso fieri reus vel B reprehendi ab aliis, caritate et pace recuperatis; sicque implebit verbum illud propheticum : In ira misericordiæ memor eris. *Habac.* III, 2.

CAPITULUM XXVII.

Quomodo iracundia sit frenanda.

OPORTET nos igitur cohibere omnes iracundiæ motus, et gubernante discretione hos moderari, ne furore præci- C piti corruamus in id quod Salomon loquitur, Totam iram suam profert stultus, sapiens autem dispensat per partes : hoc est, stultus perturbatione iræ succenditur ad sui ipsius vindictam, sapiens autem paulatim eam extenuat et expellit maturitate discretionis atque consilii. *Prov.* XXIX, 11, juxta LXX. Denique tale est illud Apostoli, Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ : *Rom.* XII, 19. hoc est, non sint corda vestra sic arctata angustiis impatientiæ ac pusillanimitatis, ut sustinere non possint violen- D tam commotionis procellam seu impetum, quando irruerit; sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes intra extenta gremia caritatis contrarios iræ fluctus, quoniam caritas omnia sustinet, omnia suffert; *I Cor.* XIII, 7. et ita mens vestra dilatata longanimitate ac patientia, habeat in se salubres consiliorum conceptus, in quibus teterrimus iracundiæ fumus receptus quodammodo ac diffusus, protinus evanescat. Vel certe damus locum iræ, quoties tranquilla ac humili mente cedimus commotioni alterius, recognoscendo nos dignos omni injuria, obsequiumque præbendo impatientiæ sævientis. Ceterum, qui verba apostolicæ perfectionis trahunt ad hoc, ut æstiment illos dare locum iræ qui discedunt ab irascente, videntur mihi non abscindere dissensionum fomitem, sed nutrire. Nisi enim ira proximi statim vincatur humili satisfactione, fugiens provocat eam magis quam mitiget aut vitet. Cui consonat quod Salomon loquitur : Noli festinare in spiritu tuo irasci, quoniam ira in sinu insipientium requiescit; *Eccle.* VII, 10, juxta LXX. et, Noli erumpere cito in rixam, ne pœniteat te in novissimo. *Prov.* XXV, 8, juxta LXX. Nec enim Salomon ita vituperat festinantiam iræ aut rixæ, ut approbet tarditatem earum. Similiter intelligendum est illud : Stultus eadem hora pronuntiat iram suam, occultat autem ignominiam suam astutus. *Ibid.* XII, 16, juxta LXX. Non enim judicat ignominiosam iracundiæ passionem ita debere a sapientibus occultari, ut velocitatem iracundiæ culpans, non prohibeat tarditatem ipsius : imo quum ex infirmitate humana irruerit ira, docuit eam ideo occultandam, ut dum ad præsens sapienter absconditur, in perpetuum atque totaliter deleatur. Hæc namque est natura iræ, ut dilata languescat seu minuatur, ac pereat; prolata vero, magis fervescat.

Dilatanda ergo et amplianda sunt corda, ne angustiis pusillanimitatis coarctata, repleantur turbulentis motibus iræ, sicque recipere nequeamus corde angusto Dei mandatum, quod secundum Prophetam est nimis latum, *Ps.* CXVIII, 96. nec dicere valeamus : Viam mandatorum tuorum cucurri quum dilatasti cor meum. *Ibid.* 32. Nempe quod longanimitas ad sapientiam spectet, evidentissime docet Scriptura : Vir enim longanimis est nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est. *Prov.* XIV, 29, juxta LXX. Idcirco Scriptura refert de eo qui laudabiliter postulavit sapientiæ donum a Domino : Dedit Dominus Salomoni sapientiam et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam maris innumerabilem. *III Reg.* IV, 29.

CAPITULUM XXVIII.

Quod amicitiæ cum juramento initæ firmæ esse non valeant.

MULTIS quoque experimentis sæpissime est probatum, eos non potuisse servare indiruptam concordiam qui inierunt amicitiæ fœdus cum juramento, quia conati sunt eam tenere non desiderio perfectionis neque intuitu apostolicæ caritatis, sed ex amore terreno, aut necessitate et vinculo initi pacti; vel quoniam callidissimus hostis præcipitat eos celerius ad dirumpendum vincula amicitiarum, ut faciat eos initi pacti prævaricatores. Verissima ergo est prudentissimorum virorum sententia, veram concordiam ac individuam societatem stare non posse, nisi inter mores emendatos et viros ejusdem propositi ac virtutis.

Hæc de amicitia B. Joseph spirituali narratione disseruit, nosque ardentius incitavit ad custodiendam perpetuam veræ sodalitatis dilectionem.

COLLATIO XVII

(Abbatis Joseph secunda)

DE DEFINIENDO VEL NON DEFINIENDO.

CAPITULUM PRIMUM.

De vigiliis quas pertulimus.

PRÆCEDENTE collatione finita, intermediante quoque nocturno silentio, quum fuissemus a sancto abbate Joseph deducti ad cellam seorsum causa quietis, totam noctem insomnem expendimus, inflammati sermonibus ejus quasi igne intra nos excitato. Deinde egressi de cella, et quasi per centum passus recedentes ab ea, consedimus in loco remotiore.

CAPITULUM II.

De causa et modo reditus nostri ad eumdem abbatem.

QUUMQUE opportunitas secreti silentii præberetur familiariter nobis etiam ex caligine noctis, abbas Germanus graviter ingemiscens, locutus est : Quid agimus ? quia videmus nos ingenti discrimine et valde miserabili conditione constrictos,
C
quos efficaciter docet et ratio et vita horum Sanctorum quid salubrius sit ad spiritualis vitæ profectum, et sponsio nostra senioribus facta non permittit eligere hoc ipsum quod expedit. Possemus enim exemplis talium ac tantorum virorum formari ad vitam perfectiorem sublimiusque propositum, nisi facta promissio cogeret nos instanter ad nostrum reverti cœnobium. Quod si reversi fuerimus, nulla copia redeundi huc tribuetur nobis ulterius. Porro, si hic manentes maluerimus desiderium nostrum implere, quid agimus de
D
A
promissione quam nos scimus fecisse senioribus nostris, quibus promisimus velocissimum reditum nostrum, ut saltem liceret nobis circumire Sanctos ac monasteria hujus provinciæ ?

Quumque sic æstuantes, inveniremus nequaquam quid definiendum esset super statu nostræ salutis, solo gemitu monstravimus necessitatem seu obligationem durissimæ conditionis, accusantes teneritudinem frontis nostræ, ac detestantes verecundiam nostram ingenitam : cujus rei
B
onere prægravati, non potuissemus aliter resistere precibus conventualium nostrorum retinentium nos contra profectum atque propositum nostrum, nisi maturissimo reditu eis promisso. Idcirco deflevimus nos laborasse vitio pudoris illius de quo ait Scriptura : Est pudor adducens peccatum. *Eccli.* IV, 25, juxta LXX.

CAPITULUM III.

Quid mihi ad hoc visum sit.

TUNC ego : Consilium hujus senis expeditionem impendat anxietati perplexitatique nostræ, ad quem senem oportet nos referre sollicitudines nostras ; et quidquid determinaverit ipse, finem imponat angustiis nostris, tanquam divinum ac cœleste responsum. Quod nullatenus dubitemus nobis præstandum per os sancti senioris istius, et propter meritum ejus, et propter fidem nostram. Nam et creduli ab indignis, et increduli a Sanctis frequenter adepti sunt munere Dei salubre consilium, Deo id largiente propter creden-

tium meritum, aut propter consulentium fidem.

His verbis tam alacriter acceptis a sancto abbate Germano, ac si ea protulissem non a me ipso, sed divino instinctu, præstolabamur adventum senis atque instantem horam nocturnæ synaxis. Quumque solita salutatione senem suscepissemus, numerusque legitimus orationum et psalmorum esset solutus, rursus consedimus eisdem psiathiis quibus nos ante reclinavimus ad quietem.

CAPITULUM IV.

Interrogatio senis, unde evenerit nostra anxietas ; et responsio nostra.

VENERABILIS itaque Joseph cernens nos corde dejectiores, atque conjiciens hoc non contigisse sine causa, interrogavit nos verbis Joseph patriarchæ :
Gen. XL, 7. Quid utique tristes sunt vultus vestri hodie ? Cui respondimus, non ut vincti
Ibid. 8. ministri Pharaonis, Somnium vidimus, et non est qui interpretetur; sed diximus : Insomnem duximus noctem, et non est qui relevet onus ac magnitudinem anxietatum nostrarum, nisi Deus tua discretione removerit eas. Tunc ille, qui habebat Patriarchæ virtutem appellatione ac merito, dixit : Nonne a Deo est humanarum afflictionum curatio ? Proferte eas in medium; potens est pietas Dei conferre eis medelam nostro consilio juxta vestram fidem.

CAPITULUM V.

Cur in Ægypto manere vellemus, et cur retraheremur ad Syriam.

AD hæc Germanus : Credebamus nos recursuros ad nostrum cœnobium repletos non solum spirituali lætitia ex visione beatitudinis vestræ, sed etiam grandi profectu; atque post reditum illum imitaturos nos saltem tenuiter ea quæ a vestro A magisterio accepissemus. Hoc enim dilectio seniorum nostrorum compulit nos sibi spondere, dum credebamus nos posse aliqualiter imitari in illo cœnobio sublimitatem conversationis instructionisque vestræ. Sed unde putavimus nobis lætitiam conferendam, jam econtrario intolerabili dolore conficimur, considerantes nos obtinere non posse ordine illo quod cognoscimus nobis esse salubre. Ex utroque igitur latere nunc arctamur. Si enim satisfacere voluerimus promissioni quam fecimus B compellente nos caritate seniorum, et quam Christo teste deprompsimus coram Fratribus universis in specu in quo ipse Christus Dominus noster ex utero virginali processit, incurrimus maximum detrimentum spiritualis profectus; si autem sponsionem nostram postponentes atque in regione hac residentes, præposuerimus utilitatem nostræ salutis pactioni præfatæ, formidamus grande periculum violatæ promissionis. Nec possumus nos ipsos relevare et consolari isto consilio, ut postquam C impleverimus sponsionem nostram, velocissimo reditu redeamus celeriter ad hæc loca. Nam quamvis etiam parva dilatio boni melioris sit periculosa et noxia tendentibus ad virtutes ac profectum spiritualium rerum, nihilo minus promissionem nostram impleremus reditu quamquam moroso, nisi sciremus nos indissolubiliter colligandos ac retinendos non solum caritate, sed etiam auctoritate superiorum nostrorum, ita quod nullo modo daretur nobis facultas revertendi ad lo- D ca hæc.

CAPITULUM VI.

Interrogatio, an daretur nobis major profectus in Ægypto, quam in cœnobio Syriæ.

PRÆMISSO aliquanto silentio, B. Joseph dixit ad ista : Estis certi quod major profectus spiritualis daretur vobis in loco isto ?

CAPITULUM VII.

Responsio, quod imo.

GERMANUS : Quamvis summas gratias rependere debeamus doctrinæ illorum qui docuerunt nos a parvis conari ad magna, et dato gustu boni sui, indiderunt cordibus nostris egregiam sitim perfectionis; si tamen nostro judicio creditur, nullam putamus comparationem inter hæc instituta et illa quæ ibi accepimus, ut sileamus inimitabilem vestræ conversationis puritatem, quam credimus nobis præstandam non solum districtione propositi atque custodia mentis, sed etiam qualitate locorum patrocinante. Hinc pro certo tenemus doctrinam hanc vestram, quæ cursim datur, non posse sufficere ad imitandam magnificentiam vestræ perfectionis, nisi et cohabitatione juvetur, et diuturna instructionis quotidianæ institutione excutiat mentis nostræ teporem.

CAPITULUM VIII.

Quod viri perfecti non debeant absolute definire.

JOSEPH : Sanum, perfectum, et nostræ perfectioni omnino conveniens est, ut ea quæ cum promissione asserimus, efficaciter impleamus. Quamobrem non oportet monachum abrupte seu incaute aliquid definire, ne cogatur id quod incaute promisit, implere; aut revocatus consideratione boni honestioris, prævaricator suæ promissionis exsistat. Sed quia proponimus nunc tractare de infirmitatis curatione magis quam de statu sanitatis, inquirendum est salubri consilio non quid sit agendum a nobis primo loco, sed qualiter possitis evadere de scopulo hujus perniciosi naufragii. Itaque proposita optione rerum utilium, præeligatur id quod majoris est commodi, quando nullum vinculum nos coarctat, nec conditio ulla constringit aliter agere; porro, quando obsistit aliqua dispendiorum adversitas, illud est appetendum inter damnosa quod levioribus subjacet detrimentis. Insuper, quantum patefecit vestra narratio, quum inconsiderata sponsio vestra perduxerit vos ad hoc, ut ex utroque incumbat vobis magnum incommodum, arbitrium electionis vestræ inclinandum est ad eam partem quæ minora damna seu tolerabiliora dispendia inferat, aut faciliore satisfactionis remedio expietur. Si ergo creditis majora virtutum lucra esse vestro spiritui conferenda ex habitatione loci istius, quam sint illa quæ vobis nascebantur ex conversatione vestri cœnobii, et vestra promissio impleri non potest absque magnis animarum vestrarum incommodis, melius aut satius est vobis[1] subire istud dispendium promissionis non adimpletæ (quod semel elapsum, non potest reiterari, nec per se alia generare peccata), quam illud incidere per quod status tepidioris, ut dicitis, vitæ afficiat vos detrimento indesinente et quotidiano. Definitio namque incauta veniabiliter, imo et laudabiliter commutatur, si ad laudabiliorem transeat partem; nec credenda est esse constantiæ prævaricatio, sed temeritatis emendatio, unde sponsio vitiosa corrigitur. Quæ probari possunt testimoniis Scripturarum : utpote quam perniciosum fuerit multis inhæsisse definitionibus propriis, atque quam commodum fuerit atque salubre recessisse a definitionibus talibus.

CAPITULUM IX.

Quod aliquando utilius sit statuta erumpere, quam implere.

QUOD liquidissime protestantur exempla Petri apostoli et Judæ proditoris. Petrus enim quia recessit a sententia in-

[1] In editione Romana Cassiani *(Romæ, ex Typogr. Cam. Apostol., 1611, in-8°)*, inter Observationes Henrici Cuickii, Ruræmundensis episcopi, pag. 971, legitur : « Non temere ea quæ a capitulo octavo usque ad finem Collationis (XVII*), de mentiendi licentia tradit Abbas Joseph, Dionysius Carthusianus in sua Paraphrasi omisit, etc. » — *Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 49, col. 1061, nota *b.*

Joann. XIII, 8. consultæ definitionis, qua dixit : Non lavabis mihi pedes in æternum; promeruit immortale consortium Christi omniumque Sanctorum, a quo fuerat abscindendus, si mansisset in obstinatione sui sermonis. Judas vero implens sponsionem pertinaciæ suæ, perpetua morte damnatus est, a qua fuisset procul dubio liberatus, si maluisset inveniri desertor suæ sponsionis quam pertinax adimpletor. Insuper idem Matth. XXI, 28-30. docemur in duobus filiis illis, qui ad operationem vineæ destinati in Evangelio leguntur, quorum unus contradixit imperio patris, alius prona responsione consensit. Sed consentienti non profuit humilis responsio obsequendi, quia opere non implevit patris præceptum; nec alteri obfuit contradictio illa, quia mutato proposito, exsecutus est patris mandatum, et quod reprehensibiliter intendebat, laudabiliter definitione correcta mox emendavit. Itaque primum est statuere optima : quod si aliter cesserit, restat ut quæ statuta sunt mutentur in melius, manumque dexteram porrigamus ordinationibus nostris jam jacentibus et quasi prostratis. Denique ubi principia consilii non sunt valentia, requirit prudentia ut provisione utili addita reparentur. Si dispositio circa prima statuta vacillat, adhibeatur correctio ad secunda. Unde in his rebus considerandus est finis, et secundum exigentiam finis dirigendus est cursus et actus. Quem si viderimus in deterius vergere superveniente consilio meliore, rectius est ad salubriorem transire sententiam, inepta constitutione amota, quam pertinaciter inhærendo statutis, implicari gravioribus vitiis.

CAPITULUM X.

Interrogatio de voto quod in cœnobio Syriæ fecimus.

GERMANUS : Quantum spectat ad desiderium nostrum a nobis conceptum intuitu commodi spiritualis, optaremus hic jugiter commorari. Si enim reversi fuerimus ad cœnobium nostrum, certum est quod non solum corruemus ab isto tam sublimi proposito, sed etiam agitabimur diversis dispendiis juxta mediocritatem conversationis illius. Sed vehementer nos terret evangelicum illud mandatum : Sit Matth. V, 37. autem sermo vester, Est, est, non, non; quod vero his abundantius est, a malo est. Credimus namque transgressionem tanti præcepti non posse ulla justitia compensari, nec exitum bonum habere quod fuerit malo principio inchoatum.

CAPITULUM XI.

Responsio, quod propositum facientis pensandum sit, non effectus negotii tantum.

JOSEPH : In omnibus causis, sicut prædiximus, intuenda est voluntas agentis, non processus operis solum; nec tantum inquirendum est quid quis egerit, sed quo affectu id fecerit, ita ut quosdam inveniamus esse damnatos pro his factis ex quibus postmodum orta sunt bona, nihilque profuerit eis exitus rei qui aggressi sunt rem proposito pessimo, perpetrare volentes non subsecutam utilitatem, sed malum ei contrarium. Præterea ut hoc ipsum quod dicimus declaremus uno exemplo : quid, quæso, salubrius atque utilius potuit procurari toti mundo, quam salubre illud remedium dominicæ passionis? Et tamen non solum non profuit proditori per quem procurabatur, imo in tantum obfuit ei, ut Christus de ipso absolute protulerit : Bo- Ibid. XXVI, 24.
num erat ei, si natus non fuisset homo ille. Non enim secundum id quod evenit, recompensatus est fructus operis Judæ, sed secundum id quod facere voluit, aut facturum se credidit. Et rursum, quid criminosius dolo atque mendacio commisso etiam in extraneum, ne dixerim in ger- Gen. XXVII, 19, 24, 29.
manum aut patrem? Et tamen Jacob patriarcha non solum nullam incurrit damnationem aut reprehensionem pro iis, verum etiam ditatus est hereditate benedictionis perpetua. Nec immerito, quia et Jacob con-

cupivit benedictionem primogenito depu- A
tatam, non ex avaritia lucri præsentis, sed
ex fide perpetuæ sanctificationis; et Judas
morti tradidit omnium Redemptorem non
amore salutis humanæ, sed cupiditatis fa-
cinore. Idcirco utrique eorum restitutus
est fructus operis sui secundum intentio-
nem mentis eorum et juxta voluntatis pro-
positum, quia nec Jacob statuit facere
fraudem, nec Judas salutem, quæ contra
spem et desiderium ejus exorta est. Illud
itaque juste recompensatur unicuique pro
retributionis mercede, quod principaliter B
mente concepit, non quod inde secutum
est bene aut male contra agentis intentio-
nem. Hinc judex justissimus excusabilem,
imo laudabilem censuit Jacob præsumpto-
rem talis mendacii, sine quo pervenire
nequivit ad benedictionem primogenitu-
ræ. Nec debuit pro crimine reputari quod
desiderio benedictionis exortum est; alio-
qui Jacob patriarcha fuisset non solum
iniquus in fratrem suum Esau, sed etiam
circumventor in patrem atque sacrilegus,
si habens aliam viam perveniendi ad bene- C
dictionem, maluisset arripere istam quæ
fratri suo erat damnosa. Videtis ergo a Deo
inquiri non tantum operis processum, sed
et mentis propositum.

His ergo præmissis, ut revertamur ad propositam quæstionem ob quam introducta sunt omnia ista, volo ut primum respondeatis quam ob causam feceritis prænarratam promissionem.

CAPITULUM XII.

Quæ causa exegerit sponsionem illam a nobis.

GERMANUS : Sicut jam diximus, prima illa causa fuit, quoniam verebamur seniores nostros contristare et eorum præceptis resistere. Secunda, quia inconsultissima persuasione credidimus posse nos exercere, quum ad cœnobium redissemus, si percepissemus visu aut auditu magnificum aliquid et perfectum.

CAPITULUM XIII.

Quod sine culpa ordo pactionis mutetur, dummodo effectus boni studii capiatur.

JOSEPH : Sicut præfati sumus, proposi-
tum sive intentio mentis damnat ho-
minem vel accusat, juxta illud Apostoli :
Inter se invicem cogitationibus accusan- *Rom.* II, 15,
tibus aut etiam defendentibus, in die qua 16.
judicabit Dominus occulta hominum; et
juxta illud in Isaia : Ego autem opera et *Is.* LXVI, 18.
cogitationes eorum venio ut congregem,
cum omnibus gentibus et linguis. Quamobrem, ut video, promissionem illam fecistis desiderio perfectionis, credentes eam posse acquiri ordine illo quo, nunc superveniente pleniore judicio, conspicitis non posse pertingi ad sublimitatem ipsius. Non ergo præjudicat sponsioni quidquid videatur accidisse discrepans ab illa dispositione, dummodo nulla diversitas illius principalis propositi subsequatur. Neque enim opificii seu artis cujusquam desertio est ferramenti mutatio, nec electio viæ compendiosioris reprehendit segnitiem viatoris. Itaque etiam in hac parte emendatio promissionis improvidæ non est judicanda transgressio promissionis spiritualis.
Quidquid enim fit pro caritate Dei et
amore pietatis, quæ promissionem habet I *Tim.* IV, 8.
vitæ quæ nunc est, et futuræ; quamvis videatur inchoari duris et adversis principiis, laude dignissimum est, nec reprehensionem ullam meretur. Idcirco nihil præjudicat refragatio seu retractatio sponsionis incautæ, dummodo quovis modo teneatur propositum pietatis intentæ. Omnia quippe propter hoc agimus, ut Deo cor purum exhibere possimus : cujus puritatis consummatio si facilius obtineri posse judicatur in locis his, parum oberit vobis mutatio extortæ promissionis; dummodo principalis perfectio puritatis, cujus intuitu promissionem illam fecistis, acquiratur maturius secundum voluntatem Omnipotentis. Non enim ex hac mutatione judicari potest ullum mendacium, sed prudens

atque salubris correctio inconsultæ obligationis.

Præterea, ut aliquid de philosophia introducamus quod solvat nodum propositæ quæstionis, ipsa natura mutat in nobis opera sua ex consilio majestatis divinæ. Ab infantia namque transferimur in pueritiam, a pueritia in juventutem, de juventute in senectutem : hæc autem operatur in nobis dispositio Creatoris, ita ut mendacium nullum adscribatur ætati. Conformiter homo noster interior ablactatus a tenerrimis institutis primordiorum, quum per diversas ætates profectuum ad robustiorem virtutem profecerit, et inde perveniens ad canitiem sensuum ac virum perfectum, mensuramque ætatis plenitudinis Christi, deposuerit ea quæ fuerant parvuli, numquid credendus est incurrisse varietatem mendacii, et non potius reputandus est obtinuisse plenitudinem perfectionis? Sic rudimenta veteris Testamenti per dispensationem Christi legislatoris nostri transferuntur ad evangelicæ beatitudinis perfectionem. Nec tamen ex hoc credenda est intervenisse mutatio aut diversitas præteritæ sanctionis seu veteris legis, sed adimpletio et cumulus sublimium atque cœlestium præceptorum; nec æstimanda est abolitio sacræ legis illius, sed ascensus; nec varietas, sed profectus. Propter quod dixit Salvator : Nolite putare quod veni solvere legem aut Prophetas; non enim veni solvere legem, sed adimplere, id est, non antiquare priora, sed imperfecta ducere ad perfectum.

Ephes. IV, 13.

Matth. V, 17.

CAPITULUM XIV.

Interrogatio, an absque peccato sit, quod conscientia nostra ingerit infirmis occasionem mentiendi.

GERMANUS : Quantum pertinet ad vim sermonum qui a te prudenter ac rationabiliter sunt prolati, scrupulus de fractione promissionis nostræ posset faciliter extrudi a nobis, nisi hoc vehementissime nos terreret, quod per istud videtur infirmioribus quibusque dari exemplum atque occasio mentiendi, si cognoverint statutas definitiones assertivas seu sponsiones posse modo ullo mutari.

CAPITULUM XV.

Responsio, quod mutatio promissionis incautæ non sit omittenda superveniente salubriori consilio.

JOSEPH : Nos ista prædiximus de mutatione promissionis incautæ, non ut demus aut reservemus viam seu aditum prohibitis noxiisque mendaciis; utilius judicantes, ut si forte prævenerit nos inconsulta sententia, temperetur superveniente moderatione salubrioris consilii. Nec oportet nos rigidos irrevocabilesque manere in his quæ semel statuimus, si matura ac prudens discretio invenerit postea rectius aliquid; aliud namque est mentiri, aliud statuta seu promissa mutare. Non enim Deus discussor et judex est verborum actuumque nostrorum dumtaxat, sed propositi quoque et intentionis inspector est. Qui si viderit quid prætermitti aut a consueto rigore laxari ab unoquoque nostrum, causa salutis æternæ et desiderio contemplationis divinæ, quamvis videatur hominibus ineptum ac durum, ille tamen inspiciens intimam cordis pietatem, judicat non sonum verborum, sed voluntatis propositum, quoniam finis operis et affectus agentis pensandi sunt.

Hæc sunt Dionysii.

CAPITULUM XVI.

Quod Sancti quandoque utiliter mutaverint propositum.

HINC beatus apostolus Jacobus et omnes præcipui principes illius primitivæ Ecclesiæ, hortabantur Paulum apostolum descendere a solita districtione propter infirmorum imbecillitatem, compuleruntque eum secundum observantiam legis

Cassiani cap XX.

purificari, caput radere sacrificiumque offerre : judicantes uberiores fructus conferendos esse toti Ecclesiæ ex hac solitæ districtionis immutatione, quam si Paulus perstitisset in illa suæ veræ prædicationis constantia fixa ac rigida. Non enim tantum lucrum fuerat Paulo apostolo conferendum ex prætacta sua districtione, quantum detrimentum evenisset gentibus universis ex celeri ejusdem Pauli apostoli occisione. Quod detrimentum accidisset tunc procul dubio universæ Ecclesiæ, nisi hæc moderatio et salutaris discretio eripuisset tunc Paulum non solum de manibus infidelium Judæorum, verum etiam Christianorum usque tunc zelum legis habentium, reservassetque eum evangelicæ prædicationi. Tunc nempe, ut diximus, necessarie ac veniabiliter acquiescitur detrimento mutati propositi aut promissi, quando de consueta districtione imminet majus dispendium, et utilitas quæ confertur de observatione statuti compensare non prævalet damna illa. Quod temperamentum seu moderamen idem Paulus apostolus testatur se semper tenuisse sub aliis

I Cor. IX, 20-22. verbis. Quum enim ait : Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem; his qui sine lege erant, quasi sine lege essem (quum sine lege Dei non essem, sed in lege Christi essem), ut eos qui sub lege erant lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos; quid aliud ostendit, quam condescendisse se semper parvulis, secundum infirmitatem et mensuram eorum quos docuit, et aliquid relaxasse a perfectionis rigore, nec tenuisse se semper quod districtio rigida videbatur requirere, sed id potius prætulisse quod infirmorum utilitas exigebat?

Denique ut hæc eadem attentius indagemus, et sigillatim replicemus insignia apostolicarum virtutum, quæret aliquis quomodo sanctus apostolus Paulus probetur suam personam per omnia omnibus coaptasse, aut ubi factus est Judæis quasi Judæus? Profecto ibi, ubi intimo corde

A servavit quod ad Galatas scripsit : Ecce Galat. v, 2.
ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit; et ubi in Timothei circumcisione assumpsit Act. XVI, 3.
quamdam Judaicæ superstitionis imaginem. Et rursus quæretur : Ubi factus est eis qui sub lege erant, quasi sub lege esset? Certe, ubi Jacobus omnesque seniores formidabant ne in eum irrueret multitudo Judæorum credentium, imo Christianorum judaizantium, quæ ita fidem Christi suscepit ut adhuc servaret ritum

B cærimoniarum legalium; ideo succurrebant periculo Pauli hoc consilio et hac persuasione, dicentes : Vides, frater, quot Ibid. XXI, 20, 21.
millia sint in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis; audierunt autem de te quod discessionem doceas a Moyse, eorum qui per gentes sunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos; et infra, Hoc ergo fac quod Ibid. 23, 24.
tibi dicimus : Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se; his assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis

C ut radant capita; et scient omnes quoniam ea quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas ipse custodiens legem. Sicque apostolus Paulus pro salute illorum qui sub lege erant, calcans et laxans paulisper districtionem sententiæ suæ, qua dixerat, Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Galat. II, 19.
Deo vivam; persuasus est caput radere et secundum legem purificari, ac ritu Mosaico vota offerre in templo.

Quæres etiam ubi factus sit quasi sine lege fuisset, pro salute eorum qui legem

D Dei penitus ignorabant. Lege quo prædicationis exordio usus sit in Athenis, ubi idololatria vigebat : Præteriens, inquit, vidi Act. XVII, 23.
simulacra vestra, et aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo. Quumque de eorum superstitione incepisset sermonem, sub occasione illius profani tituli intulit fidem Christi, quasi et ipse sine lege fuisset, dicendo : Quod ergo ignorantes colitis, hoc Ibidem.
ego annuntio vobis. Post pauca quoque, allegavit verba gentilis poetæ magis quam Christi aut Moysis, quasi omnino fuisset

Act. xvii, 28. ignarus divinæ legis : Sicut et quidam,
inquiens, vestrorum poetarum dixerunt,
Ipsius enim et genus sumus. Quum itaque
aggressus eos fuisset ipsorum testimoniis,
quæ refutari non poterant, ita ex falsis
Ibid. 29. vera confirmans, adjecit : Genus ergo
quum simus Dei, non debemus æstimare
auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis
et cogitationis hominis Divinitatem esse
similem. Porro infirmis infirmus factus
I Cor. vii, 6. est, quum concessit in id ipsum redire
secundum indulgentiam, et non secundum
imperium, viventibus sub matrimonii lege
nec professis castitatem perpetuam, non
valentibus adimplere illud perfectionis
I Thess. v, 17. præceptum, Sine intermissione orate; item
I Cor. iii, 2. quum asserit se potasse Corinthios lacte,
Ibid. ii, 3. non esca, seque testatur apud eos fuisse in
infirmitate, et timore tremoreque multo.

Insuper omnibus omnia factus est, ubi
Rom. xiv, 3. ait : Qui manducat, non manducantem
non spernat, et qui non manducat, man-
I Cor. vii, 38. ducantem non judicet; et, Qui matrimo-
nio jungit virginem suam bene facit, et
qui non jungit melius facit; alibi quo-
II Cor. xi, 29. que, Quis, inquit, infirmatur, et ego non
infirmor? quis scandalizatur, et ego non
uror? Sicque implevit quod Corinthiis
jusserat, et se fecisse commemorat, di-
I Cor. x, 32, 33. cens : Sine offensione estote Judæis et
Græcis et Ecclesiæ Christi, sicut et ego
per omnia omnibus placeo, non quærens
quod mihi utile est, sed quod multis, ut
salvi fiant. Nam absque dubio utile ei
erat non circumcidere Timotheum, non
radere caput, nec purificari secundum le-
gem, nec nudipedalia exercere, et vota
legalia non offerre; sed fecit hæc omnia,
ut magis consuleret aliorum saluti, non
quærens utilia sibi, sed multis. Quod
quamvis effecerit intuitu Dei, non tamen
sine mutatione suæ sententiæ. Qui enim
Galat. ii, 19. per legem Christi mortuus fuerat legi Mo-
Philipp. iii, 6, 8. ysis, ut viveret Deo, et justitiam legis, in
qua conversatus erat sine querela, fecerat
detrimentum et arbitrabatur ut stercora,
ut Christum lucrifaceret, offerre non po-
tuit ea quæ legis erant, nisi propter infir-

A morum salutem; quamvis ex Actibus Apo-
stolorum instruamur legalia illa non fuisse
resecata aut vetita inter evangelicæ præ-
dicationis exordia, propter infirmitatem
Judæorum conversorum ad Christum.

Præterea aliis Scripturarum testimoniis Ex cap. xxv Cassiani
edocemur, quod nec debeamus neque pos-
simus universa implere quæ proponimus
corde quieto aut perturbato : quibus legi-
mus tam sanctos viros quam angelos, imo
et Deum, frequenter mutasse pro utilitati-
bus hominum, quæ proposuerunt et as-
B seruerunt. Vas namque electionis Corin-
thiis scribens, reditum suum absoluta
definitione promittit, dicendo : Veniam ad I Cor xvi, 5-7.
vos, quum Macedoniam pertransiero, nam
Macedoniam pertransibo; apud vos autem
manebo, aut etiam hiemabo, ut vos me
deducatis quocumque iero : nolo enim vos
modo in transitu videre, spero me ali-
quanto tempore manere apud vos. Cujus
rei meminit quoque in secunda ad Corin-
thios epistola, dicens : Et hac confidentia II Cor. i, 15. 16.
volui prius venire ad vos, et a vobis de-
C duci in Judæam. Sed superveniente salu-
briore consilio, fatetur evidentissime se
non implesse quod promiserat, dicens :
Quum ergo hoc voluissem, numquid levi- Ibid. 17.
tate usus sum? Aut quæ cogito, secundum
carnem cogito, ut sit apud me Est et Non?
Interea cur maluerit non implere quod
scripserat se facturum, quam suo adven-
tu inferre discipulis onerosam tristitiam,
etiam cum juramento declarat : Ego, in- Ibid. 23.
quiens, testem Deum invoco in animam
meam, quod parcens vobis, non veni ultra
D Corinthum; statui enim hoc ipsum apud Ibid. ii, 1.
me, ut non in tristitia venirem ad vos.
Denique quum angeli sancti in Sodoma
negassent se ingressuros domum Lot, di-
centes ad eum : Non intrabimus, sed in Gen. xix, 2.
platea manebimus; statim inducti sunt
precibus ejus prolatum mutare sermo-
nem, sicut Scriptura subjungit : Coegit Ibid. 3.
eos, et diverterunt ad eum. Quod si nove-
rant se ituros ad eum, credendi sunt pri-
mo renuisse petitionem invitantis, ad in-
sinuandum et approbandum affectum ac

perseverantiam hospitalitatis ipsius; sin (A) autem absoluta assertione recusabant primam ipsius invitationem, certum est eos mutasse sententiam. Hæc quoque credimus Spiritum Sanctum idcirco inseruisse voluminibus sacris, quatenus istis erudiamur exemplis non inhærere pertinaciter definitionibus propriis, sed subjicere eas arbitrio nostro; sicque judicium nostrum conservare ab omni vinculo liberum, ut promptum sit sequi quocumque salubre consilium vocaverit ipsum, nec differat aut recuset transire ad id quod salutaris (B) discretio invenerit esse salubrius.

Insuper, ut ascendamus adhuc ad sublimiora exempla, Isaias propheta ex persona Dei dixit ad Ezechiam in lecto jacentem et gravi ægritudine laborantem (*Is. xxxviii, 1-3.*): Hæc dicit Dominus, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. Convertitque Ezechias faciem suam ad parietem, orans cum lacrimis Dominum : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. (C) Flevitque Ezechias fletu magno. Post quæ rursus locutus est Dominus Isaiæ (*Ibid. 5, 6.*): Revertere, et dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus David patris tui, Audivi orationem tuam et vidi lacrimas tuas; et ecce adjiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc protegam propter me et propter David servum meum. Quid evidentius testimonio isto, quo voluit Dominus suum cassare sermonem intuitu pietatis, et vitam orantis extendere quindecim (D) annis a termino mortis præfixo, magis quam immobilis et inflexibilis inveniri per irrevocabilitatem proprii dicti? Conformiter dixit ad Ninivitas (*Jonæ iii, 4, juxta LXX.*): Adhuc triduum, et Ninive subvertetur. Mox pœnitentiis atque jejuniis Ninivitarum emollita est tam minax et assertiva sententia, ac prona pietate ad partem misericordiæ flexa. Quod si quis dubitet, sive non audeat dicere Deum mutasse tam severam sententiam consideratione pœnitentiæ Ninivitarum, convincitur tamen per id quod Dominus ait per Ezechielem prophetam : Si dixero impio, Morte morieris; et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur (*Ezech. xxxiii, 14, 15.*). Quibus exemplis docemur quod non debemus in nostris assertionibus obstinate durare, sed clementi miseratione mollire comminationem necessario factam. Et ne Deus crederetur solis Ninivitis id concessisse, ipse per Jeremiam testatur se idem facturum jugiter cunctis hominibus in simili casu, et promittit se mutaturum suam sententiam incunctanter seu indilate, quum fuerit opportunum juxta merita nostra : Repente, inquiens, loquar adversus gentem et adversus regnum, ut evellam et destruam, et disperdam illud (*Jer. xviii, 7-10.*). Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei, et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, agam pœnitentiam super bono quod locutus sum ut facerem ei. Ad Jeremiam quoque : Noli, ait, subtrahere verbum, si forte audiant, et convertatur unusquisque a via sua mala (*Ibid. xxvi, 2, 3.*); et pœnitebit me mali quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum. Quibus testimoniis declaratur non oportere pertinaciter inhærere definitionibus propriis, sed quod temperandæ sint ratione atque judicio; meliora quoque semper esse eligenda ac præferenda, et absque mora transeundum esse ad illam partem quæ fuerit judicata utilior.

CAPITULUM XVII.

Quod Deus secundum præsentes actus vel remuneret unumquemque vel puniat.

Divina quoque justitia hoc ante omnia docet nos, quod quum ei præcognitus sit finis universorum ante ortum eorum, nihilo minus cuncta dispensat ordine et

ratione communi, et quasi affectu ac more humano, ut ipsa diversa dijudicans, contemnat aut attrahat unumquemque, gratiamque infundat quotidie, vel avertat aut subtrahat, non secundum omnipotentiam suam neque secundum præscientiæ suæ notitiam, sed secundum præsentes hominum actus. 1 Reg. x, 1. Quod Saulis manifestat electio, cujus quum vituperabilem finem ignorare non posset præscientia Dei, tamen elegit eum ex tot millibus Israelitarum et unxit in regem, remunerans in illo meritum vitæ præsentis, non intuens peccatum transgressionis sequentis; ita quod postquam Saul superbus effectus est, Deus quasi pœnitens de promotione illius, testatus est : Ibid. xv, 11. Pœnitet me quod constituerim Saulem regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Et iterum ait Scriptura, Ibid. 35. Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel. Denique quod fecit Deus in Saule, protestatus est postea per Ezechielem facturum se esse quotidiano judicio cum universis hominibus, dicens : Ezech. XXXIII, 13-16. Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur; si autem dixero impio, Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, et non morietur, omnia peccata ejus non imputabuntur ei. Denique quum Dominus avertisset conspectum misericordiæ suæ a populo illo quem sibi ex omnibus gentibus adoptavit, propter subitam vituli adorationem, et Moyses legislator pro populo illo oraret : Exod. XXXII, 31, 32. Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum magnum, aut dimitte eis hanc noxam, sin autem, dele me de libro quem scripsisti; Ibid. 33. tunc Dominus respondit : Si quis peccaverit coram me, delebo eum de libro meo. Unde et David prophetico spiritu loquens de traditore et persecutoribus Christi, ait : Deleantur de libro viventium. Ps. LXVIII, 29. Et quoniam quidam illorum non erant pœnitentiam acturi, subjungit : Et cum justis non scribantur. Ibidem. Porro maledictio illa prophetica impleta est in Juda, qui expleto crimine proditionis, suspendio se necavit; Matth. XXVII, 5. et nomine suo deleto, non egit pœnitentiam, et idcirco non meruit rursus scribi cum justis in cœlo. Non ergo est dubitandum quin nomen Judæ fuerit scriptum in libro viventium, quando a Christo electus, sortitus est gradum apostolatus, et cum ceteris Apostolis audivit a Domino : Luc. x, 20. Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Sed quia avaritiæ vitio corruptus, a cœlesti adscriptione dejectus est ad terrena, Jeremias propheta convenienter dicit de eo et de consimilibus ei : Jer. XVII, 13. Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum; et alibi, Ezech. XIII, 9. In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, et in terram Israel non ingredientur.

CAPITULUM XVIII.

Quod sermo mutari possit in melius, quamvis ira instigante proferatur sub obligatione aut promissione.

Nec tacenda est utilitas illius præcepti quo causa utriusque rei pensanda est judicio sanæ ac integræ mentis, etiamsi instigante ira aut alia quavis passione vinxerimus aut obligaverimus nos aliquo verbo aut promisso : quod tamen a nullo monachorum fieri debet. Nihilo minus in hoc casu, res illa quam statuimus aut proposuimus comparanda est rei ad quam divertere cogimur aut monemur, et illa res est sine dilatione præeligenda, quæ superveniente saniore tractatu justior judicatur. Rectius enim est ut nostram mutemus sententiam, quam ut patiamur rei salubrioris jacturam. Denique nunquam recoli-

mus Patres rationabiles ac probatos, fuisse irrevocabiles in talibus suis definitionibus; sed sicut cera liquescit solis calore, sic ipsi ratione molliti, cesserunt et acquieverunt melioribus rebus, interveniente salubriore consilio. Porro quoscumque vidimus pertinaciter inhærere suis definitionibus, invenimus irrationabiles et veræ discretionis expertes.

CAPITULUM XIX.

Objectio ex verbis Psalmistæ.

GERMANUS : Quantum ad hanc pertinet instructionem, quæ evidenter et copiose inducta est, non oportet monachum aliquid definire seu jurare, ne inveniatur prævaricator aut pertinax. Sed obviare videtur illud Psalmistæ : Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ. *Ps.* CXVIII, 106.

CAPITULUM XX.

Responsio ad objectionem præmissam.

JOSEPH : Ea quæ diximus de mutatione promissionum, non intelleximus de principalibus mandatis, sine quibus salutem consequi non valemus, sed de his quæ relaxare possumus aut tenere sine periculo status nostri : sicut de irremisso rigore jejunii, de jugi abstinentia a vino et oleo, de exitu cellæ indesinenter vitando, de incessabili instantia lectionis aut meditationis; quæ sine jactura aut damno professionis atque propositi nostri possunt, quum placuerit, exerceri, et irreprehensibiliter relaxari quum fuerit opportunum. Ceterum, constantissime definire debemus super observantia principalium mandatorum, pro quorum observantia non est mors vitanda, quum necesse exstiterit; de quibus immobiliter est dicendum : Juravi, et statui, etc. *Ibidem.* Hoc enim fieri debet pro custodia caritatis, pro qua spernenda sunt universa, ne tranquillitas et perfectio maculentur. Similiter jurandum est pro castimoniæ puritate, nec aliud facere nos oportet; sic et pro fide, sobrietate, justitia est jurandum, quæ omnia invariabili perseverantia sunt tenenda, et a quibus paululum recessisse exstat damnabile. De illis vero exercitiis corporalibus quæ dicuntur ad modicum esse utilia, *I Tim.* IV, 8. ita est statuendum, ut diximus, ut si qua supervenerit certior occasio pietatis quæ illa suadeat relaxari, non teneamur aliqua lege ad ea, sed eis prætermissis, ad utiliora libere transeamus. In illis namque corporalibus exercitiis non est periculum, si pro tempore relinquantur; ab his autem quæ sunt necessaria ad salutem, ad momentum declinasse mortiferum est.

CAPITULUM XXI.

Quod obtestatio non sit addenda occulto sermoni.

HOC quoque simili diligentia est servandum, ut si protuleritis verbum aliquod quod vultis manere occultum, non adstringatis audientem aliquo præcepto ad occultandum; magis enim manebit occultum, si negligenter atque simpliciter transeat. Audiens namque non torquebitur tanta impugnatione de verbi vestri divulgatione, utpote putans rem vilem transitoria confabulatione prolatam, et quæ ex hoc ipso fit levior, quia commendata non est audientibus cum cautissimo occultandi præcepto. Nam et si audientis fidem exegeris cum aliquo juramento, non dubites verbum illud citius esse prodendum. Major quippe vis diabolicæ impugnationis contra audientem exsurget, ut te contristet, sive denudet ac manifestet, et illum quantocius faciat transgressorem suæ promissionis aut juramenti.

CAPITULUM XXII.

Quod monachus nihil debeat abrupte definire de his quæ pertinent ad corporales exercitationes.

MONACHUS itaque nihil debet abrupte definire de his quæ ad corporales exercitationes solummodo pertinent, ne in-

citet adversarium ad impugnationem eorum quæ ex obligatione custodit, sicque inducatur ad celeriorem violationem eorum. Unusquisque enim sub libertatis gratia constitutus, præfigens sibi legem, obligat semetipsum servitute perniciosa, ut ea quæ potuit licite, imo et laudabiliter sumere cum gratiarum actione, compellatur velut transgressor percipere cum prævaricatione præcepti, si forte incumbat necessitas : Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. (*Rom.* IV, 15.)

Hac beatissimi Joseph institutione atque doctrina tanquam divino oraculo confirmati, in Ægypto manere elegimus ; verumtamen expleto septennio, promissionem nostram gratanter implevimus. Recurrentes namque ad cœnobium nostrum eo tempore quo gerebamus fiduciam de impetrando reditu ad eremum, exhibuimus primo debitum honorem senioribus nostris, deinde reintegravimus caritatem in ipsis, qui præ caritatis ardore nequaquam deliniri creberrimis potuerant satisfactionibus litterarum quas misimus eis. Tandemque avulso ad plenum aculeo nostræ promissionis, reversi sumus, ipsis quoque cum gaudio prosequentibus, ad solitudinem Scythi. Hanc illustrium Patrum sapientiam ac doctrinam imperitia nostra descripsit et elucidavit vobis, o sancti Fratres, ut potuit : quam etsi sermo incultus forsan confudit potius quam expressit, quæso ne reprehensibilitas nostræ rusticitatis evacuet laudem virorum insignium. Tutius enim visum est nobis coram judice nostro, magnificentiam hujus doctrinæ incultis sermonibus prodere quam silere, quum et lectoris profectui obesse non possit hoc quod offenditur imperitia nostri sermonis, si sensuum et documentorum istorum sublimitate repletur, et nobis major sit cura utilitatis legentium quam propriæ laudis.

PROLOGUS

IN SEPTEM ULTIMAS COLLATIONES PATRUM IN ULTERIORIS PARTIBUS ÆGYPTI HABITANTIUM.

FINITIS decem Collationibus, quæ uteumque descriptæ sunt juvante gratia Christi, exigentibus beatissimis episcopis Helladio atque Leontio, septem alias Collationes deputavi beato Honorato episcopo, et sancto famulo Christi Eucherio; nunc quoque credidi totidem dedicandas vobis, o sancti Fratres, Joviniane, Minervi, Leonti et Theodore. Etenim posterior vester, puta Theodorus, fundavit in Gallicanis provinciis illam sanctam atque egregiam disciplinam cœnobiorum cum districtione antiquarum virtutum; porro vos ceteri, vestris institutionibus provocastis monachos aggredi non solum professionem cœnobitalem, verum etiam sitire anachoreticam sublimitatem. Ea namque disputatione ac serie descriptæ sunt Collationes Patrum summorum, et ita in omnibus temperatæ, ut conveniant utrique professioni qua florere fecistis maximis Fratrum catervis, non solum regiones occidentales, sed etiam insulas : scilicet, ut non solum hi qui adhuc in congregatione perdurant cum subjectione laudabili, sed etiam qui recedentes non longe a vestris cœnobiis sectari cupiunt disciplinam anachoretarum, plenius instruantur juxta conditionem et mensuram sui status atque locorum. Quibus præcedens vestri laboris industria istud præcipuum contulit, ut jam parati et in eisdem exercitiis deprehensi ac positi, facilius suscipiant præcepta institutaque seniorum : imo et recipientes ipsos Collationum auctores cum ipsis Collationum libris in cellulas suas, et quodammodo colloquentes cum illis interrogationibus responsionibusque quotidianis, nequaquam accedant propriis adinventionibus viam hanc arduam, in hac quoque regione fere incognitam; sed capere assuescant anachoreticæ vitæ disciplinam, periculosam etiam illic ubi habentur et adsunt tritissimi calles et innumera præcedentium Patrum exempla, doctrinis et præceptis illorum quos instruxit in omnibus antiqua traditio et experientiæ longæ industria.

COLLATIO XVIII

(Abbatis Piammonis)

DE TRIBUS GENERIBUS MONACHORUM, ET QUARTO NUPER EXORTO.

CAPITULUM PRIMUM.

De adventu nostro ad abbatem Piammonem.

POST conspectum atque colloquium trium senum quorum Collationes utcumque descripsimus, compellente sancto fratre nostro Eucherio : dum majore fervore desideraremus accedere ulteriores partes Ægypti, in quibus erat multitudo Sanctorum amplior atque perfectior, pervenimus ad vicum cui nomen Diolcos, imminentem uni ex septem ostiis Nili flu-

minis, non tam necessitate itineris, quam desiderio Sanctorum ibi degentium nos cogente. Quum enim tanquam cupidissimi mercatores audissemus ibi esse plura ac celeberrima cœnobia ab antiquis Patribus instituta, continuo suscepimus navigationem quasi incertæ inquisitionis, suadente spe lucri majoris. Ubi diutissime fluctuantes, quum tenderemus oculos curiosos ad illos montes sublimitate virtutum conspicuos, intuitus noster pie circumspectans, primo notavit abbatem Piammonem seniorem omnium anachoretarum ibi manentium, presbyterumque eorum, tanquam altissimam quamdam pharum, qui instar
Matth. v, 14. evangelicæ civitatis constitutus in vertice montis excelsi, primo fulsit nostro adspectui. Cujus virtutes ac mirabilia quæ etiam fecit in nostra præsentia, divina gratia testimonium perhibente meritis ejus, credidimus omittenda, ne excedamus formam nostri propositi aut modum voluminis hujus. Non enim spopondimus nos scripturos de miraculis Dei, sed de institutis studiisque Sanctorum, quantum recordari valemus, ne præberemus legentibus admirationem inutilem, et absque vitiorum emendatione supervacuam narrationem. Quum itaque B. Piammon summa gratulatione nos suscepisset, humanitateque congrua refecisset, intelligens nos esse de alia regione, primo interrogavit sollicite unde et quare intrassemus Ægyptum ; audiensque nos illuc venisse a cœnobio Syriæ perfectionis amore, ita exorsus est.

CAPITULUM II.

Allocutio sancti Piammonis, quod sine magisterio perfectorum virorum non acquiratur perfectio.

QUICUMQUE, o filii, concupiscit adipisci peritiam alicujus artis, frustra ac vanis affectibus cupit assimilari peritis in arte, nisi omni cura ac vigilantia mancipaverit se studiis disciplinæ sive scientiæ quam affectat, et nisi servaverit præcepta ac instituta perfectissimorum in illa sci-
A entia, non despiciens sequi curam industriamque illorum. Novimus enim quosdam de vestris regionibus ideo ad hæc loca venisse, ut circumirent monasteria Fratrum tantummodo gratia cognoscendi, non ut imitando susciperent ac tenerent has regulas et institutiones propter quas sciendas huc advenerunt, ac redeuntes ad cellulas, conarentur operibus exsequi quæ didicerunt visu aut aliorum instructione. Qui mores suos pristinos ac studia solita retinentes, æstimati sunt mutasse et per-
B ambulasse provincias, non causa sui profectus, sed (ut eis exprobrari ab aliquibus solet) necessitate egestatis vitandæ : quia non solum nil profecerunt, sed nec diutius commorari potuerunt in partibus istis præ obstinatione animi pertinacis. Quum enim non mutassent morem jejuniorum, nec ordinem numerumque psalmorum, nec vestes, quid aliud crederentur in hac regione sectari nisi compendia victus sui?

CAPITULUM III.

C *Quod juniores non debeant discutere seniorum præcepta.*

QUAMOBREM si causa Dei traxit vos ad æmulationem seu amorem nostræ cognitionis, ut credimus, summa humilitate sectamini quæcumque videritis seniores vestros agere aut docere, abdicatis omnibus institutis quibus in vestro cœnobio estis imbuti a conversionis vestræ exordio. Neque vos moveat aut ab imitatione avertat, si non innotescat vobis ad præ-
D sens causa aut ratio alicujus verbi aut facti illorum, quia scientia omnium horum per experientiam operis subsequetur eos qui de omnibus sentiunt bene, magisque student fideliter imitari quam discutere universa quæ viderint a senioribus dici aut fieri. Ceterum nunquam intrabit aut obtinebit rationem aut scientiam veritatis, quicumque a discussione cœperit erudiri, quoniam inimicus videns eum magis confidere judicio suo quam Patrum, faciliter eum præcipitabit ad hoc, ut etiam ea quæ

utilissima ac saluberrima exstant, reputet superflua et nociva; sicque callidus hostis illudet præsumptioni ipsius, ut pertinaciter inhærendo definitionibus suis, persuadeat sibi hoc tantummodo sanctum esse, quod ipse judicaverit obstinationis suæ errore esse ratum ac justum.

CAPITULUM IV.

De tribus generibus monachorum.

HINC primo debetis agnoscere qualiter et unde ordo atque exordium nostræ B professionis inceperint. Tunc enim quis poterit efficacius assequi disciplinam artis desideratæ, et ad exercendam eamdem excitari ardentius, quum agnoverit dignitatem auctorum ac fundatorum ipsius. Itaque tria sunt in Ægypto genera monachorum, quorum duo sunt optima, tertium vero tepidum et omnino vitandum. Primum est cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter conversantes, gubernantur judicio unius superioris: cujus generis est maximus numerus monachorum qui C per universam morantur Ægyptum. Secundum anachoretarum, qui primo in cœnobiis instituti et exercitati, jamque in activa conversatione perfecti, eligunt solitudinis abdita et secreta : cujus professionis nos quoque optamus esse participes. Tertium est reprehensibile genus Sarabaitarum. De quibus per ordinem sigillatim dicemus.

Itaque fundatores harum trium professionum debetis primo cognoscere, quia ex hoc poterit vobis oriri odium professionis vitandæ, ac desiderium professio- D nis sequendæ : quia necesse est unamquamque viam trahere suum sectatorem ad illum finem ad quem auctor et inventor ipsius pervenit.

CAPITULUM V.

A quibus instituta sit professio seu religio cœnobitarum.

CŒNOBITARUM ergo disciplina aut institutio sumpsit exordium a tempore A prædicationis Apostolorum. Nam talis fuit omnis illa multitudo credentium in Jerosolymis, quæ in Actibus Apostolorum ita describitur : Multitudinis credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam, eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, distribuentes eas omnibus, prout cuique opus erat. Et iterum : Nec enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum ; dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis inveniri difficile est. Sed quum post discessum Apostolorum tepescere cœpisset multitudo credentium, illa præsertim quæ ex gentilitate ad fidem Christi confluxit : a quibus Apostoli nil amplius exigebant propter rudimenta fidei et inveteratam consuetudinem gentilitatis ipsorum, nisi ut abstinerent ab immolatitiis idolorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine; atque libertas hæc gentibus indulta propter infirmitatem credulitatis eorum, cœpisset paulatim contaminare perfectionem Ecclesiæ quæ Jerosolymis erat, et crescente quotidie numero credentium tam gentilium quam Judæorum, fervor fidei primæ illius frigesceret : a prima illa districtione laxati sunt non solum hi qui ad fidem Christi confluxerunt, sed et principes Ecclesiarum. Quidam quoque existimantes sibi licere quod gentilibus conversis videbant concessum propter infirmitatem eorum, crediderunt nihil detrimenti se perpeti, si fidem confessionemque Christi sequerentur retinendo facultates atque substantias suas.

Act. IV, 32, 34, 35. *Ibid.* 34, 35. *Ibid.* XV, 20.

Porro hi in quibus mansit adhuc apostolicus fervor, memores illius primæ perfectionis, recedentes a civitatibus suis, consortiisque illorum qui vitam illam remissiorem credebant sibi et Ecclesiæ licitam, cœperunt commanere in suburbanis

et secretioribus locis, et privatim peculiariter exercere ea quæ meminerant ab Apostolis generaliter instituta per universum corpus Ecclesiæ. Sicque coaluit et excrevit disciplina et observantia ista discipulorum qui sequestrabant se a contagione præfata : quoniam tempore procedente, segregati paulatim a credentium turbis nomen sortiti sunt monachorum, a districtione singularis ac solitariæ vitæ, pro eo quod a conjugiis abstinebant, seque abstrahebant a parentum consortio et conversatione mundi istius. Unde consequens fuit ut ex communione consortii vocarentur cœnobitæ, eorumque cellæ ac diversoria vocarentur cœnobia. Et istud genus monachorum antiquissimum fuit, et solum quod exstitit primum non modo tempore, sed etiam gratia, quodque per multos annos duravit solum usque ad ætatem abbatis Pauli sive Antonii. Cujus etiam antiquissimi generis vestigia cernimus usque nunc residere in districtis cœnobiis.

CAPITULUM VI.

De ordine atque principio anachoretarum.

De hoc numero perfectorum, et (ut ita dixerim) de radice fecundissima hac Sanctorum, prodierunt post hæc flores et fructus anachoretarum. Cujus professionis principes novimus exstitisse S. Paulum sive Antonium : qui sectati sunt secreta solitudinis, desiderio sublimioris profectus ac contemplationis divinæ, non ex pusillanimitate aut impatientiæ morbo, ut quidam; quamvis Paulus ille dicatur eremum penetrasse quadam necessitate, devitans insidias suorum affinium tempore persecutionis. Sic ergo ex perfectione et disciplina cœnobitarum processit aliud genus perfectionis, cujus professores aut sectatores rite vocati sunt anachoretæ, id est secessores : eo quod nequaquam contenti victoria hac qua calcaverunt inter homines occultas insidias inimici, penetrare non metuunt vastissima eremi loca, cupientes cum dæmonibus congredi aperto certamine et manifesto conflictu, ad imitationem Joannis Baptistæ qui tota ætate sua permansit in eremo, et Eliæ, et Elisei; itemque illorum de quibus Apostolus : Circumierunt, inquit, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ. De quibus Dominus singulariter ait ad Job : Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? Posui habitaculum ejus desertum et tabernaculum ejus salsuginem. Irridens multitudinem civitatis, et querelam exactoris non audiens, consideravit montes pascuæ suæ, et post omne viride quærit. Hinc fertur in Psalmo : Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici ; et post pauca, Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt, esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit ; et clamaverunt ad Dominum quum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Quos etiam Jeremias ita describit : Beatus qui tulit jugum Domini ab adolescentia sua; sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se. Qui cum Psalmista concinunt opere et affectu : Similis factus sum pelicano solitudinis, vigilavi et factus sum sicut passer solitarius, etc.

Matth. III, 1. — *Hebr. XI, 37, 38.* — *Job XXXIX, 5-8, juxta LXX.* — *Ps. CVI, 2.* — *Ibid. 4-6.* — *Thren. III, 27, 28.* — *Ps. CI, 7, 8.*

CAPITULUM VII.

De principio Sarabaitarum.

Quumque religio christiana gauderet his duabus professionibus monachorum, cœpit et ordo iste in deterius cadere, emersitque illud teterrimum et infidele genus monachorum, vel potius noxia illa plantatio rediviva concrevit, quæ in exordio Ecclesiæ pullulans per Ananiam et Saphiram, succisa est rigore beatissimi Petri apostoli : quæ inter monachos judicata est detestabilis et exsecranda, nec

Act. V, 2-10.

ab aliquo usurpata ulterius, quamdiu illa A districta S. Petri sententia mansit in memoriis hominum fixa, qua gloriosus Apostolus passus non est principes novi facinoris curari pœnitentia satisfactioneve aliqua, sed perniciosissimum crimen celeri morte succidit. Porro punitione illa terribili paulatim subtracta per incuriam et longam temporis moram a quorumdam memoria, erupit et cœpit teterrimum genus Sarabaitarum, qui proprietate Ægyptiæ linguæ vocati sunt Sarabaitæ, quia sequestrarunt se ipsos a congregationibus B cœnobiorum, et sigillatim curam sui egerunt : procedentes ex numero illorum qui maluerunt evangelicam perfectionem ficte ostendere quam vere arripere, provocati æmulatione laudibusque illorum qui paupertatem Christi perfectam præferunt universis mundi divitiis. Hi ergo dum cupiunt rem virtutis animo imbecilli, vel necessitate compulsi, ad professionem istam venerunt : qui dum festinant monachi reputari ac dici absque operum imitatione, non aggrediuntur disciplinam cœno- C biorum, nec seniorum subduntur arbitrio, nec eorum traditionibus instituti, discunt frangere proprias voluntates, neque legitima eruditione suscipiunt regulam ullam sanæ discretionis ; sed solum renuntiantes ad facies hominum, resident in domiciliis suis, sub privilegio monasticæ appellationis obstricti occupationibus pristinis, aut construentes sibi cellulas quas monasteria vocant, demorantur in eis proprio jure ac
Matth. vi, 31. libertate, nequaquam obedientes evangelicis jussionibus, ut scilicet non occupen- D tur ulla sollicitudine victus quotidiani aut curis rei familiaris. Quod illi dumtaxat fideliter implent absque omni dubitatione incredula, qui a cunctis mundi facultatibus absoluti, ita se subdunt cœnobiorum præpositis, ut non fateantur se dominos sui ipsorum. Illi autem qui vitant districtionem cœnobii, commorantur in cellula bini aut trini, non volentes gubernari cura imperioque abbatis, sed hoc præcipue procurantes, ut absoluti a jugo seniorum, habeant libertatem exercendi proprias voluntates, ac procedendi ac evagandi ad libitum ; magis quoque laborant die ac nocte quam cœnobitæ, sed non ea fide qua illi, neque eodem proposito. Isti enim sequestrati ita laborant, non ut fructum ac pretium operum suorum subjiciant dispensatoris arbitrio, sed ut acquirant pecunias quas recondant.

Inter quos quantum intersit advertite. Cœnobitæ namque nihil de crastino cogitantes, offerunt Deo gratissimos fructus sui sudoris ; isti vero infidelem sollicitudinem extendentes, non solum in crastinum, imo etiam in plurimos annos, credunt Deum aut inopem aut mendacem, quasi non possit aut non velit eis præbere promissam sufficientiam quotidiani victus atque vestitus. Cœnobitæ hoc quærunt affectu, ut paupertatem et nuditatem omnium rerum possideant ; isti ut consequantur affluentiam omnium copiarum. Illi certatim laborant præfixam mensuram in diurnis operibus exhibere, ut quidquid superfuerit sanctis usibus monasterii dispensetur juxta abbatis arbitrium, aut incarceratis, aut hospitalibus, aut ceteris indigentibus ; isti ut quidquid superfuerit gulæ quotidianæ, deserviat voluptati majori, aut vitio avaritiæ reponatur. Postremo, ut concedamus quod isti possint melius quam diximus distribuere ea quæ congregant non optimo studio, non tamen adspirant neque pertingunt sic ad meritum virtutis cœnobitarum : quoniam illi conferendo cœnobiis reditus tantos, et renuntiando eisdem quotidie, in tanta subjectione humilitateque vivunt, quod sicut privantur potestate sui ipsius, ita et eorum quæ suo labore acquirunt, innovantes jugiter primæ abrenuntiationis fervorem, dum quotidie nudant se ipsos fructibus sui laboris ; isti autem per hoc quod aliquid largiuntur pauperibus elati, labuntur in præceps quotidie. Denique patientia atque districtio, qua illi tam devote perdurant in professione sua quam semel arripuerunt, ut nunquam proprias faciant voluntates, facit eos

huic mundo quotidie crucifixos vivosque martyres; hos tepor sui arbitrii vivos demergit in tartarum.

Hæc ergo duo genera monachorum quasi ejusdem sunt numeri in ista provincia. Ceterum per alias provincias quas pro causa catholicæ fidei compulsus sum pertransire, cognovimus abundare et quasi solum esse istud tertium genus Sarabaitarum. Temporibus quippe Lucii, qui fuit episcopus Arianæ perfidiæ sub Valentis imperio, dum portaremus diaconiam seu eleemosynam Fratribus nostris qui de Ægypto et Thebaide fuerant relegati ad opera metalli in Ponto atque Armenia, propter catholicæ fidei constantiam, vidimus rarissimam cœnobiorum observantiam in aliquibus urbibus, nullum autem anachoretam vidimus ibi, imo nec nomen anachoretarum fuit apud illos auditum.

CAPITULUM VIII.

De quarto genere monachorum.

Est insuper quartum genus monachorum, quod nuper vidimus ortum, puta eorum qui sibi blandiuntur de anachoretarum specie atque imagine : qui in exordio suæ conversionis aggrediuntur disciplinam cœnobii brevi quodam fervore, sed continuo tepefacti, dum resecare contemnunt pristinos mores ac vitia, neque dignantur diu sustinere humilitatis ac patientiæ jugum, et seniorum imperio subdi, pergunt ad cellulas separatas et solitarie sedere desiderant, quatenus a nemine molestati, valeant ab hominibus æstimari mansueti, patientes ac humiles. Quæ institutio, imo ignavia sive tepiditas, nunquam permittit ad perfectionem venire eos quos semel infecerit. Nempe hoc modo vitia eorum non solum non abscinduntur, imo in deterius convalescunt, dum a nemine provocati, letale virus intra se gerunt, quod quanto plus occultatur, tanto profundius serpit, insanabilemque languorem generat ægrotanti. Nam propter reve-
A rentiam solitariæ mansionis nullus jam audet arguere vitia solitarii talis, quæ et ipse maluit ignorari quam curari.

CAPITULUM IX.

Quæstio de differentia inter cœnobium et monasterium.

Germanus : Estne aliqua differentia inter cœnobium et monasterium, an eadem res utroque nomine designatur?

B

CAPITULUM X.

Responsio ad hanc quæstionem.

Piammon : Licet unum istorum frequenter accipiatur pro alio, tamen hoc interest, quod monasterium est nomen diversorii, amplius nihil significans quam locum seu habitaculum monachorum; cœnobium vero etiam designat qualitatem et disciplinam professionis ipsius. Monaste-
C rium quoque dici potest habitaculum monachi unius; cœnobium autem dici non potest, nisi ubi plures cohabitant monachali communione uniti.

CAPITULUM XI.

De falsa humilitate cujusdam; et de signis veræ humilitatis.

Quoniam itaque video vos arripuisse principia professionis hujus quæ est
D optimi generis monachorum, id est, de laudabili exercitatione et pugna cœnobiorum tendere ad præclara fastigia anachoreticæ disciplinæ, sectamini nunc vero cordis affectu humilitatem et patientiam, quas non dubito vos in cœnobio didicisse : non fingentes eas falsa significatione verborum, nec affectata atque superflua inclinatione in quibusdam officiis corporis. Quod humilitatis figmentum abbas Serapion quondam eleganter irrisit. Quum enim quidam venisset ad eum, ostendens verbis

ac habitu summam sui ipsius abjectionem, et senex eum hortaretur ut more solito orationem offerret, ille nequaquam annuens deprecanti, asserens se involutum tot vitiis quod indignus esset aerem respirare, refugiens quoque usum parvi sedilis, sedit in terra. Quumque multo minus annueret pedes suos lavari, facta refectione et consuetudine collationis exigente, cœpit eum abbas Serapion benigne leniterque monere ne otiosus et vagus, præsertim adhuc juvenis tam robustus, per universa discurreret instabili levitate; sed potius residens in cella sua secundum seniorum statuta, sustentaret se proprio opere magis quam aliena liberalitate. In quod ne apostolus Paulus incideret, maluit propriis manibus operari diebus ac noctibus, ut quotidianum victum præberet ex suo labore sibi ipsi ac his qui ei ministrantes, operari non valebant manibus, quum tamen sustentatio ista merito deberetur Paulo in prædicatione Evangelii laboranti. Ad hæc Frater ille repletus est tanta tristitia ac dolore, quod vultu dissimulare non potuit amaritudinem mente conceptam. Cui locutus est senex : Hactenus, o fili, dixisti te omni pondere vitiorum oneratum, non metuens incurrere notam suspicionis accusatione tam atrocium peccatorum; quid, quæso, nunc est quod video te tanta indignatione commotum ad simplicem admonitiunculam nostram nullum in se opprobrium continentem, imo habentem in se affectum dilectionis et ædificationis, quod indignationem tuam non potuisti celare serenitate vultus frontisque tuæ? An te humiliando exspectasti fortasse audire a nobis quod ait Scriptura, Justus in principio sermonis accusator est sui?

II Thess. III, 8.

Prov. XVIII, 17, juxta LXX.

Hinc illa est vera humilitas reputanda, quæ descendit non de affectata humiliatione corporis ac verborum, sed de intima cordis affectione : quæ tunc fulgebit evidentissimis signis patientiæ suæ, non quum quis se ipsum accusaverit atque dejecerit, sed dum æquanimiter tulerit cri-

A mina sibi ab aliis arroganter imposita, et irrogatas injurias toleraverit mansueta et imperturbata cordis tranquillitate.

CAPITULUM XII.

Interrogatio, qualiter tranquillitas mentis possit acquiri.

GERMANUS : Optamus cognoscere qualiter ista tranquillitas possit acquiri aut retineri, ut sicut claudimus os, et li-
B bertatem loquendi arcemus nobis injuncto silentio, ita etiam custodire possimus lenitatem tranquillitatemque cordis; nam cor interdum amittit statum mansuetudinis suæ intrinsecus, etiam dum lingua frenatur. Idcirco putamus non aliter posse quempiam servare mansuetudinem inconcussam, nisi remotione cellæ et solitario loco.

CAPITULUM XIII.

C *Responsio ad hæc.*

PIAMMON : Patientia vera atque tranquillitas nec acquiruntur nec retinentur sine profunda cordis humilitate : quæ tranquillitas si de fonte humilitatis processerit, non egebit subsidio cellæ neque refugio solitariæ mansionis. Non enim quærit extrinsecus patrocinium rei cujusquam illa tranquillitas, quæ fulcitur intrinsecus virtute humilitatis, suæ matris atque custodis. Ceterum si ab aliquo injuriati tur-
D bemur et irascamur, certum quod non sint in nobis fundamenta humilitatis firmiter stabilita : propter quod ædificium cordis nostri concutitur ruinosa commotione ad incursum et tactum exiguæ tempestatis. Denique patientia non esset laudabilis neque miranda, si tranquillitatem conservaret non impetita ullis jaculis æmulorum; sed in hoc fit præclara et gloriosa, quod immobilis perseverat irruentibus in eam tentationum procellis. In quo enim putatur vexari et frangi adversitate, in eo po-

tius roboratur; et in quo æstimatur obtundi, in illo magis acuitur. Patientia namque a patiendo nomen accepit. Ideo constat neminem posse patientem vocari, nisi eum qui absque indignatione pertulerit universa sibi illata. Idcirco patientia non imme-
Prov. xvi, 32, juxta LXX. rito ita laudatur a Salomone : Melior est patiens viro forti, et qui continet iram
Ibid. xiv, 29, juxta LXX. capiente urbem; et iterum, Longanimis vir nimius seu valde magnus est in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est.

Quum ergo quis victus injuria, inflammatur iracundiæ igne, acerbitas illatæ injuriæ non est credenda fuisse causa iræ exortæ, sed potius manifestatio infirmi-
Matth. vii, 24-27. tatis occultæ, juxta parabolam Salvatoris quam introducit de duabus domibus, quarum una fuit fundata supra petram, alia supra arenam, quibus asseruit turbines pluviarum ac fluminum et tempestatum æqualiter irruisse : sed eam quæ erat supra petram fundata, non sensisse aliquid detrimenti ex tam violenta impulsione, illamque statim ruisse quæ erat fundata in pendula mobilitate arenæ; quam corruisse apparet, non quia pulsata est inundatione torrentium, sed quia imprudenter fuit constructa super arenam. Justus quippe non differt a peccatore per hoc quod non tentatur sicut et ille, sed quia ex magna etiam tentatione non vincitur; peccator vero tentatione etiam modica superatur. Neque enim, ut diximus, laudabilis esset fortitudo viri justi, si vinceret intentatus, quum absque adversitate certaminum victoria locum non queat habere :
Jacob. i, 12. Beatus enim vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, etc.; teste quoque Paulo apostolo, Virtus non in otio aut deliciis,
II Cor. xii, 9. sed in infirmitate perficitur. Unde Domi-
Jer. i, 18, 19. nus ait ad Jeremiam : Ecce dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus et sacerdotibus ejus, et omni populo terræ; et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum ut eruam te, ait Dominus omnipotens.

CAPITULUM XIV.

Exemplum primum de patientia.

VOLO vobis proponere saltem duo exempla patientiæ hujus. Unum cujusdam religiosæ matronæ, quæ sectata est virtutem patientiæ tanta aviditate, ut non solum non vitaret incursus tentationum, sed etiam procuraret sibi occasiones molestiarum, quibus frequentissime impugnata non cederet. Hæc itaque quum in Alexandria habitaret et nobilis esset, ac Deo religiose serviret in domo sibi a suis parentibus derelicta, accessit beatæ memoriæ Athanasium episcopum, deprecans eum ut daret sibi aliquam viduam sustentandam, quæ ecclesiasticis sumptibus sustentabatur. Et ut exprimamus petitionem illius matronæ propriis verbis ejus : Da, inquit, mihi aliquam de sororibus quam repausem. Porro episcopus quum laudasset propositum feminæ, eo quod vidisset eam ad opus pietatis promptissimam, jussit ex omnibus eligi viduam ceteris præeminentem morum honestate, gravitate ac disciplina, ne forte illa matrona desisteret a suo pio proposito ex perversitate sororis cui erat servitura; ne etiam ex perversis moribus ejus incurreret damnum gratiæ, in cujus obsequio intendebat suæ animæ lucrum. Quumque ita deserviret viduæ illi honestæ in propria domo cum diligentia magna, et modestiam mansuetudinemque illius experiretur quotidie, omni etiam hora honoraretur ac benediceretur ab illa pro servitute et sustentatione exhibita, post paucos dies ad episcopum rediens, dixit : Rogavi ut præciperes mihi dari unam quam ego reficerem, et cui morigeris obsequiis ministrarem. Quumque antistes nondum intelligens propositum desideriumque matronæ, putasset petitionem ejus neglectam ex dissimulatione propositi, causam quoque dilationis illius in-

quirens non absque commotione animi A sui, quum agnovisset honestiorem viduam fuisse datam illi matronæ, præcepit occulte ut traderetur ei una alias omnes excedens in nequitia, ira, rixis, violentia, verbositate et vanitate, quæ dominari feminis solent.

Quumque illam malevolam multo facilius inventam accepisset in domo, servivit ei tam diligenter, aut etiam studiosius quam priori, atque pro tantis obsequiis nil aliud recipiebat ab ea nisi assiduas injurias, exprobrationes, convitia. Nam B pessima illa matronæ se tam piissime refoventi objecit cum increpatione et maledictione frequenti [1]: Poposcisti me, inquiens, ab episcopo non ad meum refrigerium, sed magis ad cruciatum, et transtulisti me de requie ad laborem potius quam econtra. Quumque assiduitas jurgiorum eo usque prorumperet ut procax et ingrata mulier illa etiam manus violentas servienti injiceret, ut bona illa matrona geminaret humilioris servitutis officia, nec illa a pravitatibus suis cessa- C ret, laboravit ac studuit illa bona superare furentem, non resistendo, sed se amplius humiliando, ut mansuetudine humanitatis insaniam deliniret objurgantis. Quibus exercitiis plenarie confirmata, patientiamque perfectam adepta, perrexit ad præsulem memoratum relatura gratias eidem tam pro judicio electionis illius, quam pro beneficio exercitationis suæ : eo quod juxta desiderium suum providisset ei tandem magistram patientiæ efficacissimam, cujus injuriis roborata quotidie tanquam D oleo quodam palæstræ, perveniret ad patientiam summam. Unde dixit antistiti : Tandem dedisti mihi quam repausarem, nam prior illa repausavit et refrigeravit me potius suis obsequiis.

Hæc de sexu muliebri dixisse sufficiat, quatenus non solum ædificemur ista narratione, sed etiam confundamur de impatientia nostra, qui patientiam servare non possumus, nisi instar ferarum retundamur in caveas cellularum.

CAPITULUM XV.

De exemplo patientiæ abbatis Paphnutii.

NUNC aliud referamus exemplum, abbatis Paphnutii, qui tanto affectu studioque semper resedit in secretis illius insignis et ubique prædicabilis solitudinis Scythi, in qua nunc presbyter est, ut ceteri anachoretæ imposuerint ei Bubali cognomentum, eo quod solitudine semper gauderet desiderio quodam ingenito, ut sic loquar.

Qui quum in pueritia sua tantæ esset virtutis et gratiæ, ut etiam præclari ac summi viri mirarentur gravitatem atque immobilem constantiam ejus, exæquarentque eum senioribus, meritis suarum virtutum, quamvis minor esset ætate, et eum suo ordini connumerandum censerent, livor qui fraterna corda instigavit *Gen. xxxvii, 4.* contra Joseph patriarcham, succendit Fratrem quemdam igne zeli voracis. Qui cupiens nævo quodam ac macula deformare pulchritudinem S. Paphnutii, excogitavit hoc malignitatis venenum. Nam sumpta temporis opportunitate, quando Paphnutius ad ecclesiam ivit die dominica, irruit furtim in cellam ipsius, et librum suum abscondit latenter inter plectas quas solebat Paphnutius de foliis palmarum contexere.

Quo facto, Frater ille securus de dolo festinavit ad ecclesiam, quasi conscientiam habens puram ac simplicem. Completo itaque divino Officio, conquestus est S. Isidoro coram Fratribus universis librum suum sibi esse de cella subtractum. Quæ querimonia quum turbasset animos omnium, præsertim Isidori, qui fuit presbyter illius deserti ante Paphnutium, nec haberent quid primo suspicarentur aut judicarent, utpote summa admiratione percussi de novitate peccati tam inauditi, tunc Frater ille nequissimus requirebat, ut omnibus in ecclesia remanentibus, aliqui mitterentur ad scrutan-

dum sigillatim cellulas Fratrum. Quod quum Isidorus senioribus injunxisset, illi cellulas omnium revolventes, invenerunt librum in cella Paphnutii inter plectas, ubi insidiator eum absconderat. Itaque redeuntes codicem coram omnibus ostenderunt. Paphnutius autem quamvis de puritate conscientiæ suæ esset securus, exposuit tamen se totum ad satisfaciendum, quasi furti exsisteret reus, et locum pœnitentiæ suppliciter postulavit : in hoc ipso providens verecundiæ ac modestiæ suæ, ne si conaretur se excusare de furto, argueretur mendacii, nemine aliud suspicante quam quod erat inventum.

Quumque de ecclesia protinus abscessisset, non tam mente dejectus quam in Deo confidens, ipsum cum lacrimis invocavit, et triplicans sibi jejunium, prostravit se summa humilitate etiam coram hominibus. Sed quum ita se subdidisset cum ingenti contritione carnis ac spiritus, ut die sabbati aut dominica veniret ad ecclesiam mane, non ad suscipiendam sacram communionem, sed ad veniam humiliter postulandam, atque ad prosternendum se in limine ecclesiæ, Deus omnium occultorum cognitor nequaquam passus est eum a se ipso diutius ita affligi neque ab aliis diffamari. Nempe quod sceleris illius inventor, fur improbus rei propriæ, alienæque laudis callidus infamator, commiserat nullo hominum cognoscente, publicavit loquente per ipsum diabolo, qui criminis illius fuerat instigator. Arreptus namque a dæmone durissimo, patefecit cunctas insidias factionis occultæ, sicque idem fuit proditor et suggestor criminationum illarum.

Denique tamdiu ac graviter vexatus est Frater ille iniquus a spiritu malo, quod emundari non potuerit orationibus Sanctorum ibi præsentium, qui meritis divinorum charismatum imperabant dæmoniis : imo nec singularis virtus ac gratia Isidori presbyteri extruserit a Fratre illo crudelissimum vexatorem diabolum, quum tamen tanta fuisset virtus a Deo collata A Isidoro, ut nunquam quisquam obsessus perductus sit ad limina ejus quin velocius sanaretur; reservante Christo hanc gloriam adolescenti Paphnutio, ut insidiator ejus non purgaretur nisi oratione ipsius, et cujus laudi invidus inimicus crediderat se posse aliquid demere, ejus nomen proclamans, acciperet veniam sui delicti et finem præsentis supplicii. Itaque Paphnutius in adolescentia sua præmonstrans tanta indicia probitatis futuræ, designavit in puerilibus annis lineas quasdam perfecti- B onis illius quæ erat in eo augenda ætate matura. Talia ergo fundamenta virtutum ab exordio collocemus in nobis, si cupimus pervenire ad culmen perfectionis virtutum ipsius.

CAPITULUM XVI.

De perfectione patientiæ.

DUPLEX causa me instigavit ad narrationem facti istius. Primo, ut consi- C derantes immobilitatem atque constantiam istam Paphnutii, sumamus affectum tranquillitatis et patientiæ tanto majorem, quanto minoribus insidiis impugnamur quam ille; deinde ut firmiter teneamus nos non posse tutos esse a tentationum procellis impugnationibusque diaboli, si constituamus omne subsidium patientiæ nostræ et omnem fiduciam ejus, non in viribus hominis nostri interioris, sed in cellæ reclusione aut solitudinis remotione, vel in Sanctorum consortio, seu in præsi- D dio alicujus rei extra nos exsistentis. Etenim nisi ille firmaverit mentem nostram virtute suæ protectionis, qui in Evangelio ait, Regnum Dei intra vos est; frustra (Luc. XVII, 21.) credimus nos posse excludere insidias hostis aerii munitione tectorum, aut vincere eas posse auxilio cohabitantium hominum, aut declinare localibus spatiis. Quum namque hæc omnia non deessent S. Paphnutio, non ideo non potuit tentator contra eum invenire tentationis accessum; nec spiritum illum nequissimum repulerunt

septa parietum, aut tot merita Sanctorum in solitudine illa degentium, aut eremi solitudo. Verum quoniam sanctus minister Dei Paphnutius fixerat spem cordis sui non in iis quæ extrinsecus sunt, sed in Deo occultorum omnium judice, commoveri non potuit machinis tantæ impugnationis. Frater quoque quem invidia præcipitavit ad facinus tantum, nonne habebat adjutorium solitudinis, munimen habitaculi remotioris, consortiumque B. Isidori et aliorum Sanctorum? Et tamen quia diabolica impugnatio reperit eum super arenam fundatum, non solum impegit, sed et subvertit habitaculum ejus.

Non ergo quæramus quietem nostram extrinsecus, nec credamus patientiam aliorum posse opitulari vitiis impatientiæ nostræ : sicut enim regnum Dei intra nos est, ita inimici hominis domestici ejus. Nemo enim plus mihi adversatur quam sensus meus, qui est mihi veraciter intimus atque domesticus. Ideo si solliciti fuerimus, nequaquam lædi poterimus ab hostibus intestinis. Ubi enim domestici nostri nobis non adversantur, ibi regnum Dei cum mentis tranquillitate acquiritur. Nam si rationem diligenter advertis, lædi non potero ab homine quamvis malignante, si ego contra me ipsum non dimico corde impacato atque inordinato. Porro si lædor et vincor, non est vitium impugnationis alienæ, sed impatientiæ propriæ : quemadmodum gravis ac solidus cibus est utilis sano, ita nocivus est ægro; non autem lædere potest sumentem, nisi infirmitas ejus addiderit cibo vires nocendi. Si igitur similis aliqua tentatio orta fuerit inter Fratres, non tamen per amissionem propriæ tranquillitatis reseremus aditum blasphemis obtrectationibus sæcularium hominum.

Luc. XVII, 21. *Matth.* X, 36.

Nec miremur perversos et exsecrabiles quosdam latitare et vivere inter Sanctos, quia dum conculcamur et conterimur in area sæculi hujus, necesse est paleas igni perpetuo deputandas inter electissima misceri frumenta. Denique si recordemur Satanam inter angelos adfuisse, et Judam inter Apostolos, ac Nicolaum pravissimæ hæresis inventorem inter primos diaconos, mirum esse non poterit quod nequissimi homines inveniuntur admixti viris electis et sanctis. Nam quamvis aliqui dicant præfatum Nicolaum non fuisse qui ad opus ministerii a discipulis est electus, negare tamen nequeunt eum de numero discipulorum fuisse : quos omnes certum est fuisse tam perfectos in tempore illo, ut nunc perpauci eis similes in cœnobiis inveniantur.

Proponamus igitur nobis exempla B. Paphnutii, non ruinam Fratris prædicti qui lapsus est in eremo illa tam lugubri lapsu, nec illam ejus tam horribilem maculam, quam tamen delevit postea lacrimis pœnitentiæ copiosis : nec destruamur scandalizati ruina illius, cujus antiquam invidiam auxit in pejus affectata religio; sed tota virtute sectemur humilitatem Paphnutii, quam quies eremi non dedit ei repente, sed humilitatem ejus inter homines acquisitam solitudo consummavit atque excoluit.

CAPITULUM XVII.

Plena disputatio de malo invidiæ.

SCIENDUM quoque quod invidia difficilius curetur quam alia vitia. Quem enim semel corruperit peste sui veneni, quasi (ut sic loquar) caret remedio. Ipsa namque est pestis de qua dicitur per Prophetam : Ecce ego mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos. Recte ergo morsus invidiæ comparatur a Propheta venenis mortiferis basilisci, qua primus ille auctor ac princeps omnium venenorum periit et peremit. Nam sui ipsius interemptor effectus priusquam ejus cui invidit, ante se perdidit quam virus mortis effudit in hominem : Invidia enim diaboli mors intro-

Jer. VIII, 17. *Sap.* II, 24, 25.

ivit in orbem terrarum, imitanturque eum qui sunt ex parte illius. Etenim sicut ille qui primus corruptus est vitio pestis istius, non admisit pœnitentiæ medicinam nec ullum curationis fomentum, ita et hi qui tradiderunt se percutiendos invidiæ morsibus, excludunt omnem opem sancti incantatoris : quia quum crucientur non vitiis, sed prosperitatibus eorum quibus livent seu invident, erubescentes prodere veritatem, inquirunt sibi extrinsecus quasdam causas offensionum; quarum curatio vana est, quia omnino sunt falsæ, quum mortiferum virus quod prodere nolunt, lateat in medullis. De quibus Salomon competenter locutus est : Si mordet serpens in silentio, non est abundantia incantatori. Isti enim taciti sunt morsus, quibus solis non subvenit sapientium medicina.

Eccle x. 11, juxta LXX.

In tantum quippe incurabilis est malitia ista, ut blandimentis exasperetur, obsequiis sibi exhibitis extollatur, muneribus irritetur, quia ut Salomon ait : Nihil sustinet zelus. Imo quanto alter magis occurrere aut prodesse voluerit humilitatis subjectione, patientia, liberalitate, tanto qui invidet incitatur gravioribus invidiæ stimulis, quia non concupiscit nisi ruinam et mortem ejus cui sic invidet. Denique undecim patriarcharum invidia in tantum deliniri non potuit ulla subjectione fratris innoxii, ut Scriptura testetur, Invidebant autem ei fratres sui, eo quod pater suus diligeret eum, et non poterant ei loqui quidquam pacificum; donec rancor eorum non admittens aliqua blandimenta fratris obsequentis ac subditi, sed cupiens mortem ejus, satiari vix potuit venditione illius.

Prov. xxvii, 4, juxta LXX.

Gen. xxxvii, 4.

Constat ergo invidiam esse perniciosiorem et ad curandum difficiliorem vitiis universis : quæ magis accenditur ipsis remediis quibus alia vitia exstinguuntur. Nam verbi gratia, qui dolet propter damnum sibi illatum, recompensatione largitatis curatur; qui ex illata injuria indignatur, humili satisfactione placatur. Quid

A facies illi qui hoc ipso magis offenditur, quo te humiliorem benignioremque experitur; quem accendit ad iram non cupiditas, quæ munere delinitur; quem incitat non injuriæ læsio amorve ultionis, quæ vincitur blandimentis officiorum, sed solus successus alienæ prosperitatis irritat? Quis est autem qui se optet a bonis corruere, aut prosperitate privari, aut aliqua calamitate involvi, ut satisfaciat invidenti?

Hinc ne infernalis basiliscus uno morsu vitii hujus interimat quidquid in nobis spiritualiter vivit et quasi vitali vegetatione Sancti Spiritus animatur, imploremus jugiter divinum auxilium, cui nihil impossibile exstat. Cetera quippe serpentium venena, id est peccata carnalia, quibus sicut humana fragilitas cito involvitur ita et facile expurgatur, habent in carne aliqua vulnerum suorum vestigia vel effectus aut signa : quibus vitiis quamvis caro perniciosissime subjiciatur, tamen si aliquis peritissimus divinorum carminum incantator adhibuerit dignum remedium, aut illam verborum salutarium medicinam, virulenta iniquitas non perveniet ad perpetuam animæ mortem. Virus autem invidiæ effusum quasi a regulo serpente, excludit vitam ipsam religionis ac fidei priusquam vulnus sentiatur in corpore. Non enim adversus hominem, sed contra Deum extollitur invidiosus tanquam blasphemus, qui nihil aliud in fratre discerpens ac persequens nisi bonum meritum ejus, reprehendit non hominis culpam, sed beneficia Dei.

B

C

D

Hæc ergo est illa amaritudinis radix sursum germinans, quæ se erigens ad superna, extendit se ad contumeliam Creatoris, qui homini bonum omne largitur. Nec aliquem moveat quod Deus comminatur se missurum serpentes pessimos, qui mordeant eos quorum criminibus ipse offenditur. Nam quamvis sit certum Deum non posse esse auctorem invidiæ, attamen justum est et divino judicio dignum, ut dum bona data conferuntur humilibus, et sub-

Hebr. xii, 15.

Jer. viii, 17.

trahuntur reprobis ac superbis, invidia quasi a Deo missa seu permissa percutiat eos qui secundum Apostolum tradi merentur in reprobum sensum, consumatque eos, juxta quod scriptum est : Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et ego ad æmulationem inducam eos in non gente.

Rom. I, 28. *Deut.* XXXII, 21, juxta LXX.

A Hac collatione B. Piammon ardentius inflammavit desiderium nostrum, quo tendere cœperamus de rudimentis cœnobii ad secundum anachoresis gradum. Ipso enim docente, prima suscepimus primordia solitariæ mansionis, cujus scientiam adepti plenius sumus postea in solitudine Scythi.

COLLATIO XIX

(Abbatis Joannis)

DE FINE CŒNOBITÆ ET EREMITÆ.

CAPITULUM PRIMUM.

De cœnobio Pauli abbatis, et de patientia cujusdam Fratris.

POST dies valde paucos, rursus perreximus cum summa alacritate ad cœnobium Pauli abbatis, trahente nos desiderio doctrinæ majoris : in quo monasterio morabantur plus quam ducenti Fratres; sed eo tempore advenerat illuc infinita monachorum turba de aliis claustris, in honorem solennitatis quæ ibi tunc agebatur. Fuit enim tunc anniversaria dies depositionis præcedentis abbatis ejusdem cœnobii. Cujus conventus idcirco facimus mentionem, ut breviter describamus patientiam cujusdam Fratris, quam Frater ille immobili mititate exhibuit in totius congregationis præsentia. Nam licet intentio operis hujus tendat ad alia, ut scilicet recitemus eloquia et doctrinam abbatis Joannis, qui relicta eremo, tradidit se ipsum cum summa humilitate illi cœnobio ; non tamen putamus absurdum, si absque omni verborum circuitu magna virtutum ædificatio conferatur studiosis, ut credimus. Quum itaque ingens illa multitudo monachorum consedisset in atrio subdivali distinctis ordinibus per duodenarium numerum, et quidam Frater paulo tardius apportasset acceptum cibum, abbas Paulus inter ministrantes sollicite currens, percussit in præsentia omnium, manu extenta, Fratrem illum ad maxillam cum palma, propter tarditatem prætactam, ita ut sonus resultaret in auribus ex opposito ac longe sedentium. Quod ideo fecit, ut patientia juvenis Fratris innotesceret cunctis qui aderant, ac erudirentur exemplo modestiæ Fratris percussi. Nam quam maturo consilio abbas Paulus id fecerit, res ipsa probavit : quoniam juvenis memorandæ patientiæ tanta mansuetudine id accepit, ut non solum nil loqueretur aut modicissime murmuraret, sed nec modestia oris ejus atque tranquillitas, imo nec color quantulumcumque mutati sint. Quæ res tam mira fuit, non solum nobis qui nuper de monasterio Syriæ venientes, nondum agnoveramus virtutem patientiæ per tam manifesta exercitia et exempla, sed etiam his qui experti fuerunt exercitia talia, ut per hoc factum daretur instructio viris perfectis : utpote quod etsi paterna correptio non commovit patientiam Fratris illius, tamen spectaculum seu intuitus tantæ multitudinis non potuerit faciem ejus perfundere ullo rubore.

CAPITULUM II.

De humilitate abbatis Joannis, et interrogatione nostra.

REPERIMUS itaque in isto cœnobio antiquissimum senem nomine Joannem, cujus doctrinam et humilitatem, qua Sanctis omnibus præeminebat, non putamus prætereundam silentio, scientes eum maxime viguisse humilitatis perfectione : quæ humilitas quum sit omnium mater virtutum ac solidissimum fundamentum totius spiritualis structuræ, aliena et exsul est valde a nostris institutis. Ideo mirum non est nos non posse ascendere ad perfecti-

onem Sanctorum, qui non possumus permanere sub disciplina cœnobii, non dicam usque ad senectutem (imo vix per biennium dignamur sustinere jugum subjectionis ipsius), sed protinus evolamus ad præsumptionem noxiæ libertatis, aggrediendo solitariam vitam : quum tamen hoc tempore brevi quo in cœnobio conversamur, imperio senioris utcumque subjiciamur non secundum regulæ districtionem, sed juxta arbitrii nostri libertatem, ut videamur non jam discere patientiæ fructum, sed exspectare tempus licentiæ adipiscendæ. Quum igitur vidissemus hunc senem, ætatem primum admirati et gratiam qua fuit ornatus, cœpimus deprecari vultu in terram demisso, ut nobis pandere dignaretur, cur relicta eremi libertate et professione illa sublimi, cujus fama divulgaverat eum præ ceteris viris professionis illius, subdiderit se jugo cœnobii. Qui dixit : Ego quoniam impar fui anachoreticæ disciplinæ, atque indignus sublimitate tantæ perfectionis, ad scholas redii juniorum, si tamen implere potero instituta eorum secundum vigorem et meritum professionis. Cujus responsionis humilitatem quum non admitteret deprecatio nostra, ipse tandem ita exorsus est.

CAPITULUM III.

Cur eremum dereliquerit.

NON solum non respuo nec refuto, sed tota veneratione suscipio et amplector anachoreticam disciplinam, quam me admiramini reliquisse. In qua gaudeo me conversatum annis viginti, post triginta annos quibus in congregatione cœnobii vixi, ut non notarer usquequaque de torpore ignaviæ inter illos qui vitam illam anachoreticam vel mediocriter exercebant. Sed quoniam degustata puritas ejus, per interpolationem et admixtionem sollicitudinis temporalium rerum interdum se ingerentem inquinabatur, commodius æstimavi ad cœnobii congregationem reverti, ut sequeretur promptior adimpletio arrepti propositi planioris, et minus mihi esset periculum de difficultate sublimioris professionis præsumptæ. Melius enim est inveniri devotum in promissionibus minoribus, quam in majoribus indevotum. Ideo si fortassis protulero aliquid quasi elatius, imo liberius, quæso ut judicetis hoc dictum non jactantiæ vitio, sed vestræ ædificationis intuitu, quia existimo de veritate nihil subtrahendum vobis tam studiose quærentibus. Arbitror enim aliquid instructionis vobis posse conferri, si humilitate paulisper deposita, patefecero simpliciter omnem propositi mei veritatem. Confido quippe quod nec apud vos incurram vanæ gloriæ notam de libertate verborum meorum, nec apud conscientiam meam incidam mendacii culpam de veritatis suppressione.

CAPITULUM IV.

De sancta vita hujus Joannis abbatis in anachoretica professione.

SI quis itaque delectatus secreta solitudine eremi, potuit tradere oblivioni humana consortia, et cum Jeremia dicere Deo, Diem hominis non desideravi, tu scis : ego quoque fateor id, Domino largiente, assecutum vel certe assequi nisum. (*Jer.* XVII, 16.) Nam pio munere Christi, recolo me frequenter raptum in tales excessus, ut obliviscerer me indutum carne mortali, mentem quoque meam subito reliquisse omnes sensus exteriores, atque a cunctis materialibus rebus penitus evolasse, ut nec oculi nec aures uterentur officio proprio ; sicque animus meus replebatur divinis meditationibus ac spiritualibus theoriis, ut sæpe ad vesperam nescirem me cibum sumpsisse, sequenteque die penitus dubitarem an præcedente die aliquid comedissem. Ob quam etiam causam cibaria septem dierum, id est septem paria paximaciorum, reponuntur die sabbati sequestratim in sporta, ut non lateat refe-

ctio prætermissa. Qua consuetudine error A quoque alterius oblivionis excluditur, dum panum consumptio indicat hebdomadam esse finitam, et solennitas diei dominicæ et congregationis solennitas imminentes latere solitarium nequeunt. Quod si præfatus mentis excessus impedierit advertentiam hujus indicii, mensura operis quotidiani, signans numerum certum dierum, aufert errorem. Denique ut omittam ac taceam ceteras eremi virtutes (non enim tractandum est nobis de multitudine et numerositate earum, sed de causa finali B solitudinis atque cœnobii), breviter explicabo causas propter quas deserui eremum, quas et scire optastis; breviterque perstringam propter quæ merita sublimiora duxerim postponendos omnes præmemoratos solitudinis fructus.

CAPITULUM V.

De commodis eremi.

INSATIABILI desiderio et toto cordis fervore sectatus sum tranquillissima illa eremi secreta, et anachoreticam conversationem angelicæ beatitudini comparandam, quamdiu paucitas habitantium in deserto blandita est et arrisit, nobis libertatem præstando diffusiore solitudinis vastitate; quando majoribus secretis remoti ab omnibus, frequentissime rapiebamur ad illos cœlestes excessus, nec tanta visitantium turba irruens, aggravavit sensus nostros distentionibus curarum ingentium, propter necessaria illis paranda ex congruentia humanitatis. Verum quum major multitudo Fratrum cœpisset habitationem eremi aggredi atque invisere, et sublata vastioris eremi libertate, fecisset non solum frigescere ignem illum contemplationis divinæ, sed etiam impediret mentem vinculis multimodis rerum carnalium, elegi utcumque implere propositum professionis ac disciplinæ cœnobii, potius quam torpere carnalium rerum provisione in illa tam alta professione : quatenus si mihi non conferuntur eremitica illa libertas et spirituales excessus, tamen abjecta sollicitudine de crastino, consoletur me adimpletio evangelici præcepti de cura illa vitanda; illud quoque quod mihi de theorica sublimitate subtrahitur, hac subjectione obedientiæ recompensetur. Miserum namque est quempiam profiteri disciplinam seu observantiam cujuslibet artis et studii, et minime pervenire ad perfectionem ipsius.

Matth. VI, 34.

CAPITULUM VI.

De utilitate cœnobii.

HINC breviter tangam quantis commodis fruar nunc in ista conversatione : et narratione peracta, perpendite an fructus seu profectus solitudinis valeant compensari commodis istis, ex quibus etiam potest agnosci an maluerim coarctari angustiis istis cœnobii ex fastidio anachoreticæ conversationis, an desiderio majo- C ris profectus. In hac nempe conversatione nulla exstat provisio quotidiani laboris seu operis, nulla occupatio venditionis aut emptionis, non inevitabilis cura annui panis, nec sollicitudo corporalium rerum de necessariis præparandis non solum pro se, sed pro advenientibus quoque : postremo nulla hic arrogantia laudis humanæ, quæ prædictis immundior est coram Deo, et magnos eremi labores frequenter evacuat. Verum ut prætercam pericula anachoreticæ vitæ, et spiritualium elationum, et exi- D tialis gloriæ vanæ, revertamur ad generale hoc pondus cunctorum, utpote ad communem sollicitudinem victus parandi, quæ in tantum excessit non solum mensuram districtionis antiquæ, quæ usum olei penitus ignorabat, sed nec contenta fuit laxatione hac temporis nostri, in qua explebantur officia totius annuæ refectionis præparato sextario olei modioque lenticulæ pro advenientium refectione, ita ut necessitas victus vix queat nunc expediri duplicato triplicatoque modio. In tantum

quoque excrevit apud quosdam noxia ista remissio, ut aceto muriæque permixtis non misceant illam unam olei guttam quam prædecessores nostri, qui majore virtute abstinentiæ sectati sunt eremi instituta, ad repellendam gloriam vanam infundere consueverunt, sed infringentes Ægyptiacum caseum pro salibus, superfundant plus olei quam oportet ; sicque accipiunt sub oblectatione unius cibi atque saporis, duos cibos propria suavitate distantes, qui reficere monachos possent sigillatim diversoque tempore. Præterea hæc temporalium rerum possessio in tantum excrevit, ut anachoretæ cœperint in cellulis suis habere etiam sagum (quod sine verecundia referre non possum) sub colore humanitatis susceptionisque advenientium : ut illa prætercam quibus gravatur anima admirationi et contemplationi semper intenta, videlicet Fratrum concursus, officia susceptionis et deductionis, mutuas visitationes, interminabiles curas diversarum fabulationum et occupationum ; quarum exspectatio ex assiduitate consuetudinariæ inquietudinis distrahit animum, etiam tunc quando impedimenta ista actualiter cessant. Sicque fit ut anachoretica illa libertas hujusmodi vinculis impedita, nequaquam pertingat ad ineffabilem cordis alacritatem : imo amittat ascensum ac fructum eremiticæ professionis. Qui fructus si mihi in congregatione constituto non detur, tamen non deerunt mihi quies animæ et cordis tranquillitas ab universis occupationibus libera : quæ nisi adsit commorantibus in solitudine, sustinebunt labores anachoresis, sed fraudabuntur fructu ipsius, qui non acquiritur nisi mente quieta. Postremo si quid de anachoretica puritate fuerit subtractum mihi in cœnobio collocato, contentus ero impletione evangelici illius præcepti, quod certum est non posse postponi omnibus illis fructibus eremi, ut scilicet nihil de crastino cogitem, et usque ad finem vitæ meæ abbati subjectus, videar illum aliqualiter imitari, qui ut ait Scriptura, Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem ; merearque humiliter dicere verbis illius : Quia non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

Matth. VI, 34. — *Philipp.* II, 8. — *Joann.* VI, 38.

CAPITULUM VII.

Interrogatio de fructu solitudinis atque cœnobii.

GERMANUS : Quum manifestum sit te ascendisse non solum principia instar multorum, sed et fastigia seu perfectionem utriusque professionis, optamus agnoscere quis sit finis eremitæ ac etiam cœnobitæ. Nam omnibus constat neminem posse de his plenius fideliusque tractare, quam illum qui longo usu et per experientiam consecutus est utramque perfectionem, propter quod insinuare potest instructione veridica finem ac merita earumdem.

CAPITULUM VIII.

Responsio ad interrogationem prædictam.

JOANNES : Absolute dicere potuissem, unum et eumdem hominem non posse esse perfectum in utraque professione, nisi exemplum valde paucorum me revocaret. Magnum quippe est perfectum esse in una quacumque earum, quanto magis arduum est, et quasi impossibile, esse in ambabus perfectum ? Quod si quandoque evenerit, non statim trahendum est ad formam seu imitationem communem ; sed universalis regula trahenda est ex iis quæ subjacent facultati multorum, imo et omnium. Porro si aliqua obtinentur rarissime, et non nisi a paucissimis, possibilitatemque excedunt communis virtutis, sequestranda a generalibus sunt præceptis, et recitanda pro miraculo magis quam pro exemplo. Idcirco juxta mediocritatem intellectus mei respondebo ad illud quod quæritis.

Finis cœnobitæ est mortificare et crucifigere omnes proprias voluntates, et juxta evangelicæ perfectionis salubre man-
Matth. VI, 34. datum, nihil cogitare de crastino. Quam perfectionem certissimum est neminem posse implere nisi cœnobitam. Quem Isaias
Is. LVIII, 13, 14. describens, ita beatificat et collaudat : Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et glorificaveris Deum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hereditate Jacob patris tui; os enim Domini locutum est. Porro perfectio seu finis eremitæ est mentem habere exutam a cunctis terrenis, eamque Christo unire, quantum imbecillitas sinit humana. Quem virum Jeremias describens,
Thren. III, 27, 28. Beatus, inquit, vir qui tulit jugum Domini ab adolescentia sua : sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se; Psalmi-
Ps. CI, 7, 8. sta quoque, Similis, ait, factus sum pelicano solitudinis; vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto. Itaque nisi tam cœnobita quam eremita pervenerint ad finem suum jam tactum, frustra professi sunt disciplinam anachoresis sive cœnobii, quum nullus eorum impleverit virtutem suæ professionis.

CAPITULUM IX.

De vera consummatione ac perfectione.

VERUMTAMEN ista non est integra et in omnibus consummata perfectio, sed pars ejus. Idcirco perfectio rara est, et non nisi paucissimis dono Dei concessa. Is enim vere et non partim perfectus est, qui æquali magnanimitate sustentat infirmitates Fratrum in claustro, et solitudinis squalorem in eremo. Hinc difficile est inveniri per omnia consummatum in utraque professione, quia nec anachoreta assequi potest contemptum ac privationem omnium facultatum, nec cœnobita consequi valet ad integrum theoricam puri-
A tatem; quamvis sciam abbatem Moysen atque Paphnutium et duos Macarios possedisse utramque perfectionem. Nam in utraque professione tam perfecti fuerunt, ut quum secederent ultra omnes eremi habitatores, et insatiabiliter pascerentur solitudinis sacro secreto, et quantum in ipsis erat, nequaquam requirerent humana solatia; ita tamen sustinuerunt frequentiam et infirmitates concurrentium ad se, ut quum ad eos conflueret innumera multitudo Fratrum gratia visitationis
B sive profectus, tolerantes immobili patientia tam indesinentem inquietudinem visitationum, crederentur toto tempore vitæ suæ nil aliud didicisse aut exercuisse, quam deservire omnibus advenientium commodis atque officiis : ita ut cunctis esset ambiguum in qua professione essent perfectiores, hoc est, utrum magnanimitas eorum mirabilius aptaretur in illa eremitica puritate, an in conversatione ista communi.

C

CAPITULUM X.

De his qui imperfecti eremum petunt.

SOLENT nonnulli ita efferari inhumanique fieri silentio solitudinis diuturno, ut prorsus abhorreant humana consortia; quumque interveniente Fratrum visitatione, discesserint paululum a secreto solitudinis suæ, æstuant notabili mentis angore et evidentissimis pusillanimitatis indiciis. Quod evenire maxime solet iis qui immaturo desiderio transtulerunt se ad solita-
D riam vitam, necdum perfecte in cœnobiis instituti, nec e prioribus vitiis plene excocti : qui in utraque parte imperfecti semper ac fragiles, inclinantur hinc inde, quocumque aura commotionis impulerit. Quemadmodum enim impatienter exæstuant consortio interpellationeque Fratrum, ita in solitudine consistentes, non ferunt vastitatem silentii quod requirunt, quum ignorent rationem cur solitudo debeat desiderari aut expeti; sed æstimant hanc esse summam seu perfectionem virtutis

suæ professionis, ut declinantes consortia Fratrum, detestentur tantummodo ac fugiant humanos adspectus.

CAPITULUM XI.

Interrogatio de remedio eorum qui cito discesserunt de congregatione cœnobii.

GERMANUS : Quo ergo remedio poterit subveniri nobis aut ceteris qui ejusdem fragilitatis atque mensuræ * sunt, qui tenuiter instituti cœnobialibus disciplinis, affectare cœpimus habitationem solitudinis ante expulsionem omnium vitiorum? Vel quo pacto poterimus obtinere imperturbatam mentis constantiam atque immobilem patientiæ firmitatem, qui intempestive reliquimus ipsas quodammodo scholas et exercitationes hujus palæstræ seu pugnæ, recedendo a congregatione in qua principia nostra debuerant plene erudiri ac perfici? Qualiter itaque nunc solitarie commorantes, consequemur patientiæ ac longanimitatis perfectionem, aut qualiter conscientia exploratrix et investigatrix motuum interiorum, deprehendet sibi inesse sive deesse istas virtutes, ne forte falsa æstimatione decepti, credamus nos possidere immobilem mentis tranquillitatem, quoniam segregati a consortio hominum, non provocamur irritationibus ullis eorum?

* miseriæ

CAPITULUM XII.

Responsio, qualiter solitarius possit vitia sua agnoscere.

JOANNES : Remedia curationis negari non possunt ab illo verissimo animarum medico, quærentibus medicinam spiritualem in veritate : præsertim iis qui infirmitates suas non dissimulant desperando aut negligendo, nec vulnerum suorum abscondunt pericula, nec medelam pœnitentiæ respuunt mente procace, sed cauto ac humili corde tandem confugiunt

A ad cœlestem medicum pro languoribus suis sanandis, ignorantia, errore aut necessitate contractis. Ideo nosse debemus, quod si nos recedamus ad solitudinem vel abdita loca, vitiis nostris ac passionibus nondum curatis, effectus eorum tantummodo reprimatur, non exstinguatur affectus; latitat enim et serpit intra nos interna radix omnium vitiorum quæ non fuerint exstirpata. Quam radicem deprehendimus in nobis adhuc vivere, per hæc signa. Verbi gratia : dum in solitudine

B constituti, suscipimus vel exspectamus adventum Fratrum vel brevissimam moram eorum cum quadam anxietate animæ æstuantis, sciamus adhuc esse in nobis vivacissimum impatientiæ fomitem. Quum vero speramus alicujus Fratris adventum, si eo forsan tardante paulisper pro aliqua necessaria causa, tacita indignatione reprehendamus tarditatem ipsius, mentemque nostram turbaverit sollicitudo exspectationis non modicæ, examinatio conscientiæ demonstrabit manifesta vitia iræ atque tri-

C stitiæ residere in nobis. Nam si Fratre postulante codicem nostrum ad legendum vel ad aliquem alium usum, contristaverit nos petitio ejus, aut repulerimus postulationem ipsius, dubium non est nos adhuc compediri avaritiæ laqueis. Quod si cogitatio subita aut lectio sacra induxerit nobis memoriam feminæ, et in ea senserimus nos pulsari quadam titillatione, sciamus ardorem fornicationis nondum exstinctum esse in membris nostris. Porro si vel remissiva elatio mentem nostram

D tentaverit ex comparatione nostræ districtionis et alienæ remissionis, certum est nos esse corruptos dira peste superbiæ. Quum ergo senserimus in cordibus nostris hæc vitiorum indicia, manifeste noscamus quod nobis non desit affectus, sed interdum effectus peccati seu passionis. Quæ utique passiones de cavernis nostrorum sensuum protinus procedentes, si commiscuerimus nos ipsos aliquando conversationi humanæ, probant se non tunc primitus nasci quando eruperint, sed se

tunc potius publicare quia diu latuerint. Sicque solitarius indiciis certis agnoscet radices cujuscumque vitii in se esse defixas, qui studuerit puritatem suam non hominibus ostentare, sed illius conspectu exhibere quem arcana cordis nequeunt latere.

CAPITULUM XIII.

Interrogatio, qualiter possit curari qui ingressus est solitudinem non curatus.

GERMANUS : Satis lucide et aperte intelleximus indicia quibus interiores infirmitates et passiones noscantur, et discernendarum ægritudinum rationem, quo scilicet pacto deprehendi valeant vitia in nobis latentia; omnia namque inveniuntur sic esse, ut dictum est, quotidiana experientia diuturnisque motibus cogitationum nostrarum. Superest ergo ut monstretur nobis curationum medela, quemadmodum patefactæ sunt nobis evidentissima ratione probationes morborum seu vitiorum et causæ. Nulli namque est dubium, illum posse rectissime disputare de remediis passionum, qui deprehenderit prius causas originesque earum, conscientia ægrotantium attestante. Itaque quamvis doctrina beatitudinis tuæ nudaverit vitiorum nostrorum occulta, ita ut etiam audeamus sperare de ipsorum remediis, quia tam evidens declaratio morbi spem promittit remedii; quoniam tamen, ut asseris, initium salutis in congregatione acquiritur, nec sani in solitudine esse valent, nisi quos cœnobii disciplina primo sanaverit, perniciosa desperatione rursus dejicimur, ne forte qui imperfecti congregationem reliquimus, nequaquam possimus esse aut fieri perfecti in eremo.

CAPITULUM XIV.

Responsio de medicina prædictorum.

JOANNES : Remedium salutare non deerit sollicitis de curatione vitiorum suorum; idcirco eodem modo quo deprehenduntur indicia cujuslibet passionis aut culpæ, etiam remedia oportet requirere. Quemadmodum enim diximus solitariis non deesse vitia conversationis humanæ, ita virtutum studia curationumque media non negamus posse suppetere omnibus etiam ab humana conversatione remotis. Quum ergo unusquisque deprehenderit se moveri perturbatione iræ aut impatientiæ per indicia memorata, exerceat semetipsum semper objectionibus eventibusque contrariis seu adversis, ut propositis sibi multimodis injuriis atque dispendiis tanquam ab alio sibi illatis, assuefaciat mentem suam perfecta humilitate superare ac frangere in omnibus quæ improbitas potest inferre; opponensque sibi frequenter aspera et intolerabilia quæque, meditetur assidue jugi cordis contritione quanta mititate ac patientia debeat eis occurrere. Et ita respiciens ad persecutiones et tribulationes omnium electorum, imo ad universa genera non solum convitiorum, sed etiam tormentorum Christi Domini nostri, præparabit se ad tolerantiam omnium adversorum, pronuntians ea esse minora suis demeritis.

Quumque fuerit interdum vocatus ad Fratrum collectionem (quod oportet aliquando evenire etiam apud districtissimos eremitas), si deprehenderit mentem suam tacite fuisse commotam pro quibusque levibus rebus, mox ut quidam severissimus occultorum motuum judex, exprobret sibi illa durissima injuriarum genera quibus se ipsum exercuit quotidianis meditationibus ad patientiam plenam, atque objurgans et increpans ita alloquatur se ipsum : Tune es ille bonus vir qui constantissime præsumebas te omnia mala per patientiam superaturum, dum te exerceres in illa palæstra solitudinis tuæ, qui te dudum credebas satis validum atque immobilem ad omnes procellas, quum tu ipse tibi proponeres non solum maximas convitiorum acerbitates, sed intoleranda quoque supplicia? Quomodo invicta illa patientia confossa est confusione verbi le-

vissimi? Quomodo levis aura commovit domum tuam tanta firmitate constructam supra solidissimam illam, ut tibi apparuit, petram? Ubi est quod bellum in pace de-
Ps. cxviii, 60. siderans, inani fiducia exclamabas, Paratus sum, et non sum turbatus; et cum
Ps. xxv, 2. Propheta sæpe dixisti, Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum;
Ps. cxxxviii, 23. 24. et, Proba me, Deus, et scito cor meum; interroga me et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est? Quomodo exigua hostis umbra contrivit tam grandem certaminis apparatum?

Damnans ergo atque dijudicans semetipsum tali animadversione compunctionis, non sinat commotiunculam manere inultam, sed carnem suam castigans arctiore afflictione jejuniorum ac vigiliarum, assiduisque continentiæ pœnis impatientiam suam excrucians, in solitudine constitutus consumat hoc igne exercitationis, quod plene excoquere debuit in congregatione cœnobii. Denique ad obtinendam jugem stabilemque patientiam, illud tenendum est immobiliter et constanter, quod scilicet non licet nobis ad iram moveri propter quodcumque detrimentum aut irritationem, quum non solum ultio,
Lev. xix, 18. sed item memoria injuriarum prohibeatur nobis lege divina. Quod enim gravius dispendium potest animæ evenire, quam ut propter subitam suæ commotionis cæcitatem privata summi et æternalis luminis claritate, discedat a contemplatione illius
Matth. xi, 29. qui est mitis et humilis corde? Quid perniciosius atque deterius, quam ut quis amittat judicium honestatis, disciplinam ac regulam rectæ discretionis, et sanus ac sobrius faciat quæ nec temulentus quis sensuque indigens veniabiliter admisisset? Quicumque ergo perpenderit hæc et cetera istis similia detrimenta, faciliter sustinebit non solum omnia damna, sed et omnem pœnam atque injuriam quæ a crudelissimis possunt tyrannis inferri, judicans nihil esse dispendiosius ira, nihilque pretiosius indesinente tranquillitate ac jugi puritate animi sui: propter quas obtinen-
A das et conservandas ac perficiendas despicienda sunt commoda non solum carnalium rerum, sed et illarum quæ spirituales esse videntur, si aliter acquiri aut perfici nequeunt nisi cum tranquillitatis ac puritatis turbatione.

CAPITULUM XV.

Quæstio, an fornicatio ita debeat explorari quemadmodum ceteræ passiones.

B GERMANUS: Sicut medela impatientiæ, iræ, tristitiæ, ceterorumque vulnerum animæ est ostensa per objectionem et exercitationem contrariarum rerum seu adversitatum, sic etiam volumus edoceri quam medelam oporteat nos contra fornicationis spiritum adhibere, hoc est, utrum ignis concupiscentiæ possit exstingui objiciendo sibi majora libidinum incentiva, sicut in aliis: quod credimus satis esse contrarium castitati, si incitamenta libidinis non solum exaggerentur in nobis, imo etiam
C si assensus perstringat aut capiat oculos mentis talia prætereuntis.

CAPITULUM XVI.

Responsio ad prædicta.

JOANNES: Sagax interrogatio vestra prævenit interrogationem quæ narrationem nostram fuerat secutura, etiam vobis tacentibus; idcirco non dubito quin solutionem ejus efficaciter concipiatis, quum
D et acumen vestri ingenii instructionem nostram præcesserit. Obscuritas quippe cujuslibet quæstionis elucidatur sine labore, quum anticipans inquisitio præcedit quo ducenda est solutionem ipsius. Itaque humana consortia non solum non obsunt, sed et plurimum conferunt prædictorum remediis vitiorum. Nam patefacta per frequentiam impatientiæ suæ, quanto magis assiduum compunctionis dolorem inferunt victis, tanto velociorem curationem laborantibus præstant. Propter quod in soli-

tudine consistentes, quum fomes atque materia irritationis non inferantur ab aliis, tamen eorum incitamenta debemus nobis industriose proponere, ut promptior medela conferatur nobis contra ea pugnantibus jugi cogitationum luctamine.

Sed de spiritu fornicationis diversa est ratio, causaque dispar. Quemadmodum enim corpori subtrahendi sunt usus libidinis ac carnis vicinitas, ita eorum memoria auferenda est cordi : imo satis perniciosum et periculosum est ægris fragilibusque pectoribus admittere tenuissimam recordationem passionis istius, ita ut noxia stimulatio excitetur in eis quandoque ex recordatione feminarum sanctarum, vel sub sanctæ lectionis historia. Cujus rei causa seniores nostri solent consultissime præterire hujusmodi lectiones sub præsentia juniorum. Porro probationes quibus examinare se valeant, deesse non possunt perfectissimis viris summo affectu castimoniæ consummatis, per quas perfectissima cordis integritas comprobetur judicio conscientiæ incorrupto. Erit ergo probatio consummatissimo viro similis probationibus jam præfatis, etiam super passione hac fornicationis : ut si is qui cognoverit se penitus exstirpasse radices morbi istius, velit sibi interdum admittere imaginationem exploratricem castitatis completæ. Ceterum nullatenus convenit examinationem hanc usurpari ab imperfectis et ægris, ut scilicet corde revolvant conjunctionem femineam palpationemque mollem ac teneram : esset etenim eis nociva potius quam salubris. Quod enim experimentum suppetere potest hominibus talibus, ubi id quod vitatur est in experimento, et in exploratione quoque discrimen est ? Quum ergo perfectissima virtute fundatus non deprehenderit in se aliquem mentis assensum, nec ullam carnis stimulationem excitari ex cogitationibus illecebrosis ac blandis, capiet documenta et signa puritatis suæ certissima ; ita ut taliter se exercens, non solum possideat castitatis incorruptionisque bonum, sed ut passionis motum prorsus ignoret, etiamsi ex aliqua necessaria causa corporaliter feminam tangat.

Hic abbas Joannes conclusit collationem hoc fine, quum sensisset jam imminere refectionem horæ nonæ.

COLLATIO XX

(Abbatis Pinuphii)

DE FINE PŒNITENTIÆ ET SATISFACTIONIS INDICIO.

CAPITULUM PRIMUM.

De humilitate Pinuphii abbatis.

RELATURUS documenta abbatis Pinuphii, præclari singularisque viri, videor mihi amputare magnam partem materiæ, si hic silentio prætermittam præconia humilitatis suæ, quæ brevi sermone per- Cf. p. 45D. strinxi (consulens lectoris fastidio) quarto de Institutis Patrum libro, qui intitulatus est, De institutione renuntiantium mundo : præsertim quum multi non habentes notitiam libri illius, possint incurrere in lectionem libri istius, et omnis auctoritas dictorum vacillet, si dicentis meritum subtrahatur.

Hic itaque quum abbas et presbyter præsideret grandi cœnobio non longe a Panephysi, urbe Ægypti, et excellentia virtutum suarum atque signorum in tantum sublimasset eum in omni illa provincia, ut videretur sibi recepisse mercedem laborum suorum ex retributione laudis humanæ, timens ne vanitas favoris humani evacuaret sibi fructum præmii æternalis, occulte recessit a monasterio suo, venitque ad monasterium Tabennensium monachorum, ubi elegit non solitudinem eremi, non securitatem solitariæ vitæ, quam imperfecti non ferentes in cœnobiis obedientiæ jugum, aggrediuntur quandoque præsumptione superba, sed maluit celeberrimo monasterio subjugari. Denique ne proderetur ibi aliquo signo habitus sui, vestem induit sæcularem, et multis diebus præ foribus jacuit plorans, ut moris est ibi, omniumque Fratrum ge- A nibus provolutus. Tandem obtinuit suscipi post diuturna Fratrum fastidia, qui ad experiendum desiderium ejus, dicebant eum ultima ætate confectum, et panis egestate compulsum, expetere sanctitatem conversationis illius non sincera intentione. Susceptus autem, deputatus est in adjutorium cuidam Fratri adolescenti, cui commissus fuit hortus ad excolendum : cui per omnia obedivit, nec solum peregit quæ illius officii cura exegit, verum etiam quædam alia necessaria opera quæ ob suam vilitatem B et horrorem vitabantur a ceteris; quæ tam occulte perfecit nocturno labore, ut tota congregatio ignoraret de mane auctorem tam utilium operum.

Quumque in hac laboriosa et humili subjectione durasset quasi per tres annos cum gaudio, accidit quod Frater quidam ei cognitus et compatriota adveniret; et præ vestitus vilitate atque officii ejus vix eum cognoscens, tandem post longam explorationem et considerationem ipsum certissime noscens, projecit et advolvit se C pedibus viri illius, quod cunctis magnum incussit stuporem. Deinde Frater ille nomen Patris illius pronuntians, fecit eos magis attonitos; nam et nomen ejus dudum innotuit ipsis ex fama sanctitatis illius. Compuncti sunt ergo qui tanti meriti ac sacerdotii virum tam vilibus deputaverant operibus. Ille autem flens largiter, et quasi gravem casum manifestationis suæ adscribens diabolicæ invidiæ, reductus est ad monasterium suum cum honorifica Fratrum custodia. Ubi exiguo D tempore demoratus, et rursus gravatus suo primatu atque honoribus sibi impen-

sis, clam navem ingressus, venit ad provinciam Syriæ Palæstinam, ubi tanquam incipiens et novitius receptus est in monasterio nostro, et ab abbate jussus est habitare in cellula nostra. Sed virtutes ejus ac merita non permiserunt tamen ibi eum diu latere, nam simili modo manifestatus est ibi; atque ad monasterium suum reductus cum laude et honorificentia magna, compulsus est de cetero esse quod erat.

CAPITULUM II.

De adventu nostro ad Pinuphium abbatem.

DUM ergo post longum tempus intrassemus Ægyptum, desiderio sanctæ institutionis, quæsivimus eum summo affectu. Tam gratiose quoque tamque humiliter nos suscepit, ut nos tanquam pristinos sibi cellistas honoraret hospitio cellulæ suæ, quam sibi construxerat in parte horti extrema. Ubi quum tradidisset Fratri cuidam, regulam monasterii assumenti, satis ardua sublimiaque præcepta coram omnibus in synaxi (quæ quarto libro Institutionum compendiosius quo potui, introduxi), præcepta illa videbantur nobis tam incomprehensibilia atque mirifica veræ abrenuntiationis culmina, ut crederemus parvitatem nostram nullatenus posse ea attingere et implere. Unde desperatione dejecti, et intimam amaritudinem cogitationum nostrarum ostendentes etiam ipso vultu, recurrimus satis anxia mente ad senem. Cui protinus inquirenti causam tanti mœroris, abbas Germanus graviter ingemiscens, respondit.

CAPITULUM III.

Interrogatio de fine pœnitentiæ et satisfactionis indicio.

QUANTO magnificentior et sublimior sermo tuus aperuit nobis arduum iter doctrinæ tuæ nobis incognitæ et viam renuntiationis plenissimæ, et quasi amota oculorum nostrorum caligine, ostendit cul- A men renuntiationis illius in cœlo repositum, tanto deprimimur mole desperationis majore. Metientes siquidem immensitatem ipsius cum nostrarum virium parvitate, nimiamque vilitatem ignaviæ nostræ cum infinita celsitudine virtutis ostensæ conferentes, sentimus nos ad illam non solum non proficere, imo magis sentimus nos deficere ab eo quod sumus. Oppressi quippe ponderibus nimiæ desperationis, quasi dilabimur ab infimis ad inferiora. Proinde singulare præsidium tuum potest conferre B vulneribus nostris medelam, ut de fine pœnitentiæ et satisfactionis indicio aliqua dicas, et instruas nos, præsertim ut certi de remissione præcedentium delictorum, animari possimus ad ascendendum fastigia perfectionis prædictæ.

CAPITULUM IV.

Responsio de humilitate interrogationis nostræ.

C PINUPHIUS : Delector valde copiosis fructibus vestræ humilitatis, quos etiam susceptos habitatione cellæ illius curiosa æstimatione perspexi, et valde congaudeo quoniam id quod a nobis omnium Christianorum infimis præcipitur sola fortassis libertate verborum, tanta admiratione suscipitis, quum ea (ni fallor) impleatis perfectius quam a nobis prolata sunt. Quumque, ut memini, labor operis vestri pene exæquetur gravitati dictorum nostrorum, ita occultatis meritum vestræ virtutis, qua- D si nulla aura eorum quæ quotidie exercetis, ad vestras aures pervenerit. Sed quia hoc ipsum summa laude dignissimum est, quod adhuc velut rudes testamini vobis incognita esse instituta ista Sanctorum, breviter, ut possumus, exprimamus id quod a nobis sedule postulatis. Necesse est enim ut obtemperemus vestræ familiaritatis imperio etiam supra vires.

Itaque multi plurima vulgaverunt non solum verbis, sed etiam scriptis, de exhortatione ac merito pœnitentiæ, monstrantes

quanta sit ejus gratia, quanta utilitas, ita A ut (si dici fas est) quasi obsistat Deo præteritis peccatis offenso, atque pro tantis criminibus justissimam pœnam mox illaturo aut inferenti, et (ut sic loquar) quasi suspendat dexteram inviti ultoris. Verum non ambigo omnia ista vobis cognita esse ex sapientia acquisita et indefesso studio Scripturarum, ut prima plantatio conversationis vestræ inoleverit ex his. Denique solliciti non de pœnitentiæ qualitate, sed de ejus fine ac satisfactionis indicio, prudentissime quæritis quod est prætermissum ab aliis. B Propterea satisfacere nitimur desiderio vestræ propositionis cum omni brevitate atque compendio.

CAPITULUM V.

De modo pœnitentiæ, et indulgentiæ documento.

PLENA atque perfecta definitio pœnitentiæ est, ut nequaquam ulterius admittamus peccata de quibus dolemus, vel C quibus remordetur conscientia nostra. Porro indicium satisfactionis et indulgentiæ est, expulisse affectus vitiorum de cordibus nostris. Noverit enim unusquisque nondum se absolutum a pristinis vitiis, quamdiu imago commissorum malorum aut consimilium criminum præluserit sibi ante oculos suos, dum satisfactioni gemitibusque inhæret, et eorum non dicam delectatio, sed vel tenuis recordatio turbaverit mentis suæ arcana. Is ergo qui pro satisfactione invigilat, sciat se tunc D a criminibus absolutum ac de præteritis culpis veniam suscepisse, quum non senserit cor suum perstringi illecebris aut imaginatione earumdem. Hinc verissimus pœnitentiæ examinator et indulgentiæ judex residet in conscientia nostra, qui detegit nobis adhuc in carne mortali morantibus absolutionem nostri reatus ante diem cognitionis atque judicii, panditque nobis finem satisfactionis et gratiam remissionis. Interea ut ista jam dicta clarius exprimantur, tunc credenda sunt peccata præterita nobis esse dimissa, quum desideria et passiones voluptatum præsentium ac præteritarum fuerint simul depulsa a cordibus nostris.

CAPITULUM VI.

Interrogatio, an peccata sint reminiscenda pro cordis compunctione.

GERMANUS : Unde in nobis gigni poterit salutaris compunctio humiliationis, de qua ex persona pœnitentis sic dicitur, Peccatum meum cognitum tibi feci *Ps. xxxi, 5.* et injustitiam meam non abscondi; dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; ut efficaciter dicere mereamur quod sequitur, Et tu remisisti impietatem peccati mei? *Ibidem.* Aut qualiter in oratione prostrati, valebimus excitare nos ipsos ad compunctionis lamenta, per quæ mereamur consequi veniam delictorum, secundum illud, Lavabo per singulas noctes *Ps. vi, 7.* lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo; si memoriam peccatorum nostrorum expellimus de cordibus nostris? Imo econtrario jubemur memoriam vitiorum nostrorum tenaciter custodire, quum Dominus dicat : Iniquitatum tuarum non *Is. xliii, 18, juxta LXX.* recordabor, tu vero memento. Propter quod non solum operando, sed et orando revocare studeo etiam ex proposito mentem meam ad peccatorum meorum recordationem, ut efficacius motus ad humilitatem et cordis contritionem, dicere valeam cum Propheta : Vide humilitatem meam *Ps. xxiv, 18.* et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

CAPITULUM VII.

Responsio, quousque habenda sit recordatio præcedentium delictorum.

PINUPHIUS : Interrogatio vestra proposita est non de qualitate pœnitentiæ, sed de fine ipsius; ad quam (ut arbitror)

convenienter responsum est. Ceterum hoc A quod de recordatione culparum dixistis, satis utile necessariumque consistit his qui adhuc pœnitentiam agunt, quatenus cum cordis percussione jugiter clament : *Ps.* L, 5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, *Ps.* XXXVII, 19. etc.; et illud, Cogitabo pro peccato meo. Dum ergo adhuc pœnitentiam agimus, et pravorum actuum recordatione mordemur, necesse est ut imber lacrimarum ortus ex culpæ confessione, exstinguat ignem conscientiæ nostræ. Dum vero recordatio horum fuerit consopita alicui sta- B bilito in humilitate hac cordis contritioneque spiritus, atque in labore ac gemitu perduranti, et spina conscientiæ fuerit, Deo miserante, evulsa de medullis animæ ejus, certum est eum pervenisse ad finem satisfactionis et ad indulgentiæ merita, a labe quoque universorum criminum esse purgatum.

Ad quam oblivionem non aliter pervenitur, nisi per remotionem vitiorum et pristinorum affectuum, itemque per integram ac perfectam animæ puritatem. C Quam sine dubio nullus eorum assequitur qui per ignaviam aut contemptum neglexerint peccata sua purgare; et nisi qui dolorosa assiduitate continuaverit gemitus, sicque excoxerit maculam omnem culparum et immunditiarum suarum, et virtute ac opere animi ad Deum clamaverit : *Ps.* XXXI, 5. Delictum meum cognitum tibi feci, et *Ps.* XLI, 4. injustitiam meam non abscondi; et, Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte; et consequenter mereatur audire : *Jer.* XXXI, 16. Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui D a lacrimis, quia est merces operi tuo, ait Dominus; illud quoque similiter dicatur *Is.* XLIV, 22. ad eum a Domino : Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata *Ibid.* XLIII, 25. tua; et iterum, Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum jam non recordabor. Sicque absolu- *Prov.* V, 22. tus a funibus peccatorum suorum quibus constringebatur, cantabit Deo cum omni *Ps.* CXV, 16, 17. gratiarum actione, dicendo : Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

CAPITULUM VIII.

De diversis pœnitentiæ fructibus.

POST generalem namque Baptismatis gratiam, et pretiosissimum illud donum martyrii, quod sanguinis ablutione acquiritur, multi sunt pœnitentiæ fructus per quos ad expiationem criminum pervenitur : quoniam salus æterna promittitur non pœnitentiæ solum de qua loquitur gloriosissimus Petrus apostolus : Pœnite- *Act.* III, 19. mini et convertimini, ut deleantur peccata vestra; et beatissimus Joannes Baptista, imo et Dominus : Pœnitentiam, inquit, *Matth.* III, 2; IV, 17. agite, appropinquavit enim regnum cœlorum; sed moles peccatorum obruitur etiam per caritatis affectum : Caritas enim ope- *I Petr.* IV, 8. rit multitudinem peccatorum. Similiter per eleemosynas datur medela vitiis nostris : nam sicut aqua exstinguit ignem, ita elee- *Eccli.* III, 33. mosyna exstinguit peccatum. Insuper per lacrimarum effusionem acquiritur ablutio peccatorum, quemadmodum ait Psalmista : Lavabo per singulas noctes lectum *Ps.* VI, 7. meum, lacrimis meis, etc.; denique subjungit eas non esse inaniter fusas : Disce- *Ibid.* 9. dite a me, omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Iterum per criminum confessionem conceditur eorumdem purgatio, juxta illud : Dixi, Confitebor adversum me *Ps.* XXXI, 5. injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei; et iterum, Narra *Is.* XLIII, 26, juxta LXX. tu injustitias tuas primus, ut justificeris. Conformiter remissio scelerum obtinetur per afflictionem cordis et corporis, sicut ait Propheta : Vide humilitatem meam et *Ps.* XXIV, 18. laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Præcipue autem fit istud per morum emendationem, sicut Dominus ait per Isaiam : Auferte malum cogitationum *Is.* I, 16, 17. vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, etc. Interdum quoque venia peccatorum impetratur intercessione Sanctorum : Qui enim scit fra- *I Joann.* V, 16. trem suum peccare non ad mortem, petat, et dabit Deus vitam peccanti non ad mor-

Jacob. v, 14. tem; et iterum scriptum est : Infirmatur A
quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, etc. Præterea labes vitiorum nonnunquam excoquitur merito misericordiæ ac fidei, secundum quod
Prov. xv, 27. legitur : Per misericordiam et fidem purgantur peccata. Item plerumque per conversionem et salutem eorum qui convertuntur et salvantur exhortationibus ac
Jacob. v, 20. prædicationibus nostris : Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Rursus B
fit istud per indulgentiam et remissionem quam aliis exhibemus, juxta quod scri-
Matth. vi, 14. ptum est : Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra.

Videtis ergo quantas vias ad misericordiam obtinendam patefecerit nobis clementia Salvatoris, ut nemo salutem cupiens, desperatione frangatur, quum videat se tantis remediis invitari ad vitam. Si enim causaris te non posse peccata tua delere afflictione jejuniorum propter infirmita- C
Ps. cviii, 24. tem corporis tui, nec dicere potes, Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea
Ps. ci, 10. immutata est propter oleum : quia cinerem tanquam panem manducabam, etc.; redime ea largitate eleemosynarum. Si non habes quod largiaris egenti (quamvis paupertas nullum excludat ab opere hoc,
Luc. xxi, 2, 3. quum duo æra pauperculæ viduæ prælata sint tam magnis muneribus divitum, et
Matth. x, 42. Dominus repromittat se daturum mercedem pro calice frigidæ aquæ), purgari poteris absque illis, morum correctione. Quod D
si perfectionem virtutum adipisci non potes exstinctione omnium vitiorum, sollicitudinem piam impende circa utilitatem alienæ ac fraternæ salutis. Quod si conquereris te aptum non esse ministerio huic, operire poteris peccata caritatis affectu. Si autem quæcumque mentis ignavia fecerit te in hoc inutilem, implora vitiis tuis remedia intercessione Sanctorum, per humilitatis affectum submittens te ipsum. Postremo quis est qui non pos-
sit simpliciter dicere : Peccatum meum Ps. xxxi, 5.
cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi; ut per confessionem hanc mereatur subjungere confidenter : Et tu Ibidem.
remisisti impietatem peccati mei? Quod si verecundia retrahente, erubescis ea coram hominibus revelare, non desinas ea confiteri cum jugi supplicatione ei quem latere non queunt, et dicas : Iniquitatem Ps. l, 5.
meam ego cognosco, etc.; itemque, Tibi Ibid. 6.
soli peccavi, etc. : quoniam Deus consuevit peccata curare absque verecundiæ publicatione et absque improperio. Insuper post remedium istud tam certum et post tam promptum subsidium, pietas Dei largita est nobis adhuc facilius aliud; opem quoque hujus remedii commisit nostro arbitrio, ut secundum affectum nostrum præsumamus indulgentiam iniquitatum nostrarum, dicentes ad ipsum : Dimitte nobis Matth. vi, 12.
debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Quicumque ergo desiderat ad indulgentiam suorum criminum pervenire, aptare se studeat istis remediis, nec obdurati cordis pertinacia avertat fontem tantæ pietatis a salutari subsidio; quia etsi omnia ista fecerimus, non erunt idonea ad expiationem nostrorum excessuum, nisi bonitas Dei deleverit eos per suam clementiam, qui quum perspexerit obsequia religiosi cordis oblata sibi a nobis supplici mente, prosequitur ea liberalitate immensa : Ego Is. xliii, 25.
sum, inquiens, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum jam non recordabor. Quicumque ergo ascenderit ad statum prædictum, satisfactionis gratiam assequetur jejuniis continuis et mortificatione cordis ac corporis, quoniam scriptum est : Sine sanguinis effusione non Hebr. ix, 22.
fit remissio. Nec immerito : caro et san- I Cor. xv, 50.
guis namque regnum Dei possidere non possunt. Idcirco quicumque voluerit gla- Ephes. vi, 17.
dium spiritus, quod est verbum Dei, cohibere ab effusione sanguinis hujus, absque dubio punietur maledictione hac Jeremiæ :
Maledictus qui prohibet gladium suum a Jer. xlviii, 10.
sanguine. Hic namque est gladius qui sa-

lubriter fundens noxium sanguinem illum (A) quo animatur materia peccatorum, resecat quidquid carnale et terrenum invenitur in membris seu viribus animæ nostræ, et mortificatos peccato facit nos vivere Deo ac spiritualibus vigere virtutibus : sicque flere incipiemus non recordatione culparum, sed futurorum spe gaudiorum; cogitantesque potius de bonis futuris quam de malis præteritis, lacrimas effundemus non ex peccatorum mœrore, sed ex lætitiæ
Philipp. III, 13. spiritualis alacritate; et obliviscentes posteriora, id est carnalia vitia, extendemur (B) in anteriora, hoc est ad virtutes ac spiritualia dona.

CAPITULUM IX.

Quod peccatorum oblivio utilis sit perfectis.

PORRO quod paulo ante dixisti, te etiam de industria retractare præteritorum memoriam vitiorum, hoc fieri non oportet penitus : imo si recordatio illa violenter (C) irrepserit, protinus extrudatur. Multum enim retrahit mentem, potissime eremitæ ac solitarii, a contemplatione sincera, implicans eam sordibus mundi hujus et præfocans vitiorum fœtore. Dum enim recolis ea quæ per ignorantiam sive lasciviam commisisti secundum principem sæculi hujus, ut concedam quod tibi in cogitatione hac posito non subrepat delectatio aliqua, necesse est tamen ut vel sola cogitatio antiquæ putredinis mentem corrumpat tetro fœtore, atque excludat spi- (D) ritualem virtutum fragrantiam, id est boni odoris suavitatem.

CAPITULUM X.

Quod flagitiorum recordatio sit vitanda.

QUUM ergo præteritorum vitiorum memoria occurrerit menti, ita resiliendum est ab ea, sicut vir honestus et gravis fugit, si impetatur in publico colloquiis aut amplexibus impudicæ procacisque feminæ. Qui nisi festinanter abstraxerit se a contactu illius, aut brevissimam moram inhonestæ confabulationis admiserit, non evadet notam reprehensibilitatis atque diffamiæ judicio omnium prætereuntium, quamvis respuat consensum voluptatis impudendæ. Ita ergo et nos oportet raptim discedere a consideratione culparum, quum fuerimus pestifera recordatione deducti in hujuscemodi cogitationes, et implere quod a Salomone præcipitur, Exsili (inquit), noli Prov. v, 8, juxta LXX.
demorari in loco ejus, neque intendas oculum tuum in eam : ne angeli sancti videntes nos involutos cogitationibus turpibus et immundis, non possint dicere nobis : Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. Ps. CXXVIII, 8.
Impossibile quippe est mentem immorari cogitationibus bonis, quum principale mentis fuerit devolutum ad turpes ac terrenos intuitus. Vera est namque illa Salomonis sententia : Quum oculi tui viderint alienam, tunc os Prov. XXIII, 33-35, juxta LXX.
tuum loquetur prava, et jacebis tanquam in corde maris, et sicut gubernator in magna tempestate; dices autem, Ferierunt me, sed non dolui, et deluserunt me, ego autem nescivi.

Relictis ergo non solum turpibus, sed et terrenis cogitationibus universis, intentio cordis nostri est erigenda ad cœlestia ac divina, quum Christus testetur : Ubi Joann. XII, 26.
enim sum ego, illic et minister meus erit. Solet enim frequenter accidere, ut dum quis imperitorum recogitat quasi condolendi affectu peccata sua aut aliorum, ipse quoque perstringatur voluptuario subtilissimi teli assensu, et obsceno ac noxio fine concludat initium sub pietatis specie inchoatum : sunt enim viæ quæ vi- Prov. XIV, 12; XVI, 25, juxta LXX.
dentur hominibus rectæ, novissima autem earum venient in profundum inferi. Quapropter studendum est nobis ut provocemus nos ipsos ad compunctionem laudabilem appetitu virtutum desiderioque regni cœlorum, magis quam noxiis recordationibus vitiorum, quia necesse est

quempiam præfocari tamdiu pestilentissimis cloacæ fœtoribus, quamdiu voluerit supra eam stare aut stercora ejus movere.

CAPITULUM XI.

De satisfactionis indicio, et qualiter ad oblivionem criminum perveniatur.

SCIAMUS itaque, sicut prædiximus, tunc nos satisfecisse pro peccatis præteritis, quum affectus et motus ex quibus peccata commisimus, amputati fuerint de cordibus nostris. Quod nemo credat se posse obtinere, qui non prius cum omni fervore spirituali absciderit causas atque materias propter quas lapsus est in crimina illa : ut si forte ex perniciosa feminarum familiaritate lapsus est in fornicationem aut adulterium, vitet de cetero cum summa festinatione adspectum earum; aut si per superabundantiam vini aut epularum succensus est superfluitate, districtione summa castiget illicitam crapulam. Aut rursus, si corruptus pecuniarum desiderio aut amore inciderit perjurium, furtum, aut homicidium, sive blasphemiam, abscindat materiam avaritiæ illectricem suæ deceptionis; si ex arrogantia in iram corruerit, arrogantiæ fomitem destruat summa humilitatis virtute. Sicque ut unumquodque peccatum queat exstingui, debet primitus amputari causa sive occasio per quam aut propter quam est admissum. Isto enim curationum remedio pervenitur sine dubio ad oblivionem criminum admissorum.

CAPITULUM XII.

In quo pœnitentia temporaliter sit agenda, et in quo finem habere non possit.

SED ista doctrina de oblivione vitiorum intelligenda est de capitalibus culpis, quæ et lege Mosaica prohibentur, quarum
A pœnitentia accipit finem, sicut affectus earum abjiciuntur aut consumuntur per bonam conversationem. Ceterum pœnitentia nunquam deesse debet de istis minutis et quotidianis, in quibus, ut ait Scriptura,
justus septies in die cadit, atque resurgit : *Prov.* XXIV, 16.
quæ singulis diebus frequenter incurrimus vel inviti aut nolentes, per ignorantiam, oblivionem, cogitationem, sermonem, subreptionem, necessitatem, aut fragilitatem; quorum remissionem et depurationem
David exorans, ait : Delicta quis intelligit? *Ps.* XVIII, 13, 14.
B ab occultis meis munda me, et ab alienis
parce servo tuo; et Apostolus : Non enim *Rom.* VII, 19.
quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Propter quæ idem
lamentans, exclamat : Infelix ego homo, *Ibid.* 24.
quis me liberabit de corpore mortis hujus? Tanta enim facilitate tanquam naturali lege cadimus in his, ut quantumcumque grandi circumspectione atque custodia caveantur, non possint ad plenum vitari. De
his siquidem discipulus quem diligebat *Joann.* XXI, 7.
Jesus, absolute pronuntiat : Si dixerimus *I Joann.* I, 8.
C quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Præterea pervenisse ad finem pœnitentiæ, id est, ab illicitis abstinere, non satis proderit cupienti culmen perfectionis attingere, nisi et indefesso cursu extenderit semper se ipsum in illis virtutibus quibus pervenietur ad satisfactionis indicia. Nec enim sufficiet quemquam abstinuisse ab immundissimis sordibus criminum, quæ Deus abhorret, nisi etiam cum cordis puritate et apostolicæ caritatis perfectione posse-
D derit illam virtutum fragrantiam qua Dominus delectatur.

Hucusque abbas Pinuphius disseruit de pœnitentiæ fine et satisfactionis indicio, rogavitque nos affectu sollicito manere ac residere in suo cœnobio. Quod quum facere recusaremus, quoniam fama et amor solitudinis Scythi nos traxit ad se, dimisit nos.

COLLATIO XXI

(Abbatis Theonæ prima)

DE REMISSIONE QUINQUAGESIMÆ, ET JEJUNII UTILITATE.

CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter Theonas venerit ad abbatem Joannem.

PRIUSQUAM describam collationem habitam cum summo viro Theona, necessarium reor ut breviter recitem conversionis suæ initium, quia ex hoc meritum et excellentia viri evidentius innotescent lectori. *Cf. p. 155 D.*

Hic itaque valde adolescens, alligatus est vinculo conjugali ex imperio studioque parentum. Qui videntes religiosam sedulitatem pudicitiæ ejus, ac formidantes ancipitem lapsum lubricæ juventutis, crediderunt lubricos adolescentiæ motus præveniendos remedio nuptiarum. Quum ergo Theonas peregisset annos duos cum conjuge, venit ad abbatem Joannem, qui tunc diaconiæ præsidebat, electus ad hoc merito sanctitatis. Non enim quilibet provehitur ad hunc gradum propria voluntate aut ambitione, sed is quem universitas seniorum judicaverit omnibus eminentiorem prærogativa ætatis et testimonio fidei ac virtutum. Advenit ergo Theonas adhuc juvenis ad hunc B. Joannem, piæ devotionis affectu, deferens ei munera religiosa inter ceteros possessores qui afferebant certatim decimas sive primitias frugum suarum præfato Joanni ; vidensque senex eos confluxisse ad se cum multis muneribus, cupiensque devotioni eorum vicem rependere, cœpit eis spiritualia seminare, juxta Apostolum, a quibus metebat carnalia. *I Cor. IX, 11.*

A

CAPITULUM II.

Exhortatio abbatis Joannis ad Theonam ac alios qui cum eo venerant.

DELECTOR, o carissimi filii, largitate munerum vestrorum, atque gratanter amplector devotionem hujus oblationis, cujus dispensatio est mihi credita, quia fideliter Deo offertis primitias vestras usibus indigentium erogandas, quæ sunt sacrificium boni odoris. Nam credo fruges
B vestras ex quibus hæc obtulistis, ubertim benedicendas merito oblationis istius, vos quoque cumulandos a Domino multiplici bonorum omnium ubertate etiam in sæculo isto, secundum ipsius promissum cujus implestis mandatum, quemadmodum ait Scriptura : Honora Dominum de tuis justis laboribus, et deliba ei de fructibus justitiæ tuæ, ut impleantur horrea tua abundantia tritici, et torcularia tua vino redundent. Quam devotionem fideliter exsequentes, scitote vos consummasse legis *Prov. III, 9, 10. juxta LXX.*
C antiquæ justitiam, sub qua tunc positi et transgredientes eamdem, reatum inevitabiliter incurrebant, implentes vero pervenire ad apicem perfectionis nequibant. *Lev. XXVII, 30.*

CAPITULUM III.

De oblatione decimarum et primitiarum.

DECIMÆ quippe ex Dei præcepto deputatæ fuerunt usibus Levitarum, oblationes vero atque primitiæ usibus sacer- *Num. XVIII, 24.* *Ibid. v. 9.*
D dotum ; sed modus seu ritus primitiarum,

quæ sunt quinquagesima pars frugum, fuit ut quinquagesima pars frugum aut animalium præberetur ministerio templi vel sacerdotum. (Num. xxxi, 30.) Quem modum tepidiores infideliter minorantes, offerebant sexagesimam suorum fructuum partem; devotiores vero modum illum augentes, solvebant quadragesimam partem. Justi autem, quibus non est lex posita, (I Tim. i, 9.) sic probantur non esse sub lege, quod conantur non solum implere, sed item transcendere justitias legis; sicque eorum devotio uberior legali præcepto, cumulans observantiam præceptorum, voluntaria addit ad debita.

CAPITULUM IV.

Quod Abraham, David, ac ceteri Sancti supergressi sint legis mandata.

Legimus namque et Abraham supergressum esse legis præcepta, qui superatis regibus quatuor, non acquievit attingere aliqua Sodomorum quæ debebantur sibi non immerito tanquam victori, quæ et rex Sodomæ obtulit ei suppliciter, sed cum juramento clamavit: (Gen. xiv, 22. 23.) Extendo manum meam ad Deum excelsum, qui fecit cœlum et terram, si a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Ita scimus et ipsum David transcendisse legis mandata, quoniam Moyse præcipiente ut inimicis talio redderetur, (Exod. xxi, 24.) non solum non fecit hoc, imo et persequentes dilexit, pie deflevit ac vindicavit occisos. (I Reg. xxiv, 19.) Insuper demonstramus Eliam et Jeremiam non fuisse sub lege, qui perseverare virgines maluerunt, quum uti conjugio licite possent. Conformiter legimus Eliseum et reliquos ejusdem propositi viros Mosaica transcendisse mandata, de quibus Apostolus: (Hebr. xi, 37.) Circumierunt, inquit, in melotis, in pellibus caprinis, etc. Præterea quid dicam de filiis Jonadab filii Rechab, quos legimus sic respondisse Jeremiæ offerenti eis vinum ex Dei præcepto: (Jer. xxxv, 6.) Non bibemus vinum, quoniam Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis dicens, Non bibetis vinum, vos et filii vestri, usque in sempiternum, etc.? Propter quod a beato Jeremia audire meruerunt: Hæc dicit Dominus exercituum, Non deficiet vir de stirpe Jonadab, stans in conspectu meo cunctis diebus. (Jer. xxxv, 19.) Qui omnes non contenti offerre decimas possessionum suarum, sed respuentes prædia sua, potius obtulerunt Deo se ipsos et animas suas, pro quibus nulla commutatio fieri potest ab homine, sicut Dominus in Evangelio contestatur: Quam dabit homo commutationem pro anima sua? (Matth. xvi, 26.)

CAPITULUM V.

Quod exsistentes sub Evangelii gratia debeant transcendere legis mandata.

Hinc scire debemus quod nos (a quibus non exigitur legale mandatum, sed quibus evangelicus sermo dicit: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me) (Ibid. xix, 21.) dum offerimus Deo decimas de substantiis nostris, detinemur quodammodo adhuc sub sarcina legis, et necdum attingimus evangelicam perfectionem, quæ remunerat obtemperantes sibi, non solum beneficiis vitæ præsentis, sed præmiis quoque futuris. Lex namque promisit factoribus suis non præmia regni cœlestis, sed solatia vitæ præsentis: Qui fecerit, inquiens, hæc, vivet in eis. (Galat. iii, 12; Lev. xviii, 5.) Dominus autem ait suis discipulis et amicis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; (Matth. v, 3.) et, Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. (Ibid. xix, 29.) Nec immerito: non enim ita laudabile est abstinere ab illicitis, sicut a licitis, non utendo propter Dei reverentiam his quæ utenda nobis permisit propter nostram infirmitatem.

Itaque si hi qui fideliter offerunt de-

cimas suas, atque per hoc præceptis Dei A
veteribus famulantur, necdum evangelicum culmen ascendunt, quantum distent ab illo qui non offerunt decimas suas, manifeste conspicitis. Qualiter enim valent esse participes evangelicæ gratiæ, qui contemnunt implere leviora legis præcepta, quorum facilitatem imperiosa verba legislatoris in tantum testantur, ut maledictionem proponat non observantibus ea, dicendo :
Galat. III, 10; *Deut.* XXVII, 26. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis,
ut faciat ea? In Evangelio autem propter B
Matth. XIX, 12. excellentiam mandatorum dicitur : Qui potest capere, capiat. Illic comminatoria compulsio legislatoris parvitatem manda-
Deut. IV, 26. torum Dei demonstrat, dicens : Contestor vobis hodie cœlum et terram, quod si non custodieritis præcepta Domini Dei vestri, peribitis a facie terræ. In Evangelio autem significatur magnificentia mandatorum magis proprietate et conditione exhor-
Matth. XIX, 21. tantis quam imperantis, quum loquitur : Si vis perfectus esse, fac hoc vel illud. Ibi
Moyses imponit inexcusabile pondus re- C
cusantibus legem; hic Paulus occurrit tantum consilio volentibus et festinantibus ad ipsam perfectionem. Non enim erat generaliter præcipiendum, neque (ut ita dixerim) ab omnibus canonice exigendum, quod apprehendi non potest ab omnibus ob suam sublimitatem mirificam, sed potius provocantur omnes gratia atque consilio : ut magni valeant non immerito coronari perfectione virtutum; parvi autem,
Ephes. IV, 13. qui implere non possunt mensuram ætatis
plenitudinis Christi, quamvis videantur la- D
tere fulgore majorum velut astrorum tecti, tamen sint alieni a tenebris maledictionum legalium, nec addicantur cladibus malorum præsentium, neque supplicio torqueantur æterno.

Christus itaque nullum adstringit præcepto ad excelsa illa perfectionis fastigia, sed provocat liberi arbitrii potestate, et salubri consilio ac desiderio perfectionis. Ubi enim præceptum, ibi necessitas; et ubi necessitas, ibi difficultas; ubi difficultas, ibi et negligentia; ubi negligentia, ibi et peccatum; ubi peccatum, ibi consequenter et pœna. Porro custodientes ea quæ jubentur severitate legis præfixæ, potius pœnam effugiunt quæ minabatur a lege illa, quam præmia consequantur.

CAPITULUM VI.

Quod sicut Evangelii gratia tribuerit perfectis regna cœlorum, sic gratiose sustentet infirmos.

QUEMADMODUM ergo evangelicus sermo fortes sustollit ad alta atque perfecta, ita non patitur infirmos demergi ad ima; sed perfectis tribuit plenitudinem beatitudinis, veniam vero his qui fragilitate vincuntur. Lex enim collocavit consummantes præcepta sua tanquam in quodam meditullio meriti utriusque, tantum separans a gloria perfectorum, quantum secernit a damnatione transgressorum. Quod quidem quam miserabile infimumque consistat, perpendite ex statu vitæ præsentis, et comparatione qua miserrimum reputatur, si quis ad hoc studeat et laboret dumtaxat ne reus inter honestos habeatur, et non etiam ut inter eos sit locuples, honorabilis et gloriosus.

CAPITULUM VII.

Quod in nostra potestate sit, an velimus esse sub gratia Evangelii, an sub legis terrore.

HINC in nostra potestate situm est nunc, an velimus esse sub Evangelii gratia, an sub legis terrore; quia necesse est unumquemque pertinere ad alteram partium harum, secundum qualitatem operis sui. Nam gratia Christi suscipit transcendentes legem, lex vero retinet inferiores tanquam debitores suos et sibi obnoxios. Reus namque legalium præceptorum nequaquam valebit evangelicam perfectionem attingere, quamvis inaniter glorietur

esse se christianum et Christi gratia liberatum. Non solum enim hic credendus est esse sub lege, qui contemnit implere ea quæ jubet lex, sed etiam ille qui contentus est servare illa tantum quæ præcipit lex, et nequaquam exhibet fructus dignos vocatione et gratia Christi, qui non dicit,
Exod. XXII, 29. Decimas tuas et primitias offeres Domino
Matth. XIX, 21. Deo tuo; sed, Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me : qui ob commendandam magnificentiam evangelicæ perfectionis, non concessit brevis-
Ibid. VIII, 22. simum horæ spatium discipulo id postulanti pro patre suo sepeliendo, nec prætulit humanæ caritatis officium divino amori.

CAPITULUM VIII.

Quomodo Theonas conjugem suam hortatus sit ut renuntiaret mundo.

QUIBUS auditis, B. Theonas accensus inexstinguibili desiderio perfectionis, semen verbi cœlestis conceptum corde fecundo reposuit quasi in sulcis edomitis et profundis : maxime humiliatus atque compunctus in hoc, quod senex dixisset eum non solum non attigisse evangelicam perfectionem, imo et vix adimplesse legis mandata; deflens se nondum audisse rationem primitiarum, quum tamen singulis annis solitus esset afferre diaconiæ decimas frugum suarum. Quas etsi aliter attulisset, nihilo minus fatebatur se longe distare secundum senis sententiam ab evangelica perfectione. Reversus est igitur
II Cor. VII, 10. domum tristis, illa affectus tristitia quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur : nec jam dubius de sua voluntate et intentione, convertit omnem suam sollicitudinem circa conjugis suæ salutem, cœpitque eam exhortari ad desiderium spirituale quo ipse accensus jam fuit; admonens eam cum lacrimis die ac nocte, ut in castitate et sanctimonia Deo pariter deservirent, dicens conversionem ad vitam meliorem esse nullatenus differendam, quia

A spes vana juvenilis ætatis non præjudicaret necessitati subitæ mortis, quæ tollit infantes et pueros ac adolescentes, sicut et senes.

CAPITULUM IX.

Quomodo non acquiescente uxore, ad monasterium convolaverit.

PORRO quum uxor durissima non assentiret sibi talibus obsecrationibus
B jugiter insistenti, affirmans se nullatenus posse carere mariti solatio propter adolescentiæ suæ florem, ideoque si quid criminis perpetraret relicta ab eo, magis imputandum esse eidem qui fœdera conjugii rumperet : tunc ipse Theonas quum diu prætendisset et allegasset conditionem naturæ humanæ valde incertam ac fragilem, et quam periculosum esset diutius implicari desideriis operibusque carnalibus : asserebat non licere alicui facere se extorrem seu imparticipem boni quod didicit, ma-
C joris quoque esse peccati despicere cognitam bonitatem quam non amare incognitam, se item involvi prævaricationis reatu si terrena sordidaque præferret tam præclaris ac cœlestibus donis inventis; magnificentiam quoque perfectionis ad omnem ætatem et sexum pertinere, atque universa Ecclesiæ membra invitari ad aggrediendam et ascendendam celsitudinem sublimium meritorum, dicente Apostolo,
Sic currite ut comprehendatis; nec paratos ac alacres debere subsistere propter I Cor. IX, 24.
D mores ac moras segnium ac tardorum, quum rectius sit ut desides a præcurrentibus incitentur, quam ut properantes a sedentibus ac pigris detineantur. Et hinc se decrevisse dicebat renuntiare ac mori mundo, ut possit vivere Deo, et ideo quamvis obtinere gratiam istam non posset ut simul cum conjuge transiret in Christi consortium, malle tamen salvari cum unius membri dispendio, et quasi debilem Matth.
ingredi regnum cœlorum, quam cum corporis integritate damnari. XVIII, 8.

Matth. XIX, 8; *Deut.* XXIV, 1. Adjecit quoque : Si Moyses permisit relinqui uxores propter duritiam maritorum, quare Christus non sinat hoc, si fiat castitatis amore? Præsertim quum idem Dominus indicans inter cetera esse non solum abjiciendas, sed etiam odiendas pro nomine suo et perfectionis desiderio affectiones patrum, matrum ac filiorum, quibus præcipimur non solum lege Moysis, sed et Christi, omnem reverentiam exhibere, conjungat eis nomen uxoris, dicendo : Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. In tantum igitur Christus non sustinet aliquid comparari perfectioni quam prædicat, ut dissolvat etiam necessitudinem patris ac matris, de quibus secundum Apostolum est primum mandatum in lege, videlicet, Honora patrem et matrem, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram : quorum affectionem præcipit Christus pro suo amore contemni. Itaque sicut evangelicus sermo condemnat eos qui extra adulterii casum rumpunt vinculum conjugale, sic evidenter promittit centupla præmia his qui jugum carnale rejiciunt propter Christi amorem et castimoniæ appetitum.

Exod. XX, 12.

Matth. XIX, 29.

Ephes. VI, 2; *Exod.* XX, 12.

Matth. V, 32.

Quapropter si fieri potest, ut ratione accepta, tandem flectaris ad partem hanc desideratissimam mihi, ut scilicet Domino servientes, pariter evitemus pœnam gehennæ, non refuto conjugii caritatem, imo majore dilectione amplector. Agnosco namque et veneror conjugem adjutricem meam mihi deputatam per Dei sententiam, nec respuo ei cohærere in Christo indirupto fœdere caritatis; nec separo a me quod Dominus mihi conjunxit lege primæ conditionis, dummodo sis et tu quoque quod Creator te esse voluit. Si vero nolueris te in adjutorium mihi esse, sed in deceptionem ; et malueris te exhibere in adminiculum non mihi, sed hosti, et putas conjugium datum ad hoc ut fraudes seu prives te salute oblata, et a Christi discipulatu me retrahas, viriliter apprehendam doctrinam mihi prolatam ore abbatis Joannis, imo et Salvatoris, ita ut nulla affectio me possit a spirituali avellere bono, quum dicat Salvator : Qui non odit patrem et matrem, etc., non potest meus esse discipulus. *Luc.* XIV, 26.

Itaque quum intentio mulieris non flecteretur his et consimilibus verbis, et in eadem obstinationis duritia remaneret, dixit Theonas : Si ego non possum te a morte abstrahere, nec tu abstrahes me a Christo ; tutius mihi est habere divortium ab homine, quam a Deo. Adspirante igitur gratia Dei, constanter prosecutus est suum propositum, nec passus est ardorem desiderii sui tepescere per aliquam moram. Mox quippe relicta omni facultate mundana, monasterium est ingressus, ubi in brevi emicuit tanto sanctitatis et humilitatis splendore, ut post mortem abbatis Joannis successorisque ejus S. Eliæ abbatis, prædecessori suo non imparis, B. Theonas eis successerit in diaconiæ dispensatione, præelectus ad hoc universorum consona voce.

CAPITULUM X.

Satisfactio, quod non intendat suadere aut approbare discessionem a conjuge.

NEMO autem putet nos ista introduxisse ad provocandum conjugiorum divortia, qui nuptias non solum non reprobamus, imo et apostolicam sequentes sententiam, dicimus, Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus ; sed ut fideliter panderemus lectori initium conversionis quo tantus vir consecratus est Deo. A quo lectore deposcimus primo hæc pro bona regratiatione, ut sive factum illud sibi placuerit sive non, permittat me esse a calumnia alienum, opusque illud laudet aut reprehendat in suo auctore. Ego autem qui non induxi de hac re meam sententiam, sed simplici narratione perstrinxi rei gestæ historiam, juste vindico mihi, ut sicut nihil mihi usurpo

Hebr. XIII, 4.

de laude eorum qui factum hoc probant, A ita non pulser invidia improbantium illud. Habeat ergo unusquisque judicium suum de illo, ut diximus; sed hortor ut ita moderetur suum judicium et examen, ne credat se sanctiorem aut æquiorem esse divino judicio, quo datum est huic Theonæ facere signa apostolicarum virtutum; ut taceam de tantorum Patrum sententia, qui factum ejus non solum non reprehenderunt, imo in tantum commendaverunt, ut prætulerint auctorem facti illius sublimissimis viris, eligendo eum ad B diaconiam. Et puto judicium tot spiritualium virorum Deo auctore prolatum non deviasse, quod etiam Deus signis tam mirabilibus confirmavit.

CAPITULUM XI.

Quæstio, cur non jejunetur nec genua in oratione flectantur diebus Quinquagesimæ in Ægypto.

SED tempus jam est ut prosequamur C ordinem collationis promissæ. Itaque quum abbas Theonas visitasset nos in cellula nostra in Quinquagesima, vespertinis orationibus persolutis, paululum considentes in terra, cœpimus diligenter inquirere cur Ægyptii monachi tam sollicite præcaverent, ne quis eorum curvaret genua in oratione per totum Quinquagesimæ tempus, aut jejunare præsumeret usque ad horam nonam; et eo diligentius interrogavimus istud, quo minus vidimus hoc servari tam caute in monasteriis Syriæ. D

CAPITULUM XII.

De natura eorum quæ sunt bona aut mala, vel media.

AD hæc abbas Theonas usus est tali sermonis exordio : Oportet nos consentire, etiam nondum cognita ratione, auctoritati Patrum, consuetudinique majorum usque ad tempus nostrum per tot annos protractæ, eamque custodire, sicut antiquitus tradita est, jugi observantia et honore. Verumtamen quoniam vultis cognoscere causas et rationes istius rei, advertite breviter ea quæ tradita sunt a senioribus nostris super institutione et observantia ista. Verumtamen antequam proferatur auctoritas sacræ Scripturæ, pauca, si placet, dicamus de natura et qualitate jejunii, ut subsequens Scripturarum auctoritas disputationem nostram confirmet. Divina sapientia in Ecclesiaste designavit proprium tempus esse omnibus rebus, tam prosperis quam adversis seu tristibus, dicens : Omnibus tempus est, et tempus est omni rei sub cœlo. Tempus pariendi et tempus moriendi, etc. Itaque Scriptura docuit nihil horum esse perpetuum bonum, nisi fuerit factum opportune et competenter, ita ut eadem opportune gesta sint bona, si autem præsumantur tempore importuno, inutilia sint et nociva; demptis his tantum quæ per se principaliter bona vel mala sunt, nec possunt unquam in contrarium derivari aut permutari, ut justitia, prudentia, fortitudo, virtutesque ceteræ, varia quoque peccata, quorum rationes non possunt mutari aut cadere in aliam partem. Porro si aliqua sint quæ possunt in utramque partem deflecti ac trahi, ita ut juxta qualitatem et modum utentium eis sint bona aut mala, hæc interdum utilia aut inutilia, seu bona vel mala sunt, non absolute ex sua natura, sed ex affectu agentis opportunitateque temporis.

Eccle. III, 1, 2, juxta LXX.

CAPITULUM XIII.

Quale bonum sit jejunium.

NUNC ergo quærendum quid de jejunio debeamus sentire : an sit tale bonum, quale justitia, prudentia, ceteræ quoque virtutes quæ in contrariam partem divertere nequeunt; an sit quoddam medium, quod aliquando utiliter fiat, et aliquando sine damno prætermittatur, quod

item interdum reprehensibiliter efficiatur,
et vicissim laudabiliter omittatur. Si enim
in illa ratione numeroque virtutum po-
namus jejunium, ut abstinentia a cibis
collocetur inter principalia bona, tunc ci-
borum perceptio erit vitiosa et prava, quo-
niam quidquid principali bono exstat con-
trarium, malum est. Quod Scripturarum
auctoritas non permittit nos affirmare. Si
enim tali sensu atque proposito jejune-
mus, ut credamus peccatum consistere in
ciborum sumptione, non solum non pro-
ficiemus in jejunando, sed incurremus re-
atum maximum et sacrilegii crimen, juxta
I Tim. IV, 3, 4. Apostolum : Abstinentes a cibis quos Deus
creavit ad percipiendum cum gratiarum
actione fidelibus et iis qui cognoverunt
veritatem, quia omnis creatura Dei bona
Rom. XIV, 14. est, etc. Qui enim putat quid commune
esse, illi commune est. Ideo neminem le-
gimus condemnatum ob solam cibi per-
ceptionem, nisi forte aliud aliquid fuerit
annexum aut subsecutum, per quod me-
ruit condemnari.

CAPITULUM XIV.

Quod jejunium non sit principale bonum.

MEDIUM ergo quoddam esse jejunium
hinc probatur, quoniam sicut justi-
ficat dum servatur, ita non damnat dum
frangitur, nisi forte præcepti transgressio
puniatur potius quam escarum perceptio.
Porro nullum tempus vacare debet a prin-
cipali bono, in tantum ut nulli liceat esse
sine eo, quia ex ejus cessatione necesse
est negligentem corruere in peccatum.
Principali quoque malo nullum concedi-
tur tempus quo liceat, quia quod semper
nocivum est sive culpabile, nunquam po-
terit non nocere, si admittatur, nec potest
in partem laudabilem commutari. Atque
per hoc, ista quibus videmus qualitates
seu modos et tempora esse præfixa, quæ
dum observantur ita sanctificant, ut omis-
sa non polluant, manifestum est media
esse, puta divitias, nuptias, agriculturam,
A solitudinem, vigilias, sacrasque lectiones
et meditationes librorum, jejunia quoque,
de quibus sumptum est hujus sermonis
exordium : quæ divina jussio aut Scriptu-
rarum auctoritas non præcipit tam inces-
sabiliter obtineri aut custodiri, ut vitiosum
sit ea omittere paululum. Quidquid enim
præcipitur, mortem irrogat si non imple-
tur : porro quæ consuluntur, facta pro-
sunt; omissa seu non facta, non puniunt.
Hinc majores nostri jusserunt nos hæc
omnia aut quædam eorum observare ac
B agere circumspecte ac provide, pro loco,
modo, causa ac tempore : quia si aliquid
horum congrue fiat, aptum est atque con-
veniens; si incongrue, certum est quod
ineptum exsistat ac nocivum. Ut si quis
velit austeritatem jejunii custodire in Fra-
tris visitatione, in quo debet Christum ex
humanitate reficere, nonne magis incurret
crimen inhumanitatis, quam acquirat lau-
dem et meritum religionis ? Aut si non
acquiescat rigorem abstinentiæ relaxare,
dum defectio corporis id requirit, et im-
C becillitas deposcit virium reparationem
per cibi perceptionem, nonne magis æsti-
mandus est crudelis homicida corporis sui
quam provisor salutis animæ suæ ? Ita
etiam si quis voluerit indissolubiliter re-
tinere rigidam observantiam jejuniorum,
dum tempus festivum concedit congruum
usum escarum et absolutionem consueti
rigoris, necesse est ut reputetur irratio-
nabilis et indiscretus magis quam religio-
sus. Denique ista adversantur his qui mer-
cantur laudem humanam per sua jejunia,
D et famam sanctitatis acquirunt pallore
inani, quos evangelicus sermo pronuntiat Matth. VI, 16.
recepisse in hac vita mercedem suam ;
quorum jejunia Dominus detestatur, qui
per Isaiam loquitur in eorum persona :
Quare jejunavimus, et non adspexisti, hu- Is. LVIII. 3.
miliavimus animas nostras, et nescisti ?
Quibus confestim respondet, aperiens cau-
sas cur exaudiri essent indigni : Ecce Ibid. 3, 4.
in die jejunii vestri invenitur voluntas
vestra, et omnes debitores vestros repe-
titis; ecce ad lites, etc. Deinde subjungit

docens qualiter jejunium meritorium fiat, A evidenterque pandit jejunium per se solum non posse esse acceptum, nisi causas subsequentes habeat sibi adjunctas, dicen-
Is. LVIII, 6-9. do : Nonne hoc est jejunium quod elegi ? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, etc. ; tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis, et dicet, Ecce adsum. Videtis ergo quod Deus nequaquam judicet jejunium esse principale bonum, quoniam bonum est ac placitum Deo non per se ipsum, sed per alia opera; et rursus judicetur non solum vanum, sed B item odibile ex causis adjunctis, quum
Jer. XIV, 12. Dominus dicat : Quum jejunaverint, non exaudiam preces eorum.

CAPITULUM XV.

Quod principale bonum non debeat teneri aut fieri propter bonum inferius, sed econtra.

Misericordia namque, patientia, caritas, et ceterarum virtutum præce- C pta, in quibus principale bonum consistit, non sunt tenenda seu adimplenda propter jejunia, sed jejunia potius propter illa. Elaborandum est quippe ut virtutes, quæ veraciter bonæ sunt, acquirantur jejuniis, non ut actus virtutum illarum ad jejunium finaliter ordinentur. Ob hoc ergo utilis est afflictio, ob hoc assumenda est abstinentia seu inediæ medicina, ut per eas pervenire possimus ad contemplationis sinceritatem, in qua incessabile atque immobile bonum est animæ. Nec enim D medicina, aurificina, aut ceteræ artes practicæ exercentur propter instrumenta ad opus earum spectantia, sed ferramenta seu instrumenta præparantur potius propter hujusmodi artes : quæ instrumenta sicut utilia sunt peritis, ita superflua sunt his qui artes illas ignorant. Et sicut plurimum prosunt his qui utuntur eorum obsequio ad opus suum efficiendum, sic ignorantes cur instrumenta illa sint instituta, contenti sunt sola possessione eorum, nec possunt eis prodesse, quoniam utilitatem eorum constituunt in sola retentione, non in operis consummatione. Illud ergo est principaliter optimum, propter quod fiunt illa quæ media sunt; ipsum vero præcipuum bonum agitur non propter aliquam causam, sed propter propriam bonitatem.

CAPITULUM XVI.

Quomodo bonum principale discernatur a ceteris bonis.

Principale autem bonum a mediis per ista distinguitur : utpote si sit per se bonum, et non propter aliquid aliud; item si necessarium sit propter se, et non propter aliud aliquid; si immutabiliter ac semper sit bonum, et suam qualitatem perpetuo retinens, nec unquam possit converti in malum; si quoque cessatio ejus non possit non inferre summam perniciem, et si illud quod ei contrarium est, principale sit malum, nec possit laudabiliter fieri. Quæ principalium bonorum proprietates adscribi non valent jejuniis, quum non sint ex se ipsis bona, aut propter se necessaria; sed laudabiliter exercentur propter acquirendam animæ et corporis puritatem, quatenus exstinctis stimulis carnis, mens pacifica reconcilietur suo auctori. Nec sunt bona semper et immutabiliter, quia plerumque intermittimus ea absque peccato : imo importunius observata, vertuntur interdum in perniciem animæ. Denique id quod videtur jejunio esse contrarium, non est principale malum, puta perceptio ciborum naturaliter jucunda : quæ dici mala non potest, nisi eam sequantur intemperantia, luxuria, et alia consimilia vitia : quoniam non quod intrat Matth. XV, 11.
in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Hinc derogant principali bono, nec faciunt illud inculpabiliter ac perfecte, qui id exsequuntur non propter se, sed propter aliud aliquid. Omnia namque sunt facien-

A da gratia principalis boni, ipsum vero expetendum est propter se solum.

CAPITULUM XVII.

De ratione et utilitate jejunii.

RETINENTES igitur talem determinationem de qualitate jejunii, ita illud appetamus totis viribus cordis, ut sciamus illud esse nobis accommodum, si observentur in eo opportunitas temporis, qualitas et mensura; B nec ita ut in ipso figamus finem nostræ fiduciæ, sed ut per ipsum pertingere valeamus ad animi puritatem et apostolicam caritatem. Manifestum est ergo non principale bonum, sed medium esse jejunium, cui non solum sunt præfixa specialia tempora quibus fieri debet sive omitti, sed etiam modus et qualitas præstituti sunt ei. Ceterum quæ præcipiuntur ut bona, aut prohibentur ut noxia, nunquam sic subjacent temporum exceptioni, ut prohibita debeant aliquando fieri, aut jussa fieri debeant quandoque C omitti. Non enim aliquis modus statutus aut positus est justitiæ, patientiæ, sobrietati, pudicitiæ, caritati; nec unquam concessa est licentia aut libertas injustitiæ, impatientiæ, iræ, impudicitiæ sive superbiæ.

CAPITULUM XVIII.

Quod jejunium non sit semper conveniens.

D HIS ergo præmissis de qualitate jejunii, adjicienda est Scripturarum auctoritas, qua manifeste probetur quod jejunium nec possit nec debeat semper servari. Ut enim in Evangelio legitur, jejunantibus Pharisæis cum discipulis Præcursoris, quum Apostoli nondum servarent jejunia, utpote filii et convivæ sponsi cœlestis, conquesti sunt Christo discipuli Præcursoris, qui perfectionem justitiæ credebant se possidere de jejuniis, non de actibus caritatis (tanquam sectatores S. Joannis eximii prædicatoris pœnitentiæ, ita præbentis suo exemplo formam populis cunctis, ut non solum vitaret diversa genera ferculorum quæ humanis usibus ingeruntur, imo et esum panis penitus ignoraret); conquesti sunt igitur Christo dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? (*Matth.* IX, 14.) Quibus Christus respondens, evidenter ostendit jejunium non esse omni tempore congruum nec necessarium, ut quum festivitas aut interveniens occasio caritatis admittit indulgentiam refectionis. Nam ait : Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies quum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. (*Ibid.* 15.) Quæ verba quamvis protulerit propter* resurrectionem corporis sui, proprie tamen ostendunt Quinquagesimæ tempus, in quo Christo post resurrectionem epulante per quadraginta dies cum discipulis suis, gaudium quotidianæ præsentiæ ejus non sinebat illos jejunare.

* ante

CAPITULUM XIX.

Quæstio, cur per totam Quinquagesimam jejunium resolvatur.

GERMANUS : Cur ergo laxamus rigorem abstinentiæ tota Quinquagesima prandiis, quum Dominus noster Jesus Christus sit post resurrectionem cum discipulis commoratus tantum quadraginta diebus?

CAPITULUM XX.

Responsio ad quæstionem prædictam.

THEONAS : Interrogatio vestra non incongrua meretur agnoscere integerrimam veritatem quæsiti. Post ascensionem Salvatoris, quæ facta est quadragesima die a sua resurrectione, Apostoli reversi de monte Oliveti (in quo Christus ad Patrem ascendens præbuit se videndum, sicut lectio Actuum Apostolorum testatur), (*Act.* I, 9, 12.) ingressi sunt Jerosolymam, et per decem dies

exspectaverunt Spiritus Sancti adventum; A quibus expletis, susceperunt Spiritum Sanctum cum gaudio quinquagesima die, et ita per hæc impletus est Quinquagesimæ numerus. Quem in veteri quoque Testamento legimus figuraliter præsignatum, in (Deut. xvi, 10.) quo septem hebdomadibus consummatis, panis primitiarum jubebatur Deo offerri per sacerdotes, qui per Apostolorum prædicationem probatur Domino verissime immolatus, qua prædicatione leguntur Apo- (Act. ii, 4.) stoli populo sermocinati quinquagesima die illa : verus, inquam, panis primitia- B rum prolatus institutione suæ novæ doctrinæ, qui satiatis quinque millibus virorum munere cibi sui, consecravit Deo primitivum Christianorum populum de Judæis. Hinc quoque hi decem dies observandi sunt pari solennitate atque lætitia cum præcedentibus quadraginta diebus. Cujus festivitatis observantia seu institutio transmissa per apostolicos viros usque ad nos, eodem tenore servanda est. Ideo namque genua non curvamus in ipsis diebus, quia curvatio genuum signum est C luctus ac pœnitentiæ. Unde eamdem solennitatem custodimus per omnia illis diebus quam et die dominica, in qua majores nostri statuerunt nec genua esse flectenda nec jejunandum, propter dominicæ resurrectionis honorem.

CAPITULUM XXI.

Interrogatio, an relaxatio ista jejunii non obsit corporis castitati.

GERMANUS : Potestne caro nostra ille- D cta insolitis blandimentis tam longæ festivitatis non germinare aliquid perniciosum atque spinosum de fomite vitiorum, quamvis absciso, aut mens onerata dapibus ultra consuetudinem sumptis non inflectere castigationis rigorem circa corpus servile : præsertim quum viridior ætas cito ad rebellionem possit in nobis subdita membra compellere aut movere, si licentius præsumamus escas insolitas, aut certe abundantius capiamus solitas escas?

CAPITULUM XXII.

Responsio de servando continentiæ temperamento.

THEONAS : Si universa quæ gerimus rationabiliter examinemus, atque de puritate cordis nostri consulamus non aliorum judicium, sed conscientiam propriam, certum est quod intercapedo seu geminatio ista refectionis non possit obesse districtioni justæ aut discreto rigori, si mens incorrupta pari perpendens lance æquam mensuram relaxationis ac continentiæ, castiget ac vitet similiter nimietatem utramque; et vera discretione distinguat utrum pondus deliciarum deprimat spiritum nostrum, an vero major abstinentiæ rigor carnem nostram inclinet, ita ut comprimat aut sublevet partem illam quam extolli senserit vel gravari. Nam Dominus noster nihil vult fieri ad suum honorem et cultum absque moderatione discretionis, quoniam honor regis judici- (Ps. xcviii, 4.) um diligit. Ideo Salomon admonet ut in neutram partem declinemus, vergente seu deficiente discretionis judicio : Honora, (Prov. iii, 9, juxta LXX.) inquiens, Dominum de justis tuis laboribus, et deliba ei de fructibus justitiæ tuæ. Residet quippe in conscientia nostra judex quidam incorruptus ac verus, qui solus non fallitur de statu puritatis nostræ, aliis cunctis nonnunquam inde errantibus. Omni ergo cura ac diligentia jugi intentio circumspecti cordis servetur, ne judicio discretionis nostræ aliquo modo errante, succensi amore abstinentiæ inconsideratæ, aut illecti desiderio nimiæ remissionis, libremus substantiam virium nostrarum examinatione trutinæ inæqualis; sed collocantes puritatem animæ in lance una, et corporis vires in alia, ita pendamus ac ponderemus utrumque judicio conscientiæ vero, ut in neutram partem propensius inclinemus libram æqualitatis, corrupti præponderante unius partis affectu, quatenus nec ad immoderatam districtionem, nec ad nimiam remissionem flectamur, et

Gen. IV, 7, *juxta* LXX. propter alterum horum nobis dicatur : Nonne si recte offeras, recte autem non
Ps. XXXII, 5. dividas, peccasti? Nam ille qui diligit mi-
Is. LXI, 8. sericordiam et judicium, Ego (inquiens) diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto; exsecratur victimas illas jejuniorum quas extorquentes nobis inconsiderate violenta viscerum afflictione et convulsione, credimus nos Deo recte offerre. Nam sermo divinus condemnat velut operarios fraudulentos, illos qui præcipua oblationum, id est actuum et officiorum suorum, referunt et assumunt ad carnis suæ educationem ac proprium usum, et Domino deferunt minimam partem, id est
Jer. XLVIII, 10, *juxta* LXX. illorum reliquias. Scriptum est enim : Maledictus qui facit opera Domini negligenter. Non ergo immerito increpat Dominus eum qui ita se fallit iniquo examine, juxta
Ps. LXI, 10. illud : Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant, etc. Idcirco Apostolus admonet, ut retinentes moderamen discretionis, in neutram partem labamur nimietate illecti :
Rom. XII, 1. Rationabile, inquiens, obsequium vestrum. Quem excessum similiter prohibet Moy-
Lev. XIX, 36. ses, dicens : Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Quibus concordat quod Salomon lo-
Prov. XX, 10, *juxta* LXX. quitur : Pondus magnum et pusillum, et mensuræ duplices, immunda sunt apud Dominum utraque; et qui facit ea, in adinventionibus suis compedietur.

Insuper studere debemus non solum modo prædicto, sed etiam isto, ut non habeamus pondera iniqua in cordibus nostris, neque mensuras duplices in horreis conscientiæ nostræ : id est, ne remissius præsumamus ea quæ discretionis regulam laxant, et ne eos quibus prædicamus verbum Dei, obruamus districtioribus præceptis gravioribusque ponderibus quam ipsi nos ferre valemus. Quod dum facimus, quid nisi mercem frugemque Domini appendimus aut metimur duplici præceptorum mensura ac pondere? Si enim dispensemus ea aliter nobis, aliter fratribus nostris, increpamur juste a Domino, eo

A quod habemus stateras dolosas duplicesque mensuras, juxta sententiam Salomonis dicentis : Abominatio Domino pondus du- *Prov.* XX, 23, *juxta* LXX.
plex, et statera dolosa non est bona. Hoc quoque modo evidenter incurrimus reatum duplicis mensuræ ponderisque dolosi, si cupiditate laudis humanæ ostentemus coram Fratribus quædam districtiora quam exercere solemus privatim in cellulis nostris, cupientes abstinentiores sanctioresque apparere humano conspectui quam divino : quæ vanitas non solum est
B nobis vitanda, verum etiam summe abominanda. Sed interim paulo longius evagati a quæstione proposita, revertamur modo ad eam.

CAPITULUM XXIII.

De tempore et mensura refectionis.

Sic ergo servanda est solennitas prædictarum dierum, ut concessa remissio prosit magis quam noceat cultui sive pro-
C fectui carnis ac animæ, quia nec stimulus carnis, neque diabolus mitigatur gaudio alicujus festivitatis aut dierum honore. Ut ergo statuta solennitas consueta servetur festis diebus, et saluberrimus parsimoniæ modus minime transcendatur, sufficit ut indultam remissionem patiamur progredi usque ad id, ut cibus qui erat sumendus hora nona, capiatur paulo citius propter festum, utpote hora sexta, ea discretione ut solitus escarum modus aut qualitas non mutetur, ne puritas corporis et integri-
D tas mentis diligenter acquisitæ abstinentia quadragesimali, pereant Quinquagesimæ remissione, nihilque prosit nobis obtinuisse jejuniis quod mox perdatur saturitate incauta : præsertim quum et diabolica versutia non ignota, tunc præcipue puritatem nostram impugnet, quum ejus custodiam senserit relaxatam solennitate consueta. Quamobrem vigilantissime providendum est ne vigor mentis nostræ enervetur unquam seductionibus blandis, ne perdamus securitate ac requie Quinqua-

gesimæ puritatem castimoniæ acquisitam labore Quadragesimæ. Ideo nulla penitus adjectio admittatur in ciborum qualitate et modo; imo et in celeberrimis diebus temperemus ab escis, per quarum continentiam tuebamur integritatem pudicitiæ diebus profestis, ne festivitatis lætitia suscitans nobis perniciosissimam pugnam incentivorum carnalium, vertatur in luctum, atque eripiat nobis excellentiorem illam mentis festivitatem, quæ gaudio incorruptionis exsultat, et incipiamus post brevem carnalis lætitiæ vanitatem deflere longo pœnitentiæ mœrore pudicitiam cordis amissam. Quin imo laborandum ut prophetica illa admonitio non frustra dirigatur ad nos : Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua. (Nahum I, 15.) Si enim dierum solennitas interjecta non mutaverit continentiæ jugitatem, spiritualibus feriis semper fruemur; sicque cessantibus nobis a servilibus operationibus, erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato. (Is. LXVI, 23.)

CAPITULUM XXIV.

Interrogatio de diversa observatione Quadragesimæ.

GERMANUS : Quid causæ est ut Quadragesima per sex hebdomadas observetur, licet major forsitan cura religionis videatur septimam adjecisse hebdomadam in quibusdam provinciis, quum nullus numerorum illorum contineat dies quadraginta, subtracta die dominica ac sabbato? Nam in ipsis hebdomadibus includuntur tantummodo triginta et sex dies.

CAPITULUM XXV.

Responsio, quod jejunia Quadragesimæ referantur ad decimam anni.

THEONAS : Licet quorumdam pia simplicitas amputet hujus rei quæstionem, tamen quia scrupulosius inquirendo quæ alius reputasset quæstione indigna, desideratis agnoscere integram nostræ servitutis ac observantiæ veritatem, accipite evidentissimam rationem istius, ut certius approbetis quod majores nostri nihil irrationabile statuerunt. Generale præceptum promulgatum est universo populo in lege Mosaica : Decimas tuas et primitias offeres Domino Deo tuo. (Exod. XXII, 29.) Itaque qui jubemur offerre decimas possessionum et omnium fructuum nostrorum, multo magis necesse est ut offeramus decimas vitæ nostræ et usus humani, operumque nostrorum. Quæ evidenter implentur in Quadragesimæ computatione, quoniam numerus omnium dierum per quorum revolutionem annus completur, decimatur numero triginta sex semis dierum. Porro in septem hebdomadibus, si dies dominicales et sabbata subtrahantur, triginta quinque dies supersunt jejuniis deputandi. Porro adjecta die illa vigiliarum sabbati usque in gallorum cantum, illucescente dominica, non solum impletur numerus triginta sex dierum, verum etiam pro decimis quinque dierum residuis, computato superadjecto spatio noctis, nihil deerit plenitudini summæ totius, quæ supputatur pro decima anni.

CAPITULUM XXVI.

Qualiter debeamus Deo offerre primitias nostras.

QUID autem de primitiis dicam, quas certum est exhiberi quotidie ab omnibus qui Christo deserviunt? Expergefacti namque a somno, et quasi rediviva alacritate post soporem surgentes, dum ortus atque principia cogitationum suarum divinis consecrant holocaustis, seu Deo in holocaustum offerunt, antequam corde concipiant motum sensus ullius, vel admittant memoriam curamve rei familiaris, quid nisi primitias fructuum suorum vere persolvunt per summum sacerdotem Jesum Christum, pro usu vitæ præsentis atque imagine quotidianæ resurrectionis? Qui item suscitati a somno, offerentes simili-

ter Deo hostiam jubilationis, primo invocant eum motu propriæ linguæ, et nomen ejus laudesque concelebrant, et reserantes prima claustra labiorum suorum, immolant Deo officia sui oris. Denique pari modo offerunt ei prima libamina seu opera manuum gressuumque suorum, dum consurgentes de suis cubilibus, orationibus vacant, et antequam fungantur membrorum suorum officiis in propriis causis, movent actum ac gressum suum ad Dei honorem, atque in ejus laudatione se figunt; et ita persolvunt primitias omnium motuum suorum, manuum extensione, genuum incurvatione, totiusque corporis prostratione.

Nec aliter implere valemus id Psalmi : Præveni in maturitate, et clamavi, quia in verba tua supersperavi; et, Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua ; et, Mane oratio mea præveniet te; nisi ut post somnum evigilantes, et revocati in hanc lucem quasi ex quadam caligine et imaginaria seu similitudinaria morte, nihil audeamus præsumere de universis officiis mentis et corporis primo in nostras necessitates. Nullus namque est alius quem Propheta mane prævenerit, aut nos prævenire similiter debeamus, nisi Deus, cui primo offerre debemus nos ipsos, atque ad ejus honorem referre occupationes, affectiones et curas nostras, sine quibus esse nequimus; aut subtilissimi inimici suggestiones, quas inferre conatur nobis adhuc dormientibus per phantasias inanium somniorum, quibus occupet et involvat nos statim dum evigilamus, ut deflorans exordia atque divitias primitiarum nostrarum, decerpat primitus eas. Cautissime ergo curare debemus, si tamen cupimus adimplere vim præfati versiculi, ut solers vigilantia taliter tueatur primos ortus matutinarum cogitationum, ne festina præsumptio inimici contaminet quid ex eis, faciatque primitias nostras reprobari a Deo tanquam communes et viles. Qui si a nobis præventus non fuerit pervigili mentis circumspectione, non desinet nos prævenire fraudibus suis quotidie, utpote non deponens consuetudinem præventionis suæ nequissimæ.

Ps. cxviii, 147. *Ibid.* 148. *Ps.* lxxxvii, 14.

Propterea si Deo offerre optamus placitas acceptabilesque primitias ex fructibus nostræ mentis, non mediocriter solliciti esse debemus ut omnes sensus corporis nostri servemus, præcipue in matutinis, tanquam sacrosancta holocausta in omnibus illibata atque intacta. Quam devotionem custodiunt multi etiam sæculares cum summa cautela, qui consurgentes ante lucem sive diluculo, nequaquam se implicant familiaribus necessariisque operibus hujus mundi, nisi prius ad ecclesiam concurrentes, studeant consecrare et offerre divino conspectui primitias actionum suarum.

CAPITULUM XXVII.

Cur Quadragesima a plerisque observetur diverso numero dierum.

AMPLIUS, quod dicitis Quadragesimam observari per diversas provincias more diverso, videlicet per sex aut septem hebdomadas; attamen una ratio idemque modus jejuniorum concluditur seu impletur observatione hebdomadarum diversa. Hi namque qui die sabbati æstimant jejunandum, instituerunt observantiam sex hebdomadarum. Sexies enim in septimana jejunant, qui consumunt seu jejunando expendunt dies triginta*, et eosdem sex dies sexies revolutos. Una ergo est ratio idemque modus jejuniorum, quamvis discrepare videantur in numero hebdomadarum.

* triginta sex, id est...

CAPITULUM XXVIII.

Quare vocetur Quadragesima, quum jejunetur triginta et sex diebus.

SED quum humana negligentia amovisset hujus rei rationem, tempus hoc quo offeruntur Deo decimæ annorum triginta et sex semis jejuniis, dictum est Quadragesima forsitan ideo, quia Moyses et Elias, imo et Christus, quadraginta die-

Exod. xxxiv, 28. III *Reg.* xix, 8. *Matth.* iv, 2.

bus jejunaverunt. Ad cujus rei sacramen-
Deut. XXIX, 5. tum non immerito coaptantur quadraginta anni quibus populus Israel commoratus est in deserto, et quadraginta mansiones quibus viam illam pertransierunt. Et forsitan decimatio ipsa Quadragesimæ nomen recte accepit, quasi quodam telonei abusu. Sic namque vulgo vocatur publica illa exactio ex qua portio tanta lucri deputatur commodis regis, quantum a nobis exigitur legitimum Quadragesimæ vectigal a Rege omnium sæculorum pro usu hujus vitæ nostræ præsentis.

Præterea, quamvis non spectet ad propositam quæstionem, quoniam tamen occasio narrationis se obtulit, prætereundum esse non puto, quod seniores nostri frequentissime testabantur universos monachos maxime a dæmonibus impugnari illis diebus, et acrius perurgeri ad transmigrandum de sedibus suis : eo quod sicut Ægyptii tunc urgebant filios Israel afflictionibus violentis, nunc quoque intellectuales Ægyptii, scilicet dæmones, incurvare conentur verum Israelem, id est multitudinem monachorum, operibus duris et lutulentis, id est carnalibus vitiis, ne deserentes terram Ægyptiam, id est sæculum nequam, per quietem Deo amicam transeamus salubriter ad eremum solitudinemque virtutum, ita ut Pharao contra nos
Exod. v, 8, 9, juxta LXX. fremens, dicat : Otiosi sunt, idcirco vociferantur, dicentes, Eamus, et sacrificemus Domino Deo nostro ; opprimantur laboribus, et solliciti sint in operibus suis, et non sint solliciti in verbis vanis. Impii quippe affirmant sanctum sacrificium Dei, quod non offertur nisi in eremo liberi cordis, esse maximam vanitatem. Abominatio enim est peccatori religio.

CAPITULUM XXIX.

Quod perfecti supergrediantur Quadragesimæ legem.

Qui autem perfectus et justus est, non tenetur hac Quadragesimæ lege, neque contentus est subjectione hujus exi-
A guæ actionis, quam principes Ecclesiarum statuerunt illis qui toto anno implicantur deliciis sæcularibusque negotiis, ut constricti quodammodo hac observatione legali, vacent Deo saltem diebus istis, et offerant Deo decimas dierum vitæ suæ, quas totas fuerant devoraturi veluti quosdam fructus. Ceterum justi, quibus non est lex I Tim. I, 9.
posita, qui per spiritualia obsequia Deo impendunt ac offerunt non modicam illam partem, videlicet decimam, sed totum tempus vitæ suæ, quoniam liberi sunt a
B decimarum legalium functione seu persolutione, idcirco si superveniens sancta et honesta necessitas eos arctaverit, audent laxare jejunium absque disceptatione. Non enim exiguitas decimarum ab eis exigitur qui se et omnia sua Deo pariter obtulerunt. Quod ille non poterit facere absque maxima fraude, qui nihil voluntarie offerens Deo, inexcusabiliter obligatur legis præcepto solvere decimas suas. Hinc clare probatur servum legis non posse esse perfectum, qui prohibita cavet aut jussa ex-
C sequitur, sed illi vere perfecti sunt qui non utuntur rebus a lege concessis. Et hac ratione legimus quosdam patres veteris Testamenti fuisse perfectos, quamvis de Moysis lege dicatur, Nihil ad perfectum Hebr. VII, 19.
adduxit lex : quoniam transcendentes legis imperium, secundum evangelicam perfectionem vixerunt, scientes quod justis non I Tim. I, 9.
est lex posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis.

D

CAPITULUM XXX.

Qualiter instituta fuerit observantia Quadragesimæ.

Sciendum quoque quod observatio Quadragesimæ instituta non fuit, quamdiu perfectio primitivæ Ecclesiæ inviolata permansit. Non enim claudebantur obligatione hujus præcepti aut quasi legali sanctione terminis jejuniorum arctissimis, qui totum annum concludebant et expendebant æquali jejunio. Sed quum multitu-

do credentium ab apostolica illa devotione discedens, insisteret propriis opibus, nec *Act.* IV, 35. eas divideret usui cunctorum fidelium secundum apostolica instituta : imo consulens privatis expensis et commodis suis, non solum servaret, sed item augere studeret, non contenta sequi exemplum Ananiæ et Saphiræ; tunc placuit sacerdotibus universis, ut saltem canonica jussione jejuniorum revocarent ad opus sanctum homines curis sæcularibus alligatos, et pene (ut sic loquar) ignaros continentiæ et compunctionis, et eos quasi compellerent necessitate legalium decimarum, quæ possit prodesse infirmis, sed præjudicare non possit perfectis, qui sub Evangelii gratia constituti, transcendunt legem devotione spontanea, ut pervenire valeant ad complementum apostolicæ illius sententiæ : *Rom.* VI, 14. Peccatum vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia. Peccatum namque exercere vere non potest dominationem in illo qui dominatur affectibus vitiorum.

CAPITULUM XXXI.

Quomodo intelligendum sit quod ait Apostolus : Peccatum vobis non dominabitur.

GERMANUS : Quia sententia ista Apostoli fallax esse non potest, quæ generaliter repromittit securitatem non monachis tantum, imo omnibus Christianis, ideo videtur nobis esse valde obscura. Quum enim affirmet cunctos qui Evangelio credunt, esse alienos a dominatione et jugo peccati, quomodo dominatio vitiorum viget pene in omnibus baptizatis, juxta sen- *Joann.* VIII, 34. tentiam Christi dicentis : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati?

CAPITULUM XXXII.

Responsio ad hæc; et de differentia præceptorum legis et Evangelii.

THEONAS : Inquisitio vestra rursus proponit quæstionem non modicam, quam A tentabo, quantum potero, solvere et breviter expedire, quamvis sciam vim ejus non posse tradi nec percipi ab inexpertis : quam percipietis, si jam intellectus vester operibus subsequatur ea quæ dicimus. Quæcumque enim cognoscuntur non per doctrinam, sed per experientiam, sicut non possunt tradi sive doceri ab inexperto, ita non queunt intelligi aut teneri, nisi ab eo qui fuerit fundatus simili institutione ac studio. Hinc necessarium reor ut primo diligentius inquiramus quæ sit vo- B luntas aut quod propositum legis, et quæ sit disciplina atque perfectio gratiæ seu Evangelii, ut consequenter possimus agnoscere dominationem seu expulsionem peccati.

Itaque lex principaliter jubet expeti et iniri copulam nuptiarum, dicendo : Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Israel; et, Maledicta sterilis quæ non peperit. Econtrario gratia seu Evangelium nos invitat ad incorruptionem perennem castimoniamque virginitatis beatæ : Bea- C tæ, inquiens, steriles, et ubera quæ non lactaverunt; et, Qui non oderit patrem, et matrem, et uxorem, non potest meus esse discipulus; illud quoque Apostoli : Reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint. Lex insuper dicit : Decimas tuas et primitias non tardabis offerre; Evangelium autem : Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Denique lex non prohibet talionem convitiorum et injuriarum vindictam, dicens : Oculum pro oculo, den- D tem pro dente; Evangelium vult patientiam nostram probari cum geminatione injuriæ cædisve irrogatæ, atque ad duplicis adversitatis perpessionem hortatur nos esse paratos, quum ait : Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram; et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Lex dictat inimicos odio esse habendos; Evangelium diligendos, in tantum ut doceat pro illis esse orandum.

Is. XXXI, 9, juxta LXX. *Cf. Exod.* XXIII, 26. *Luc.* XXIII, 29. *Ibid.* XIV, 26. *I Cor.* VII, 29. *Exod.* XXII, 29. *Matth.* XIX, 21. *Exod.* XXI, 24. *Matth.* V, 39, 40. *Ibid.* 43. *Ibid.* 44.

CAPITULUM XXXIII.

Quod leviora sint Evangelii præcepta, quam legis.

QUICUMQUE ergo ascenderit culmen evangelicæ perfectionis, cognoscit se esse tantum sub gratia Salvatoris : utpote super legem sublimatus meritis tantarum virtutum, despiciens universa præcepta per Moysen tanquam parva, intelligens se adjutorio Salvatoris ad statum illum sublimissimum pervenisse. Non ergo domi- B
Rom. v, 5. natur in eo peccatum, quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; quæ caritas excludit omnem affectum cujuscumque alterius rei. Non autem potest concupiscere vetita aut contemnere jussa, cujus totum studium totumque desiderium semper intentum est divino amori, et in tantum non capitur delectatione vilium rerum, ut etiam non utatur rebus concessis.

Porro in lege, ubi conjugalis fides servatur, aculei carnalis concupiscentiæ ne- C queunt non vigere, quamvis libido cohibita mancipetur uni tantummodo feminæ; estque difficile ut ignis cui pabula applicantur, ita præfixis terminis includatur, ut non extra se extendendo comburat quidquid tetigerit. Cui etsi suum objectum ita semper occurrat, ut non sinatur extra ardere, tamen incendit etiam dum cohibetur; quia voluntas ipsa culpabilis est, et consuetudo concubitus velocissime rapitur ad adulteriorum excessus. Ceterum hi quos gratia Salvatoris accenderit sancto D integritatis amore, ita consumunt igne caritatis divinæ spinas omnium desideriorum carnalium, ut nec tepens vitiorum favilla refrigerium integritatis diminuat. Famuli igitur legis labuntur ad illicita usu actuque licitorum, sed participes gratiæ seu ministri Evangelii dum licita vitant, illicita non committunt.

Interea sicut peccatum vivit in conjugii amatore, ita et in eo qui contentus est reddere decimas et primitias suas dumtaxat.

A Necesse enim est eum dum tardat aut negligit, peccare in qualitate, aut quantitate, aut quotidiana distributione. Qui enim jubetur infatigabiliter ministrare ea quæ sua sunt indigentibus, difficile est ut non frequenter incurrat laqueos vitiorum, quantumcumque magna devotione et summa fide ea dispenset. Peccatum autem illis dominari non potest qui Christi consilium non spreverunt, sed omnem substantiam suam pauperibus erogantes, et crucem su- Matth. xvi, 24.
am sumentes, subsequuntur gratiæ largi- B torem. Non enim infidelis cura victus servandi mordebit dispensantem Christo opes sacratas, et pia distributione erogantem suas pecunias veluti alienas; nec ambiget de eleemosynæ largitate exspectatio tristis : quia quod semel obtulit Deo totum, id jam dispergit ut alienum absque propriæ necessitatis recordatione aut modici victus timore, qui certus est se nutriendum esse a Deo multo plus quam volucrem cœli, quum Ibid. x, 31.
ad desideratam pervenerit paupertatem aut nuditatem. Econtrario is qui retinens C substantiam hujus mundi, et lege antiqua constrictus distribuit decimas fructuum suorum atque primitias pecuniarumve partem, quamvis valde exstinguat hoc rore Eccli. III, 33.
eleemosynæ ignem peccatorum suorum, tamen quantumcumque magnanimiter opes dispenset, impossibile est ut plene se eruat a dominatione peccati, nisi forte per gratiam Salvatoris deposuerit cum re etiam ipsum possidendi affectum.

Conformiter, non potest non servire cruento peccati imperio, quicumque vult ex D legis præcepto eruere oculum pro oculo, Exod. XXI, 24.
aut dentem pro dente, aut inimicum odire : quia necesse est eum accendi perturbatione furoris aut iræ, dum cupit suam ulcisci injuriam talione, dum contra inimicos suos amaritudinem servat per diem. Quicumque ergo versatur sub illuminatione evangelicæ gratiæ, superans malum non resistendo, sed patienter ferendo, non moratur sponte præbere dexteram maxil- Matth. v, 39, 40.
lam percutienti, etiam alteram, dimittitque pallium volenti contra se movere liti-

Matth. v, 44. gium pro tunica : diligens inimicos et pro calumniatoribus orans, iste repulit jugum peccati, et vincula ejus dirupit. Non enim vivit sub lege, quæ non perimit seminaria vitiorum (unde non immerito Apostolus Hebr. vii, 18, 19. ait de ea, Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex; et Dominus loquitur per Prophetam, Ezech. xx, 25. Dedi eis præcepta non bona, et justificationes in quibus non vivent), sed talis vivit sub gratia, quæ amputat non solum ramos nequitiæ, sed omnino evellit radices noxiæ voluntatis.

CAPITULUM XXXIV.

Qualiter quis probetur esse sub gratia.

QUI ergo studuerit observare evangelicæ perfectionem doctrinæ, non premitur dominatione peccati, utpote constitutus sub gratia. Hoc namque est sub gratia esse, ea quæ mandat gratia adimplere. Quicumque ergo noluerit esse subjectus plenitudini evangelicæ perfectionis, C sciat se non esse sub gratia, sed præpeditum adhuc vinculis legis (quamvis videatur sibi baptizatus ac monachus), si peccati pondere prægravetur. Propositum Matth. v, 17. est enim Christi, superædificare et adimplere Mosaicas jussiones. Quod quidam penitus ignorantes, et negligentes magnificentiam consiliorum exhortationumque Christi, ita resolvuntur securitate libertatis præsumptuosæ, ut non solum Christi præcepta non attingant nec impleant tanquam ardua, imo et spernant ea quæ Mosaica le- D ge mandata sunt eis velut incipientibus et pusillis; quæ aspernantur veluti antiquata, dicentes libertate periculosa illud Apo- Rom. vi, 15. stoli : Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Qui ergo non est sub gratia, quoniam non ascendit culmen doctrinæ Christi, neque sub lege, quia non suscipit parvula legis præcepta, oppressus est duplici vitiorum imperio, atque ob hoc solum credit se percepisse gratiam Salvatoris, ut fiat ab eo per libertatem noxiam

A alienus, cadens in id quod Petrus apostolus docet esse cavendum, dicendo : Quasi liberi, et non quasi velamen habentes I Petr. ii, 16. malitiæ libertatem; Paulus quoque : Vos, inquit, in libertatem vocati estis, fratres, Galat. v, 13. (ut scilicet absoluti sitis a damnatione culparum) tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, id est, evacuationem legalium præceptorum non credatis esse peccandi licentiam. Porro quod ista libertas non sit nisi ubi Dominus per gratiam commoratur, docet Paulus quum ait : B Dominus Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. II Cor. iii, 17. Quapropter ignoro an potuerim elucidare atque exprimere istum beati Apostoli sensum, sicut hi sapiunt qui sunt experti; unum apertissime scio, videlicet sensum illum omnibus reserari, etiam sine expositione cujusquam, qui tenuerint actualem scientiam seu practicam disciplinam insistendo exstirpationibus vitiorum. Non enim laborabunt ad intelligendum id quod didicerint operando.

CAPITULUM XXXV.

Cur acrius impugnemur carnalibus incentivis dum jejunamus.

GERMANUS : Clarissime solvisti obscurissimam quæstionem, atque ut æstimamus, multis incognitam. Unde precamur ut hoc quoque adjicias nostro profectui, et diligenter declares cur sæpe acriores pugnæ excitentur in nobis, quando propensius jejunamus et magis exhausti deficientesque sumus. Nam sæpe quando evigilamus et invenimus nos in somno pollutos, ita dejicitur conscientia nostra, ut non audeamus fiducialiter ad ipsam orationem consurgere.

CAPITULUM XXXVI.

Responsio, quod hæc quæstio reservanda sit futuræ collationi.

THEONAS : Studium vestrum quo desideratis non transitorie, sed perfecte ac plene attingere viam perfectionis, provo-

cat nos huic collationi infatigabiliter inhærere. Diligenter namque inquiritis, non de exteriore castimonia et circumcisione aperta, sed de occulta et interiore : scientes plenitudinem perfectionis non esse in continentia carnis visibilis, quæ haberi potest a perfidis per necessitatem sive hypocrisim; sed in illa cordis voluntaria ac invisibili puritate, de qua ait Apostolus : Rom. II, 28, 29. Non enim qui in manifesto Judæus, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in occulto Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo; qui utique solus rimatur secreta cordis.

Tamen quoniam modo non potest plene satisfieri desiderio vestro (etenim breve residuum noctis non sufficit ad indagandam hanc obscurissimam quæstionem), congruum reor ut interim differatur. Quemadmodum enim ista a nobis sunt proferenda sensim et corde penitus absoluto ab omni strepitu cogitationum extranearum, ita etiam intimanda sunt sensibus vestris : quæ sicut oportet inquiri propter conscientiæ purificationem, ita tradi et edoceri non possunt nisi ab eo qui donum seu virtutem integritatis expertus est. Non enim quæritur quid ingerant argumenta verborum inanium, sed quid interna fides conscientiæ et major vis veritatis inculcent aut imprimant. Ideo nihil potest proferri de sciencia et doctrina emundationis istius nisi ab experto; nec aliquid inde potest transfundi, nisi in cupidissimum et valde sollicitum amatorem virtutis, qui cupiat ea attingere non suscitando nudis vacuisque sermonibus, sed nitendo totis animi viribus : utpote non studio loquacitatis infructuosæ, sed desiderio purificationis internæ.

COLLATIO XXII

(Abbatis Theonæ secunda)

DE NOCTURNIS ILLUSIONIBUS.

CAPITULUM PRIMUM.

A

De reditu nostro ad abbatem Theonam.

POST dies fere septem, solennitate Quinquagesimæ jam transacta, post vespertinam synaxim suspensi exspectatione collationis promissæ, quum fuissemus regressi ad cellulam S. Theonæ, alacer senex prior appellans nos hilari vultu ac blando sermone, dixit : Mirabar quod ardentissimum studium vestrum potuit per septem dies B differre responsionem propositæ quæstionis, et quod tantam dedistis dilationem debitori vestro etiam non roganti. Nunc ergo justissimum est, ut quoniam pietas vestra præstitit sponte tantas inducias mihi, ego nunc sine mora debitum solvam. Grata namque est occupatio fœnoris hujus, quæ majora acquirit augmenta dum solvitur; nec solum ditat accipientem, sed et nihil minuit largienti. Dispensator quippe spiritualium rerum congregat quæstus duplices : quia consequitur lucrum non C solum in audientis profectu, sed etiam in propria sermocinatione, accendens ad perfectionis desiderium non minus se ipsum, dum instruit auditorem. Hinc ardor vester est meus profectus, et vestra sollicitudo est mea compunctio. Nam et ego nunc mente teperem, nec aliquid corde tractarem de his quæ petitis, nisi fervor vester et exspectatio excitaret me quodammodo dormitantem ad considerationem spiritualium rerum. Ideo, si videtur, quæstio vestra proferatur in medium, cujus solutionem D distulimus pro angustia temporis.

CAPITULUM II.

Repetitio quæstionis præmissorum.

HOC, ni fallor, interrogastis, cur remissius jejunantes stimulemur interdum levioribus motibus carnis, atque districtius abstinentes incitemur vicissim acrioribus incentivis, corpore jam exhausto atque afflicto; ita ut evigilantes reperiamus nos aliquando respersos naturalium effusione humorum, quemadmodum fassi estis.

CAPITULUM III.

Responsio ad hanc quæstionem.

MAJORES nostri assignarunt triplicem causam infestationis istius, cur accidat illusio aut effusio ista obscena in somno. Primo enim causatur ex superfluitate escarum; secundo, elabitur per mentis incuriam; tertio, provocatur insidiis atque illusionibus inimici. Primo itaque vitium gulæ extrudit redundantiam istam fœdi humoris. Nam et dum polluit statum puritatis tempore abstinentiæ districtioris, non fit hoc de præsenti inedia, ut putatis, sed de immoderantia saturitatis præteritæ. Quod enim collectum fuerit in medullis per voracitatis ingluviem, necesse est egeri per inadvertentiam aut pruritum corporis quamvis magno jejunio tabefacti. Quamobrem abstinendum est non solum a lautioribus epulis, imo et æquali moderamine continere oportet a vilioribus cibis. Satietas quoque panis et aquæ vitanda est, ut acquisita puritas corporis possit in

nobis manere diutius, et mutari quodammodo in intemeratam animæ castitatem; quamvis oporteat nos fateri quosdam rarius sordidari hoc fluxu absque ulla mentis suæ industria, vel per temperiem corporum, aut per ætatis maturitatem. Sed minoris est meriti qui consequitur pacem securitate inerti, majoris vero qui promeretur triumphum virtutibus gloriosis. Pœnitentia* namque istius sic pugnando vincentis debellatrix omnium vitiorum, digna est admiratione; illum autem quem facilitas boni tuetur in sua ignavia, judico magis dicendum esse securum quam collaudandum.

* Potentia

Secunda causa illius impuri profluvii est, si mens vacuata a spiritualibus actibus, nec instituta spiritualibus disciplinis ac studiis, obduxerit sibi quemdam pigritiæ situm ac habitum per torporis continui usum, aut sordidarum cogitationum minutias non cavendo, tam segniter concupiscit sublimissimam cordis puritatem, ut omnem summam puritatis ac castimoniæ credat consistere in sola exterioris hominis castigatione. Cujus erroris atque vecordiæ vitio accidet, ut non solum multimoda evagatio cogitationum inverecunde procaciterque introeat mentis suæ secretum, sed et semina omnium pristinarum passionum perseverent in ea. Quibus in ea latentibus, quamvis corpus castigetur jejunio rigoroso, nihilo minus inquietant illecebrosis phantasmatibus dormientem: quorum illusione eliciuntur obsceni humores ante legitimum tempus, non necessitate naturæ, sed ex fraude nequitiæ; qui humores penitus cohiberi nequeunt corporis inanitate, sed potius circumspectione virtuteque cordis perducuntur, auxiliante gratia Dei, ad simplicem illam qualitatem egestionis. Idcirco discursus sensuum sunt refrenandi in primis, ne mens assuefacta excessibus istis, pertrahatur in somniis ad incitamenta luxuriæ fœdiora.

Tertia fœditatis istius causa est, dum contritione mentis et corporis optamus ac-

A quirere perpetuam castimoniæ puritatem per ordinatam atque sollicitam continentiæ disciplinam, et tamen fraudulentissimi hostis invidia ita impugnat nos utilitati carnis ac spiritus egregie consulentes, ut dum conatur dejicere fiduciam conscientiæ nostræ, nosque humiliare quasi quodam reatu culpæ, polluit nos simplici illius humoris effluxione absque carnis pruritu et mentis consensu, et sine omni illusione phantasmatum, præsertim illis diebus quibus Deo placere desideramus
B merito integritatis majore, ut a sacrosancta communione nos retrahat; licet ista illusio evenire credatur in quosdam incipientium, quorum corpora nondum extenuata sunt longa jejuniorum castigatione, diabolo operante hoc ipsum, quatenus dum cognoverit eos intensioribus studere jejuniis, subvertat omnes eorum conatus hac arte: ut dum sentiunt se nihil profecisse ad corporis puritatem districtiore jejunio, sed magis esse tentatos, perhorrescant districtionem abstinentiæ tanquam
C æmulam, quum tamen sit incorruptionis magistra puritatisque nutrix.

Ideo agnoscamus quod debeamus nos ab unoquoque vitio expurgare, non ideo tantum quoniam occupat sensum perturbationibus suis, sed et ideo quia non contentatur se solum dominari, imo multiplici captivitate depopulatur mentem sibi subjectam, intromisso duriore omnium vitiorum collegio. Hinc vincenda est passio gulæ, non propter se tantum, videlicet ne corrumpat nos onerosa voracitate, nec pro-
D pter hoc solum, ne succendat nos igne concupiscentiæ sensualis; sed etiam ne faciat nos esse mancipia seu ministros iræ, furoris, tristitiæ et reliquarum omnium passionum. Si enim vincimur gula, consequens est ut etiam incitemur stimulis iræ, dum cibus aut potus ministratur nobis negligentius, aut minus, vel tardius. Rursus delectari non possumus voluptuosis saporibus absque avaritiæ vitio, per cujus superfluos apparatus gaudet luxuria sumptibus seu impendiis magnis. Porro vana

gloria, superbia, multitudo quoque omnium vitiorum individua societate junguntur; sicque unumquodque vitium, quum cœperit solum vigere in nobis, præstat etiam aliis vitiis incrementa.

CAPITULUM IV.

Quæstio, an liceat pollutis illusione nocturna ad sacram communionem accedere.

GERMANUS: Credimus ex divina ordinatione motam esse hanc quæstionem, ut audeamus fiducialiter sciscitari, provocati opportunitate ac ordine collationis, quod nunquam potuimus discere, verecundia prohibente fiduciam inquirendi. Si ergo senserimus nos pollutos somni illusione tempore accedendi ad sacrosancta mysteria, an perceptio sacramenti sit vitanda, an accipienda?

CAPITULUM V.

Responsio, quando culpabilis sit passio aut illusio dormientis.

THEONAS: Studere debemus, quantum in nobis est, cum omni industria, ut teneamus inviolatam castimoniæ puritatem tunc maxime, quando optamus adsistere venerandis altaribus; et vigilantissima circumspectione cavendum est, ne emaculatio carnis ante custodita inquinetur, præcipue nocte præcedente, dum accedere nos oportet ad communionem cœlestis convivii. Porro si hostis ille nequissimus deceperit custoditam sopitamque mentem, ut subtrahat nobis medicinam cœlestis remedii, ita ut corpus contaminet non interveniente pruritu quocumque reprehensibili aut delectationis assensu: sic ut ad impediendam sanctificationem nostram obtenderit effusionem illam naturali necessitate exortam, aut impugnatione diaboli procuratam absque voluptatis consensu, possumus et debemus confidenter accedere ad sacram communionem. Si autem pollutio ista contingat vitio nostro, examinantes conscientiam nostram vereamur illud Apostoli: Qui manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum primum homo, et sic manducet de pane illo et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini, id est, non discernens cibum illum cœlestem a vilitate escarum communium, nec judicans eum esse talem, quem non licet accipere nisi pura mente et carne. Denique Apostolus infert, Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi: insinuans multas spirituales infirmitates ac mortes specialiter generari ex præsumptione hujusmodi. Multi quippe accipientes hunc panem persumptione illicita, infirmantur in fide et imbecilles sunt mente, involuti passionum suarum languoribus; et dormiunt somno peccati, non resurgentes sollicitudine salutari ab hoc sopore letali. Deinde subjungit: Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, id est, si judicaremus nos indignos perceptione sacramentorum quotiescumque mortaliter peccamus, adhiberemus utique diligentiam et conatum, ut per pœnitentiæ emendationem possemus ad ea digne accedere, et non castigaremur tanquam indigni et rei severissimis infirmitatum flagellis; ut ita compuncti recurramus ad remedia vitiorum nostrorum, ne indigni habiti brevissima vitæ præsentis correctione, damnemur in futuro cum amatoribus hujus mundi. Quod et in Levitico evidenter præcipitur: Omnis mundus manducabit carnes; et anima quæcumque comederit de carnibus sacrificii salutaris quod est Domini, in qua est macula, peribit coram Domino. In Deuteronomio quoque omnis immundus mystice segregari jubetur de castris, quum dicitur: Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam lave-

I Cor. xi. 27-29. — Ibid. 30. — Ibid. 31. — Lev. xxii, 3, juxta LXX. — Deut. xxiii, 10, 11.

tur aqua; et post solis occasum regredietur in castra.

CAPITULUM VI.

Quod interdum operatione diaboli contingat illusio illa.

SED ut manifestius comprobemus quod impuritas ista eliciatur interdum operatione diaboli, novimus Fratrem, qui quum jugiter possideret ceteris diebus castimoniam cordis et corporis acquisitam summa circumspectione, nec nocturnis illusionibus tentaretur, quotiescumque tamen paravit se ad sacram communionem, inquinabatur in somno fluxu immundo. Quumque diu abstinuisset a sacris mysteriis, tandem detulit quæstionem istam ad seniores, confidens se consecuturum remedium impugnationis ac doloris sui ipsorum consilio. Qui quum discuterent primam causam inquinationis istius, quæ ex ciborum abundantia oritur, et agnoscerent eam non habere locum in Fratre præfato (ejus sobrietas rigorosa cunctis constabat; illis quoque diebus solennibus quibus sic illudebatur, major abstinentia fuit), tunc transtulerunt se ad inquirendum an fœditas illa processerit ex secunda causa talium pollutionum: hoc est, an caro exhausta jejuniis sic macularetur ex animæ culpa seu negligentia, propter quam etiam abstinentissimi viri sic illuduntur, quum fuerint de sua puritate inaniter gloriati aut parum elati, eo quod æstimaverint se obtinuisse propriis viribus præcipuum Dei donum, utpote corporis castitatem. Interrogaverunt itaque Fratrem an putaret se per propriam industriam sine auxilio gratiæ Dei consequi posse corporis castitatem. Qui dum summa detestatione exsecraretur talem opinionem, affirmans humiliter non potuisse se ceteris diebus puritatem istam tenere, nisi in omnibus fuisset gratia Dei adjutus, Patres recurrerunt ad tertiam causam, pensantes quod illusio illa fuisset ex fraude diaboli : propter quod confidentissime censuerunt Fratrem debe- A re ad communionem accedere, ne perdurando in privatione sacramenti dignissimi, obligaretur versutis laqueis hostis maligni, nec particeps esse posset sanctificationis corporis Christi, atque per hoc fraudaretur perpetuo medicina remedii salutaris. Quo facto, ita patefacta est fraus inimici, ut consuetudo illusionis præteritæ, mox cessaret, virtute dominici corporis operante. In quo dolus diaboli evidenter apparuit, sententia quoque seniorum declarata est ac probata, qui dixerunt impurissimum flu- B xum istum vicissim contingere non vitio carnis aut animæ, sed diaboli ludificatione.

CAPITULUM VII.

Qualiter fluxus iste immundus frenetur.

UT ergo fallax imaginatio somniorum provocans prætactam effusionem impuram ignoretur perpetuo, aut certe per aliquos menses (ut sic loquar secundum communem humilioremque statum), vitanda est superfluitas cibi ac potus, præ- C supponendo in primis fideliter quod puritatem hanc sperare debemus de speciali gratia Dei. Necesse est enim humores illos copiosius gigni ex redundantia alimenti, et quia necesse est tales humores aliquando egredi lege utique naturali, hinc effluunt sub occasione cujuscumque illusionis atque pruritus. Porro satietate escarum potuumque subtracta, necesse est emanationes illas immundas tardius evenire; sicque fit ut sicut fluxus, ita et illusio inquietet dormientes rarius sive subtilius, quia non D solum effusio procedit ex imaginatione, sed imaginatio quoque causatur ex effusionis nimietate.

Quamobrem si volumus liberari ab illecebris illusionum istarum, tota virtute conari debemus in primis, quatenus passione fornicationis devicta, non regnet pec- *Rom.* VI, 12.
catum in mortali corpore nostro ad obediendum concupiscentiis ejus, ut docet Apostolus. Secundo, ut motu corporis illecebroso seu libidinoso prorsus sedato ac sopito, nequaquam exhibeamus mem- *Ibid.* 13.

bra nostra arma iniquitatis peccato. Tertio, ut etiam interiore homine nostro omnimode atque medullitus mortificato a stimulatione libidinis, exhibeamus nos Deo (Rom. VI, 13.) tanquam ex mortuis viventes, et ita per hunc profectum pervenientes ad jugem corporis nostri quietem, exhibeamus membra nostra non jam libidini, sed Deo et æquitati. Quumque fundati fuerimus in hujusmodi castimoniæ puritate, peccatum non dominabitur in nobis. Non enim sumus sub lege, quæ dum commendat licita jura ac fœdera nuptiarum, nutrit et conservat in nostris medullis etiam illum ardorem cujus instigatione opus illicitæ fornicationis committitur; sed sumus sub gratia, quæ dum incorruptionem virginitatis collaudat, interimit etiam innoxium ac simplicem corporis motum et liciti coitus voluptatem. Et ita arefactis cunctis humoribus impurissimæ fragilitatis, efficimur egregii laudabilesque eunuchi, qui per Isaiam laudantur, atque merebimur possidere beatitudinem eis promissam, de qua legitur in eodem Propheta (Is. LVI, 4, 5.): Hæc dicit Dominus eunuchis, Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Denique qui sunt filii isti ac filiæ quibus eunuchi isti præferuntur in tantum, ut dicantur accepturi locum nomenque melius, nisi Sancti qui sub veteri Testamento permanentes in copula conjugali, non immerito pervenerunt in adoptionem filiorum Dei per observantiam præceptorum? Quod item est nomen hoc melius quod eunuchis istis promittitur tanquam bonum præcipuum loco summæ remunerationis, nisi quod a Christo dicuntur nomen sortituri, seu christiani vocandi? De quo nomine rursus loquitur Isaias (Ibid. LXV, 15, 16.): Servos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen, et qui jurat in terra, jurabit in Deo, amen; itemque (Ibid. LXII, 2.), Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Insuper pro hac cordis ac corporis puritate fruentur præcipua et singulari illa felicitate, ut jugiter cantent canticum illud quod nemo Sanctorum canere potest, (Apoc. XIV, 3, 4.) nisi isti dumtaxat qui sequuntur Agnum quocumque ierit: virgines enim sunt, nec se cum mulieribus inquinaverunt.

Interea si volumus pervenire ad hanc sublimissimam virginum gloriam, omni virtute excolamus incorruptionem seu castitatem mentis ac spiritus, ne incidamus numerum insipientium virginum, quibus virginitas non fuit reputata ad meritum, quia tantummodo servaverunt se a carnali commixtione immunes. Quæ virgines erant, sed fatuæ appellantur, quoniam oleo puritatis internæ in earum vasis (Matth. XXV, 3.) seu cordibus deficiente, splendor ac claritas virginitatis corporalis exstinguitur. Necesse est enim castitatem exhiberi homini exteriori, scilicet corpori, fotu ac pabulo puritatis interioris, eamque jugiter animari ad perseverantiam incorruptionis perpetuæ. Hinc fatuæ virgines non merentur intrare cum illis prudentibus gloriosum thalamum sponsi, quæ non servaverunt integrum spiritum suum, et corpus (I Thess. V, 23.) et animam sine querela in die Domini nostri Jesu Christi. Illi quippe sunt veri incorruptique virgines Christi, et reputantur eunuchi admirabiles atque egregii, non qui metuunt fornicari, sed quibus non libet hoc; nec qui reprimunt impudicitiæ frena, sed qui vicerunt minimas cordis titillationes ac tenuissima libidinis incitamenta, et eousque exterminaverunt (ut ita dixerim) sensum carnis, ut ex ejus motione non solum nulla tangantur delectatione, imo nec exigua pulsentur titillatione.

CAPITULUM VIII.

Quod nemo debeat se dignum judicare dominica communione.

TANTA autem humilitatis custodia debemus vallare cor nostrum, ut jugiter ac firmissime sentiamus nequaquam nos

posse pertingere ad meritum tantæ munditiæ, ut credere debeamus dignos nos esse communione corporis Christi, quamvis fecerimus omnia jam prædicta. Primo, quoniam tanta est dignitas illius cœlestis mannæ, ut nemo circumdatus hac lutea carne, præsumere debeat perceptionem illius ex merito suo, sed ex largitate Dei gratuita. Secundo, quoniam nemo potest esse tam circumspectus in conflictu sæculi hujus, ut saltem rara ac levia tela culparum non feriant eum, quoniam impossibile est non peccare ignorantia, negligentia, vanitate, subreptione, cogitatione, necessitate aut oblivione, in hac fragili carne. Nam etsi quis ad tantum culmen virtutum ascenderit, ut cum Apostolo vere et non jactanter exclamet : Mihi pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum; nihilo minus sciat se esse non posse sine peccato. Non enim idem Apostolus frustra adjunxit : Sed non in hoc justificatus sum, id est, si justum me esse credidero, non ideo mox veraciter justus ero; nec ideo nullo peccato fuscatus sum, quia conscientia mea non pungit me reprehensione alicujus peccati, quum multa lateant conscientiam meam quæ Deo sunt nota, quamvis sint mihi incognita et obscura. Propter quod addidit : Qui autem judicat me, Dominus est, hoc est, verum examen judicii profertur tantum ab illo quem cordis secreta non latent.

I Cor. IV, 3, 4. — *Ibid. 4.* — *Ibidem.*

CAPITULUM IX.

Objectio, quod omnes privandi sint communione, si nemo est absque peccato.

GERMANUS : Supra dictum est non nisi sanctos debere esse participes sacramentorum cœlestium, nunc adjicitur quod impossibile sit homini esse immunem penitus a peccato. Si ergo nullus liber est a culpa, nullus est sanctus; nullus igitur particeps esse debet sacræ communionis, A nec sperare debet regnum cœlorum quod solis sanctis promittitur.

CAPITULUM X.

Responsio, quod multi sancti esse possunt, nullus tamen sine peccato, præter Christum.

THEONAS : Negare non possumus multos esse sanctos et justos, sed magna distantia est inter sanctum et immaculatum. B Aliud namque est aliquem esse sanctum, id est divino cultui consecratum (hoc enim nomen commune est, secundum Scripturam, non solum hominibus, sed et locis templique vasculis ac lebetibus), aliud autem est esse absque peccato, quod singulariter convenit majestati unius Domini nostri Jesu Christi, de quo affirmat Apostolus velut speciale atque præcipuum aliquid : Qui peccatum non fecit. Per quod protulit satis vilem et majestati ejus indignam laudem de ipso, attribuens ei illud C tanquam incomparabile aliquid ac divinum, si et nos possumus ducere vitam absque omni peccato immaculatam. Rursus Apostolus loquitur ad Hebræos : Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. Si ergo ista convenientia potest esse nobis fragilibus cum illo sublimi ac divino pontifice Christo, ut et nos tentemur sine omni offensa peccati, cur Apostolus pronuntiat hoc de Christo tanquam D singulare ac unicum, discernens tantum meritum ejus ab universis hominibus ? Christus itaque hac sola exceptione distinguitur a cunctis hominibus : constat etenim Christum esse tentatum absque peccato; nos autem tentamur non sine peccato. Quis enim hominum non pateat aliquando hostium telis, quamvis bellator sit fortis? Quis quasi impenetrabili carne circumdatus, misceatur tantis præliorum periculis sine periculo? Ille autem solus speciosus forma præ filiis hominum, sus-

Ps. XXIII, 3. Num. XXXI, 6. — *I Petr. II, 22; Is. LIII, 9.* — *Hebr. IV, 15.* — *Ps. XLIV, 3.*

cipiens conditionem mortis humanæ cum A universa carnis naturali et indetrahibili fragilitate, nunquam maculatus est aliqua culpa.

CAPITULUM XI.

Quod solus Filius Dei tentatus sit absque omni vulneratione peccati.

Hebr. IV, 15. TENTATUS est autem Christus secundum similitudinem nostram, primo de vitio gulæ, ita ut callidus ille serpens B conaretur ei esurienti illudere desiderio Gen. III, 6. escæ eo ordine quo ante seduxerat Adam : Matth. IV, 3. Si Filius Dei es, inquiens, dic ut lapides isti panes fiant. Sed ipse ex hac tentatione nullum incurrit peccatum, quumque ei indubitata facultas suppeteret convertendi saxa in panes, respuit cibum quem artifex deceptionum proposuit, tentatori re- Ibid. 4; Deut. VIII, 3. spondens : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Insuper tentatus est de gloria vana secundum similitudinem nostram, quum C Matth. IV, 6. dictum est ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Sed captus non est subdola hac suggestione diaboli, imo vanissimum seductorem confutavit auctoritate sacræ Scri- Matth. IV, 7; Deut. VI, 16. pturæ, dicendo : Non tentabis Dominum Deum tuum. Tentatus est quoque juxta similitudinem nostram tumore superbiæ, quando diabolus promisit ei omnia regna mundi gloriamque eorum; sed irrisa ac objurgata est nequitia tentatoris, quum ei Matth. IV, 10; Deut. VI, 13. respondit : Vade, Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, et D illi soli servies. Ex quibus docemur ut nos resistamus fraudulentis suggestionibus dæmonum, per memoriam considerationemque Scripturarum.

Præterea juxta similitudinem nostram tentatus est de superbia, dum artifex insidiarum diabolus moliebatur ei offerre per homines regnum quod jam ante contempsit ab eo sibi oblatum; sed absque Joann. VI, 15. peccato irrisit insidias inimici. Quum enim cognovisset Jesus quod venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Tentatus est iterum secundum similitudinem nostram, dum flagris percussus palmisque cæsus, consputus, et exquisita supplicia passus est; sed nunquam motus est ad aliquam saltem levissimam indignationem ex contumeliis aut suppliciis sibi illatis, quoniam in patibulo fixus misericorditer exoravit : Pater, ignosce illis, non enim Luc. XXIII, 34. sciunt quid faciunt.

CAPITULUM XII.

Quod solus Christus venerit in similitudinem carnis peccati.

QUALITER autem intelligetur quod Apostolus asserit Christum venisse in Rom. VIII, 3. similitudinem carnis peccati, si et nos habere possumus carnem nulla culpa pollutam ? Nam et hoc tanquam singulare aliquid fertur de ipso qui solus est sine peccato, Misit Deus Filium suum in simi- Ibidem. litudinem carnis peccati : assumens namque veram ac integram humanæ carnis substantiam, non suscepit in ea peccatum, sed similitudinem ejus. Etenim similitudo ista referenda est ad peccati imaginem; non ad carnis veritatem, secundum quorumdam hæreticorum insaniam. Erat quippe in Christo vera caro, sed absque peccato, similis carni peccatrici. Nam vera caro pertinet ad veritatem substantiæ humanæ; caro autem peccatrix refertur ad mores ac vitia.

Habebat similitudinem carnis peccati, quum tanquam homo ignarus et pro cibo sollicitus quæreret : Quot habetis panes ? Matth. XV, 34. Sed sicut caro ejus nequaquam subjacuit culpæ, ita nec anima ejus ignorantiæ. Propter quod Evangelista subjunxit : Hoc au- Joann. VI, 6. tem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. Habebat carnem similem carni peccati, dum sitiens po- Ibid. IV, 7. tum poposcit a Samaritana; sed non erat peccato polluta, quoniam mulier provocata est econtrario petere aquam vivam, Ibid. 13, 14.

quæ non permitteret eam sitire unquam, A sed fieret in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. Habebat veritatem carnis Luc. VIII, 23. istius quum dormiret in nave; sed ne pariter navigantes fallerentur similitudi- Ibid. 24. ne peccati, surgens increpavit mare ac ventos, et facta est tranquillitas magna. Denique subditus videbatur peccato, quum Ibid. VII, 39. diceretur de eo : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est; sed non habuit veritatem peccati, quia redarguens blasphemiam cogitationum Phari- B Ibid. 48. sæi, dimisit mulieri peccata. Videbatur carnem peccatricem cum ceteris gerere, quum velut homo constitutus in periculo mortis, imminentiumque suppliciorum ti- Matth. XXVI, 39. more perculsus oravit : Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; et, Ibid. 38. Tristis est anima mea usque ad mortem. Sed tristitia illa nescivit contagium peccati, quoniam auctor vitæ non potuit mortem Joann. X, 18. timere. Nam dixit : Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam a me ipso; potestatem habeo ponendi eam, et potesta- C tem habeo iterum sumendi eam.

CAPITULUM XIII.

Quod omnes justi non fuerint in similitudine sed in veritate peccati.

HOMO itaque ille de virgine natus, in hoc magna distantia segregatur a cunctis qui generantur ex commixtione sexus utriusque, quod quum omnes gestemus D in carne non similitudinem sed veritatem peccati, ille in assumptione veræ carnis non suscepit veritatem peccati sed similitudinem tantum. Denique licet Pharisæi I Petr. II, 22; Is. LIII, 9. scirent scriptum in Isaia de Christo, Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : attamen fallebantur in eo similitudine carnis peccati, ita ut dice- Matth. XI, 19. rent : Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Unde ad cæcum illuminatum dixerunt : Da Joann. IX, 24. gloriam Deo, nos enim scimus quia hic homo peccator est; ad Pilatum quoque : Nisi, inquiunt, esset hic homo malefactor, Joann. XVIII, 30. non tibi tradidissemus eum. Quicumque ergo ausus fuerit profiteri se esse sine peccato, usurpabit sibi æqualitatem hujus rei quæ Christo singularis ac propria est, cum crimine blasphemo superbiæ. Consequens enim est ut habere se dicat similitudinem carnis peccati, et non veritatem peccati.

CAPITULUM XIV.

Quod peccata sanctorum non sint tam gravia ut eis auferatur meritum seu ratio sanctitatis.

CETERUM Scriptura manifeste pronuntiat viros justos ac sanctos non esse immunes a peccato, quum ait : Sep- Prov. XXIV, 16. ties in die cadit justus, et resurgit. Quid enim aliud est cadere, quam peccare? Et tamen qui septies peccare asseritur, justus vocatur; nec lapsus humanæ fragilitatis præjudicat justitiæ ejus, quoniam multum interest inter ruinam justi et peccatoris. Aliud namque est admittere peccatum mortale, et aliud præveniri cogitatione venialiter peccabili; aut per ignorantiam, oblivionem otiosumve verbum offendere, vel ad punctum aliquid hæsitare in fidei theoria, aut pulsari titillatione subtili gloriæ vanæ, aut necessitate naturæ aliquantulum recedere a summa perfectione aut moderata refectione. Hæc quippe sunt septem genera lapsuum, in quæ vir sanctus interdum cadendo, non desinit esse justus. Quæ quamvis videantur parva ac levia, tamen faciunt eum non posse consistere sine culpa. Habet enim pro quibus omni die pœniteat veniamque imploret, dicendo : Dimitte nobis debita nostra. Matth. VI, 12.

Denique ut evidentissimis exemplis probemus quosdam sanctorum errasse, et tamen a justitia sua non recessisse, certe beatissimus atque eximius Apostolorum Petrus, quid aliud fuit quam sanctus, præ-

Matth. xvi, 17, 19. sertim quum dictum est ei a Domino : Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est; et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris, etc. Quid præclarius hac laude dominica? Quid sublimius esse potest potestate et beatitudine ista? Et tamen paulo post, dum ignorando mysterium dominicæ Passionis, obviaret
Ibid. 22. eidem, Absit (inquiens) a te, Domine, non
Ibid. 23. erit hoc tibi; audire promeruit : Vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Numquid Petrus credendus est non peccasse, aut in sanctitate atque justitia non mansisse, dum æquitas ipsa increpavit eum his verbis? Nonne etiam passus est lapsum, quando in Christi passione
Ibid. xxvi, 70, 72, 74. compulsus est metu Dominum ter negare?
Ibid. 75. Sed protinus pœnitens et amarissimis lacrimis abluens maculam tanti criminis, non amisit merita sanctitatis ac æquitatis. Idcirco de ipso et consimilibus ei debemus accipere quod David ait in Psalmo :
Ps. xxxvi, 23, 24. A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet; quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Quum enim gressus hominis diriguntur a Deo, quid aliud esse potest quam
Ibid. 24. justus? Et tamen dicitur de eodem : Quum ceciderit, non collidetur. Quid est, Quum ceciderit, nisi quum lapsum peccati alicujus incurrerit? Non collidetur (inquit), id est, diu non opprimetur incursione peccati : imo quamvis videatur elisus ad præsens, tamen erectus divino auxilio quod implorat, celeriterque resurgens non amittet stabilitatem justitiæ. Quod si ad præsens eam amiserit per carnis fragilitatem, manus divinæ suppositione eam recuperabit. Nec enim desinit esse justus post lapsum, quum agnoscat se justificari non posse fiducia operum suorum, atque a tantis vitiorum nexibus credat se liberandum sola gratia Dei, cum Apostolo clamans :
Rom. vii, 24, 25. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPITULUM XV.

Quomodo intelligendum sit illud Apostoli : Non enim quod volo facio bonum.

Apostolus etenim Paulus cognoscens inæstimabilem puritatis abyssum non posse penetrari ab homine, resistentibus æstibus cogitationum, et quasi diu per profunda jactatus quum dixisset : Non Rom. vii, 19.
enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, hoc ago; itemque, Si Ibid. 20.
autem quod nolo, illud facio, jam non ego facio illud, sed quod habitat in me peccatum; et, Condelector legi Dei secun- Ibid. 22, 23.
dum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis; inspiciens quoque fragilitatem sui ipsius, aut hominum omnium seu naturæ, perterritus vastitate aut amplitudine altitudinis tam immensæ, confugit ad tutissimum portum divini auxilii; et quasi desperans de naturali infirmitate navigii sui oppressi oneribus mortalitatis, deposcit naufragiorum remedia ab eo cui nihil est impossibile, clamans cum miserabili ejulatu : Infelix ego homo, quis me libera- Ibid. 24.
bit de corpore mortis hujus? Statimque de Dei benignitate præsumpsit liberationem hanc quam desperavit de imbecillitate naturæ, confidenter adjungens : Gra- Ibid. 25.
tia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPITULUM XVI.

Objectio, quod Apostolus dixerit verba prætacta potius ex persona peccatorum quam propria.

Germanus : Multi affirmant Apostolum protulisse verba præallegata ex persona peccantium, non ex sua; puta eorum qui volunt se ipsos a corporalibus illecebris ac voluptatibus refrenare, sed nequeunt, quia constricti sunt pristinis

vitiis, et captivati delectatione passionum A carnalium : sicque se ipsos cohibere non valent, dum prava consuetudine vitiorum tanquam crudeli dominatione premuntur, nec respirare possunt ad pudicitiæ libertatem. Qualiter enim poterit convenire beato Apostolo, quem constat pervenisse ad summum culmen perfectionis, quod
Rom. VII, 19. ait : Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, hoc ago? Præterea quomodo coaptari poterunt personæ
Ibid. 20. Apostoli quæ subjungit : Si autem quod nolo, hoc ago, jam non ego operor illud, B sed quod habitat in me peccatum? Item :
Ibid. 22, 23. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis? Quid enim boni non potuit Apostolus tantus implere? Econtrario, quod malum admisit invitus, nolens ac odiens, cogente natura? Rursus ad quam legem peccati potuit Paulus, vas electionis in quo Christus loque- II Cor. XIII, 3.
batur, duci captivus? Qui quum captivasset II Cor. X, 5.
omnem inobedientiam, omnem altitudinem extollentem se contra Deum, confidenter testatus est de se ipso : Bonum II Tim. IV, 7, 8.
certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cetero reposita est mihi corona justitiæ, etc.

CAPITULUM XVII.

Dilatio solutionis propositæ quæstionis.

THEONAS : Rursus conamini me intrantem tutissimum portum silentii, revocare ad immensum pelagus profundissimæ quæstionis; sed adepti opportunitatem stationis fidæ, jaciemus hic interim ancoram taciturnitatis, completo jam cursu tam longæ collationis nunc introductæ, quatenus vela disputationis crastina die tendamus, quum exploraverimus flatum prosperi spiritus, si tamen nulla tempestas restiterit.

COLLATIO XXIII

(Abbatis Theonæ tertia)

DE VELLE BONUM ET AGERE MALUM, SIVE DE IMPECCANTIA.

CAPITULUM PRIMUM.

Disputatio Theonæ de verbis Apostoli : Non enim quod volo facio bonum.

REVERSA luce, quum senex compelleretur a nobis summa instantia ad perscrutandum abyssum apostolicæ quæstionis, ita effatus est : Argumenta quibus probare conamini Apostolum protulisse
Rom. VII, 19. hæc verba, Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, hoc ago, etc., non ex sua persona, sed ex persona peccantium, evidenter ostendunt ea non posse convenire personis peccantium, sed quod pertineant ad solos perfectos, atque eorum sanctitati tantummodo congruant qui merita Apostolorum sequuntur. Nempe quo pacto poterit convenire iniquis
Ibidem. quod dicitur, Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, hoc ago?
Ibid. 20. et illud, Si autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum? Quis enim delinquentium inquinat se adulteriis et fornicationibus nolens? Quis invitus tendit insidias proximo suo? Quis inevitabili necessitate compellitur ut falso testimonio opprimat hominem, aut furto decipiat, aut bona alterius concupiscat, vel sanguinem fundat? Quin
Gen. VIII, 21, juxta LXX. imo, sicut ait Scriptura, humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam a juventute sua. Omnes namque qui flagrant vitiorum amore, in tantum desiderant implere quæ cupiunt, ut etiam cura pervigili quærant opportunitatem sceleris
Philipp. III, 19. committendi; gloriantes quoque de ignorantia sua et criminum cumulo, juxta Apostolum, acquirant sibi laudem quamdam de confusione suæ malitiæ. Quos et Jeremias asserit crimina perpetrare non solum non nolentes aut cum requie cordis et corporis, sed etiam laboriosis conatibus desudare ut perveniant ad vitiorum effectus, ita ut nec arduis difficultatibus resistentibus revocentur a malis. Nam ait : Ut inique agerent laboraverunt. (Jer. IX, 5.) Insuper quis dicat peccatoribus convenire quod subditur, Itaque ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; (Rom. VII, 25.) quos certum est nec mente nec carne Deo servire? Aut qualiter mente serviunt Deo, qui corpore peccant, quum caro concipiat fomitem vitiorum ex corde, et Christus conditor carnis ac cordis pronuntiet originem vitiorum ex corde manare? De corde, inquit, procedunt cogitationes malæ, adulteria, (Matth. XV, 19.) fornicationes, furta, homicidia, testimonia falsa. Unde evidenter ostenditur hoc nequaquam posse intelligi de iniquorum personis, qui peccata non solum non oderunt, sed etiam amant; atque in tantum nec mente nec corpore serviunt Deo, ut prius delinquant mente quam corpore, et antequam impleant concupiscentiam carnis, præveniantur peccato cogitationum ac mentis.

CAPITULUM II.

Quod Apostolus bona plurima consummaverit.

SUPEREST ergo ut sumamus ac metiamur virtutem sententiæ verborum Apostoli ex intimo dicentis affectu; et

quid beatus Apostolus dixerit bonum, et quid comparatione boni insinuaverit malum, discutiamus non nuda significatione verborum, sed eodem intellectu quo ille locutus est, sicque scrutemur intellectum verborum ipsius secundum dignitatem ac meritum proferentis. Tunc enim poterimus intelligere sententias Deo inspirante prolatas, secundum voluntatem atque propositum inspirantis, dum perpendentes statum meritumque eorum a quibus prolatæ sunt, induerimus parem affectum, non verbis, sed experimentis, juxta cujus affectus qualitatem universæ sententiæ procul dubio concipiuntur aut proferuntur.

Quamobrem diligentius indagemus quid sit principaliter bonum quod Apostolus nequivit implere, quum voluit. Multa namque sunt bona quæ negare non possumus sanctum Apostolum et viros apostolici meriti habuisse per naturam, vel acquisivisse per gratiam. Bona quippe est castitas, laudabilis abstinentia, imitanda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta justitia : quæ omnia tam plene atque perfecte fuerunt in beato Apostolo et ejus consortibus, ut religio christiana doceretur ab eis magisterio virtutum potius quam verborum. Denique jugiter urebantur assidua cura ac pervigili sollicitudine omnium Ecclesiarum. (II Cor. xi, 28, 29.) Quantum hoc misericordiæ bonum, quanta perfectio propter scandalizantes scandalizatosque uri, cum infirmantibus infirmari? Quum ergo Apostolus abundaverit omnibus bonis his, non possumus cognoscere cujus boni perfectione caruerit, nisi proficiendo venerimus ad illum affectum quo ipse locutus est. Quamvis itaque omnes istæ virtutes quas habuit, sint quasi pretiosæ ac splendidissimæ gemmæ, tamen si comparentur illi præclaræ atque præcipuæ margaritæ quam evangelicus negotiator (Matth. xiii, 45, 46.) inquirens desiderat emere, propter hanc vendens universa quæ possidet, ita vilescunt et contemnuntur, ut eis sine mora distractis, possessio unius solummodo boni ditet innumerabilium venditorem bonorum.

CAPITULUM III.

Quid sit illud bonum quod Apostolus testatus est se non posse perficere.

QUOD ergo est unum illud quod tam incomparabiliter præponitur tantis tamque innumeris bonis illis, ita ut omnibus illis relictis ac spretis, solum debeat possideri? Nimirum ipsum est pars optima cujus magnificentiam et perpetuitatem quum elegisset Maria, relicto hospitalitatis ac sustentationis officio, sic laudabatur a Domino : Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima; paucis vero opus est, aut etiam uno. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eà. (Luc. x, 41, 42.) Theoria ergo seu contemplatio Dei una et sola est, cui merito postponuntur omnia merita justificationum et studia cuncta virtutum. Porro omnia illa quæ diximus in Apostolo exstitisse, non solum sunt bona atque utilia, sed etiam præclara et magna; sed sicut stannum, verbi gratia, in se aliqualiter utile et acceptum, vilescit comparatione argenti, argentum quoque respectu auri, et aurum pro gemmis quibusdam contemnitur, multitudo item gemmarum insignium vincitur candore et valore margaritæ unius; sic omnia illa merita sanctitatis seu actus virtutum, quamvis non solum bona atque utilia sint ad præsens, sed gloriam æternitatis acquirant, tamen si comparentur meritis contemplationis divinæ, reputabuntur vilia, et ut sic loquar, vendenda.

Denique ut Scripturarum auctoritas comparationem istam confirmet, nonne Scriptura generaliter protestatur de universis a Deo creatis, Omnia quæ fecit Deus erant valde bona; (Gen. i, 31, juxta LXX.) et iterum, Omnia quæ fecit Deus, bona in tempore suo? (Eccli. xxxix, 39.) Itaque omnia quæ sunt in præsenti, non solum bona simpliciter, sed etiam valde bona consistunt.

Sunt enim revera habitantibus in hoc A mundo accommoda ad vitæ usum, aut corporis medicinam, sive ad aliquam utilitatem ignotam. Hæc certe in eo sunt valde *Rom.* I, 20. bona, quoniam faciunt nos invisibilia Dei intellecta conspicere per ea quæ facta sunt, et contemplari sempiternam Creatoris virtutem ac deitatem ex tam ordinata et magna constitutione machinæ mundialis, et omnium quæ subsistunt in ea. Verumtamen omnia ista non poterunt sibi nomen boni tenere, si comparentur sæculo illi futuro, ubi nulla immutatio bonorum, nulla corruptio veræ beatitudinis formidanda. Cujus sæculi beatitudo ita descri- *Is.* XXX, 26. bitur : Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. Itaque magna ista et præclara intuitu atque mirifica, si comparentur ex fide futuris promissis, mox vanitas appare- *Ps.* CI, 27, 28. bunt, dicente David : Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Quum ergo nihil sit per se ipsum bonum, stabile aut incommutabile, nisi Deitas sola, creaturæ vero beatitudinem æternitatis aut immutabilitatis obtineant non per suam naturam, sed per Creatoris participationem et gratiam, bona dici non valent, si Creatori proprio comparentur.

CAPITULUM IV.

Quod humana bonitas atque justitia bona non sint, si comparentur bonitati ac justitiæ Dei.

MANIFESTIORIBUS quoque testimoniis possumus idem probare. In Evangelio namque multa vocantur bona, utputa bona arbor, bonus thesaurus, bonus homo, *Matth.* VII, 18. bonus servus, juxta illud : Non potest *Ibid.* XII, 35. arbor bona fructus malos facere; et, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert *Ibid.* XXV, 21. bona; itemque, Euge, serve bone et fidelis. Nec dubium quin omnes isti secundum se boni sint; tamen si ad Dei bonitatem respiciamus, nullus eorum dicetur bonus, quum dicat Salvator : Nemo bonus, nisi solus Deus. *Luc.* XVIII, 19. Cujus intuitu ipsi quoque Apostoli, qui merito suæ electionis excesserant multis modis bonitatem humani generis, mali dicuntur, Domino Christo ad eos loquente : Si ergo vos, quum *Matth.* VII, 11. sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Denique sicut bonitas nostra vertitur in malitiam comparatione bonitatis divinæ, ita B justitia nostra intuitu divinæ justitiæ similis perhibetur panno menstruatæ, secundum quod loquitur Isaias : Sicut pan- *Is.* LXIV, 6. nus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ. Denique ut inferamus adhuc evidentius aliquid, vitalia legis præcepta perfectioni evangelicæ comparata, dicuntur non bona, quemadmodum per Prophetam Dominus protestatur, Dedi eis præcepta non bona, *Ezech.* XX, 25. et judicia in quibus non vivent : quum tamen lex dicatur ordinata per angelos in *Galat.* III, 19. manu mediatoris; de qua rursus ait Apo- C stolus : Itaque lex sancta, et mandatum *Rom.* VII, 12. sanctum, et justum, et bonum. Insuper idem Apostolus asserit gloriam legis sic obscurari lumine novi Testamenti, ut protestetur legem non esse glorificatam comparatione evangelicæ claritatis, dicendo : Nam nec glorificatum est quod claruit in *II Cor.* III, 10. hac parte, propter excellentem gloriam.

Scriptura quoque conservat hunc modum loquendi in comparatione vitiorum ad invicem, justificando eos qui multo minus peccaverunt respectu pejorum, quum ait : D Justificata est Sodoma ex te; et iterum, *Ezech.* XVI, 48. juxta LXX. Quid enim peccavit soror tua Sodoma? et, Justificavit animam suam aversatrix Is- *Ibid.* 56, juxta LXX. *Jer.* III, 11. rael, comparatione prævaricatricis Judæ. Sic universarum virtutum merita memorata, quamvis in se bona et pretiosa valde consistant, fuscantur tamen respectu theoricæ lucis seu contemplativæ perfectionis, quoniam retrahunt et retardant multos Sanctorum occupatos terrenis operibus, quamvis bonis, a contemplatione boni altissimi.

CAPITULUM V.

Neminem summo illi bono intentum esse jugiter posse.

Ps. XXXIV, 10. QUIS enim eripiens inopem de manu fortiorum ejus, et egenum ac pauperem a diripientibus eum; quis conterens molas iniquorum, et de medio dentium eorum rapinas extorquens, contempletur gloriam majestatis divinæ mente tranquilla in hujusmodi opere? Quis pauperibus alimoniam subministrans, aut advenientes humane suscipiens, speculetur immensitatem beatitudinis increatæ eo tempore quo sollicita mente distenditur pro necessitatibus proximorum; dumque concutitur angustiis vitæ præsentis, prospiciat futuri sæculi statum corde a terrenis contagiis elevato? Hinc sanctus David docens hoc solum esse homini bonum, desideravit
Ps. LXXII, 28. Deo jugiter inhærere: Mihi, inquiens, adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Quod Ecclesiastes quoque asseruit a nemine justorum sive
Eccle. VII, 21. sanctorum perfici posse, dicens: Non est homo justus in terra qui faciat bonum, et non peccet. Quis enim in hoc corpore degens, quamvis inter sanctos et justos exstet præcipuus, utique possedit tam indesinenter et actualiter bonum hoc, ut non sit interdum distractus ab illo per cogitationes terrenas: qui nunquam gesserit curam aliquam indumenti aut aliarum rerum carnalium; qui nunquam fuerit sollicitus de Fratrum susceptione, de loci mutatione, de cellulæ ædificatione; aut non concupierit aliquam opem humani subsidii; neque vexatus sterilitate inopiæ, incurrerit sententiam illam increpa-
Luc. XII, 22. tionis dominicæ: Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini? Denique confidenter dicimus, adstruimus, Paulum apostolum, qui numerositate tribulationum suarum excesserat omnium Sanctorum laborem, istud nequaquam implesse, quum ipsemet protestetur discipulis in Actibus

A Apostolorum: Ipsi scitis quia ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Act. XX, 34. Thessalonicensibus quoque scribens, testatur se operatum fuisse in labore et fatigatione die ac nocte; II Thess. III, 8. et quamvis per opera illa multum meruerit, tamen mens ejus, licet solennis et sancta, non potuit aliquando non retrahi a theoria cœlesti, occupatione actus terreni. Præterea, dum cerneret se ditari fructibus tantis ac talibus, et econverso pensaret corde bonum vitæ theoricæ, et
B quasi in una lance appenderet fructum tantorum laborum, atque in altera delectationem et fructum contemplationis divinæ; post longam examinationem ac deliberationem, dum immensa merita laboris hinc eum delectant, illinc desiderium unionis et inseparabilis associationis cum Christo eum invitat etiam ad resolutionem a carne, anxius clamat: Quid eligam ignoro, Philipp. I, 22-24. coarctor enim a duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius; permanere autem in car-
C ne necessarium propter vos.

Quum igitur excellentiam theoriæ seu contemplationis multipliciter prætulisset cunctis fructibus suæ prædicationis, nihilo minus intuitu caritatis fraternæ, sine qua nemo Deum meretur, submittit se, nec recusat dilationem a Christo (nocivam sibi, sed necessariam aliis) propter illos quibus adhuc immulgebat instar nutricis lac per evangelica ubera. Denique ad eligendam hanc partem inductus est nimia illa pietate et caritate, qua pro fra-
D trum salute optasset incurrere ultimum anathema, si fuisset possibile: Optabam, Rom. IX, 3, 4. inquit, ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ; hoc est, volebam non solum addici temporalibus, sed etiam perpetuis pœnis, dummodo, si fieri posset, omnes homines fruerentur Christi consortio: certus sum enim salutem omnium utiliorem esse Christo et mihi, quam meam.

Optavit ergo Apostolus dissolvi a cor-

pore, ut posset perfecte adipisci hoc summum bonum, quod est frui intuitu Dei et Christo inseparabiliter adhærere. Nam corpus caducum et multis necessitatibus fragilitatis propriæ impeditum, non potest a Christi consortio non avelli. Impossibile quoque est menti quæ tam crebris curis distenditur, tam variis ac molestis angoribus præpeditur, jugiter frui divino intuitu. Quod enim potest esse tam firmum studium arduumque propositum Sanctorum, cui versutus ille insidiator non illudat quandoque? Quis ita sectatus est solitudinis abdita, et ita vitavit mortalium universorum consortia, ut nunquam lapsus sit cogitatione superflua, neque intuitu rerum vel occupatione actuum terrenorum deciderit a contemplatione Dei, quæ vere sola bona est? Quis unquam potuit retinere tantum fervorem, ut non transferretur vicissim cogitationibus lubricis ab attentione orationis, sicque repente corrueret de cœlestibus ad terrena? Quis nostrum (ut cetera tempora evagationum omittam) lapsus non est quodam stupore, etiam illo momento quo ad sublimia mentem erexit, supplicans Deo, atque per id offendit saltem invitus, per quod speravit et rogavit veniam delictorum? Quis tam exercitatus ac vigilans est, ut animus ejus nunquam abducatur a sensu Scripturæ, dum psallit? Quis tam familiaris et tam conjunctus est Deo, ut gaudeat se uno die implesse illud apostolicum præceptum
1 Thess. v, 17. quo jubet nos sine intermissione orare? Quæ omnia quamvis videantur levia et a peccato aliena esse quibusdam qui gravioribus vitiis involvuntur, multitudo tamen minimarum rerum sive culparum gravissima est sitientibus perfectionem.

CAPITULUM VI.

Quod lippis sint similes, qui credunt se esse sine peccato.

VELUT si ponamus duos, unum clare videntem, alium cæcutientem seu lippum, ingressos aliquam domum magnam
A multis instrumentis, vasculis, sarcinis occupatam: nonne cæcutiens æstimabit ibi nil aliud esse nisi armaria, lectos, scamna, præsepia, et quidquid occurrerit manibus ejus magis quam oculis; nihilo minus qui clarissimum visum habet, videbit ibi esse alia multa parvissima, quæ dinumerari vix queant: quæ si congregentur in unum, sua multitudine compensabunt, aut forte transcendent magnitudinem paucorum quæ lippus palpaverat? Sic Sancti illuminati, qui summo studio perfectioni
B intenti sunt, in se ipsis sagaciter deprehendunt quæ mens tenebrosa non intuetur, et acerrime reprobant ea: in tantum ut hi qui candorem suæ conscientiæ non maculaverunt tenuissimis culpis (ut negligentiæ nostræ apparet), videantur sibi multis maculis inquinati. Quod si improbitas vanæ cogitationis non irrepserit menti, recordatio psalmi dicendi avertit attentionem precantis tempore orationis.

Nempe, ut aiunt Patres, si totam aciem mentis corporisque defigimus in hominem
C quem rogamus, quum supplicamus alicui sublimi viro, non dicam pro salute aut vita, sed pro commodo lucri terreni, et trepida exspectatione pendemus de nutu ipsius, non mediocriter formidantes ne ineptum aliquid proferamus, per quod avertamus pietatem ejus a nobis; rursus, si tussis, sputum, risus, oscitatio vel somnus irrepserit nobis constitutis in foro coram judice sæculari, in media prosecutione et conflictu causæ nostræ, adversario nostro præsente, quanta invidia commovebit ad-
D versarius severitatem judicis ad nostram perniciem? Quanto magis dum supplicamus secretorum omnium cognitori pro evasione æternæ damnationis instantis, adstante ex adverso callidissimo seductore ac criminatore, pietas Judicis summi imploranda est oratione attenta et attentione sollicita? Nec injuste adstringitur non solum levi peccato, imo etiam crimine impietatis gravissimo, qui precem offerens Deo, repente abscesserit mente a conspectu ipsius, quasi ab oculis non videntis

nec audientis, sequens vanitatem improbæ cogitationis.

Porro qui oculos cordis sui operiunt crasso velamine vitiorum, et juxta Salvatoris sententiam, videntes non vident, et audientes non audiunt neque intelligunt, vix adspiciunt magna et capitalia crimina in interioribus præcordiorum suorum : nec possunt purgatis obtutibus intueri ullas cogitationum suarum subreptiones, neque pruritus illos lubricos et occultos, qui mentem compungunt suggestione tenui ac subtili, nec captivitates distractionesque animæ suæ ; sed inverecundis cogitationibus jugiter evagantes, dolere non norunt quum distrahuntur a contemplatione divina, nec habent quod se doleant amisisse, quoniam exponentes mentem suam ad libitum cogitationibus ingruentibus, nihil habent salubre sibi propositum quod principaliter teneant, aut quod omnimode concupiscant.

Matth. XIII, 15.

CAPITULUM VII.

Quantum seducantur, qui dicunt se esse sine peccato.

HÆC autem causa præcipitat nos in istum errorem, quoniam penitus ignorantes virtutem impeccantiæ, æstimamus nos nullam posse contrahere culpam ex iis otiosis ac lubricis cogitationum discursibus ; sed stupefacti hebetudine ista, et cæcitate oculorum interiorum percussi, non contemplamur in nobis nisi capitalia vitia, et ea solum credimus evitanda quæ damnantur sæcularium legum rigore, a quibus quum senserimus nos immunes, protinus arbitramur nihil peccati esse in nobis.

Segregati vero a numero clare videntium, non intuemur minutias cogitationum multarum intra nos collectarum ; nec mordemur compunctione salubri, si justitia infirmetur in nobis, neque dolemus pulsati suggestione gloriæ vanæ subtili, nec de oratione tardius aut tepidius

A fusa tristamur, nec reputamus culpabile, dum nobis psallentibus aut orantibus aliud aliquid occurrit quam quod psalmus aut oratio continet ; nec illud horremus, quod audemus concipere corde, nec erubescimus coram Deo cogitare, quod puderet nos loqui aut agere coram hominibus ; nec largo fletu purgamus pollutionem turpium somniorum ; nec lugemus quod avara mora obnubilat serenitatem nostræ largitatis in eleemosynarum erogatione, qua necessitatibus Fratrum subvenimus aut alimo-

B niam ministramus pauperibus ; nec credimus nos feriri aliquo detrimento, dum meditatione Dei relicta, cogitamus temporalia et terrena, ita ut competat nobis verbum hoc Salomonis : Percusserunt me, et non dolui; deluserunt me, et ego nescivi.

Prov. XXIII, 35, juxta LXX.

CAPITULUM VIII.

Quod paucorum sit intelligere peccata.

C E CONTRA ii qui in contemplatione divinarum ac spiritualium rerum constituunt summam totius beatitudinis ac gaudii sui, dum paululum abstrahuntur ab ea cogitationibus violentis, puniunt hoc in se præsentis pœnitentiæ ultione, tanquam sacrilegium quoddam, lugentes se prætulisse Creatori vilissimam creaturam ad quam ita detortus est mentis intuitus, propter quod sibi adscribunt quasi crimen impietatis, ut taliter loquar. Et quamvis summa alacritate convertant oculos cordis sui ad

D intuendam divinæ gloriæ claritatem, attamen non ferentes brevissimas carnalium tenebras, exsecrantur quidquid retrahit mentis adspectum a vero æternoque lumine. Denique S. Joannes apostolus volens affectum istum infundere cunctis fidelibus : Filioli, inquit, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo ; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ,

I Joann. II, 15-17.

quæ non est ex Patre, sed ex mundo est : et mundus transit, et concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Sancti ergo fastidiunt universa in quibus versatur hic mundus, sed impossibile est ut non rapiantur interdum brevi cogitationum excessu ad mundum. Nullus quoque hominum, Christo excepto, ita continuit naturalem cordis evagationem, defixus semper in contemplatione divina, ut nunquam raperetur ab ea, neque peccaret delectatione cujuscumque
Job xxv, 5. rei mundanæ, quum dicat Scriptura : Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus;
Ibid. xv, 15, juxta LXX. et rursus : In Sanctis suis non confidit, et in angelis suis reperit pravitatem; sive ut emendatior translatio habet : Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus.

CAPITULUM IX.

Qua cautione debeat monachus Dei memoriam custodire.

SANCTOS igitur qui retinent Dei memoriam, atque suspenso feruntur incessu in altum quasi per lineas in sublime extentas, recte dixerim comparandos schœnobatis, qui vulgariter funambuli appellantur, utpote currentes seu ambulantes super funes : qui constituentes vitæ suæ sospitatem in angustissimo calle funiculi, sciunt se protinus incursuros atrocissimam mortem, si pes eorum deviaverit vacillatione exigua, aut modum directionis illius excesserit. Qui dum arte mirabili moliuntur gressus aerios, si non servaverint angustiorem vestigio semitam illam moderatione cauta atque sollicita, terra quæ omnium basis est et tutum ac solidum fundamentum, fit illis manifesta pernicies seu conquassatrix : non quia natura terræ mutetur, sed quia illi super eam labuntur præcipiti impetu cum gravi pondere carnis. Ita et indefessa bonitas immutabilisque substantia Dei neminem lædit, sed nos declinando a summis et tendendo ad ima, injicimus mortem nobismetipsis; imo declinatio seu aversio ipsa mors est declinanti, quemadmodum Dominus loquitur per Prophetam : Væ eis, quoniam Osee vii, 13.
recesserunt a me; et iterum : Væ eis, Ibid. ix, 12.
quum recessero ab eis. Arguet enim te Jer. ii, 19.
malitia tua, et aversio tua increpabit te : scito et vide quoniam malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum. Prov. v, 22.
Funiculis namque peccatorum suorum unusquisque constringitur. Ad quos satis proprie dirigitur increpatio illa a Domino : Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis Is. l, 11.
vestri et in flammis quas succendistis; et denuo : Qui incendit malitiam, peribit ab ea. Prov. xiv, 16, juxta LXX.

CAPITULUM X.

Quod tendentes ad perfectionem sciant se semper indigere gratia Dei.

QUUM itaque Sancti quotidie sentiant se prægravatos pondere cogitationis terrenæ a contemplationis sublimitate decidere, seque invitos ac nescientes traduci in legem peccati et mortis, atque ut cetera prætermittam, revocari ab intuitu Dei saltem illis operibus bonis quidem et justis, sed tamen terrenis : habent cur jugiter ingemiscant ad Dominum, habent culpas propter quas vere humiliati et compuncti, fateantur se peccatores non verbis dumtaxat, sed etiam ex affectu, verasque pœnitentiæ lacrimas indesinenter effundant, postulantes veniam pro omnibus culpis quas incurrunt quotidie, superati carnis fragilitate, et gratiam Dei poscentes; præsertim quum videant se indesinenter usque ad finem vitæ suæ involvi eisdem peccatis pro quibus continuo dolore se affligunt, nec se posse Deo offerre supplicationes suas absque cogitationum anxietate et distractione.

Experti ergo se non posse attingere propriis viribus desideratum finem, sarcina carnis impediente, nec se posse uniri sum-

mo et incomparabili bono juxta desiderium cordis sui, sed ab ejus intuitu se traduci captivos ad ista mundana, convolantes ad gratiam Domini nostri Jesu Christi
Rom. vii, 24. 25. cum Apostolo clamant : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Sentiunt enim se non posse perficere bonum istud quod optant et volunt, imo sentiunt se semper incidere malum quod nolunt ac odiunt, id est motus cogitationum et curam temporalium rerum.

CAPITULUM XI.

Expositio illius sententiæ : Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, etc.

Ibid. 22. DENIQUE condelectantur legi Dei secundum interiorem hominem, qui transcendens visibilia omnia, conatur soli
Ibid. 23. Deo semper conjungi ; sed vident aliam legem in membris suis, utpote insitam in natura humanæ conditionis, quæ repugnans legi mentis eorum, captivum pertrahit sensum violenta lege peccati, compellens eum terrena cogitatione involvi, principali bono relicto. Quæ cogitatio quamvis necessaria videatur ac utilis, quando impenditur dispensatione alicujus religiosæ necessitatis, mala tamen ac fugienda eis censetur comparatione boni illius quod oblectat omnium Sanctorum intuitum, quia per eam aliquo modo retrahuntur a gaudio illius perfectæ beatitudinis, saltem ad modicum tempus. Vere enim lex peccati est, quam offensa Dei induxit humano generi per noxam seu culpam primi parentis, in quod lata est æquissimo Dei judicio illo:
Gen. iii, 17-19. Maledicta terra in operibus tuis, spinas et tribulos germinabit tibi, et in sudore vultus tui edes panem tuum. Hæc, inquam, est lex insita membris cunctorum mortalium, quæ repugnat legi mentis nostræ, impediens eam a divino intuitu seu amore : qua terra in nostris operibus maledicta post agnitionem boni et mali, germina-

A re cœpit spinas ac tribulos cogitationum, quarum aculeis semina virtutum naturalia præfocantur, ne absque sudore vultus nostri possimus comedere illum panem nostrum, qui descendit de cœlo et confortat cor hominis. Matth. xiii, 7. Joann. vi, 50; Ps. ciii, 15.

CAPITULUM XII.

Item expositio illius, Scimus quoniam lex spiritualis est, etc.

B OMNE ergo humanum genus absque ulla exceptione subjicitur generaliter huic legi. Nemo etenim est, quamvis sanctus, qui præfatum panem non percipiat cum sudore sui vultus et sollicitudine cordis. Ceterum, ut videmus, multi divites vescuntur pane isto exteriori, communi, absque sudore vultus sui. Quam etiam legem Apostolus asserit spiritualem, dicendo : Scimus quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Rom. vii, 14. Spiritualis namque est lex quæ nobis jubet ut in sudore vultus nostri edamus panem illum verum, qui de cœlo descendit ; Joann. vi, 50. sed venundatio illa peccati nos fecit carnales. Quod quæso est istud peccatum, aut cujus ? Sine dubio Adæ, cujus prævaricatione, atque (ut sic loquar) damnosa negotiatione ac fraudulento commercio, venditi sumus. Seductus quippe persuasione serpentis, addixit jugo perpetuæ servitutis omnem suam posteritatem, perceptione illiciti cibi distractam seu venditam. Hic autem mos solet servari inter ementes et D vendentes, ut is qui cupit se mancipare alieno domino, aliquid consequatur a suo emptore ac domino pro amissione propriæ libertatis et addictione perpetuæ servitutis. Quod etiam inter Adam et serpentem apertissime cernimus factum. Adam namque a serpente accipiens usum fructus prohibiti pro pretio suæ libertatis, a naturali libertate discessit, vendens se servitute perpetua illi a quo accepit mortiferum pomi vetiti pretium. Qua conditione deinde constrictus, non immerito subdidit

totam suam posteritatem jugo perpetuæ A servitutis illius cujus ipse factus est servus. Quid enim aliud generare potest conjugium servile, quam servos? Quid ergo? Numquid emptor iste callidus et versutus eripuit jus dominationis vero atque legitimo domino? Non utique : non enim ille iniquus ita invasit omne peculium Dei (seu possessionem generis humani) dolositate fraudis unius, ut verus dominator Deus amitteret potentiam sui dominii, qui jugo servitutis deprimit ipsum emptorem, quamvis refugam ac rebellem; sed quia B Creator concesserat omnibus rationabilibus creaturis libertatem arbitrii, non debuit revocare invitos ad arbitrii libertatem, eos qui contra fas vendiderant se transgressione et esu concupiscentiæ. Abhorret quippe ab illo totius æquitatis ac pietatis auctore, quidquid contrarium est bonitati et æquitati. Malum autem fuisset, si abstulisset libertatem concessam; injustum vero, si non sivisset liberum arbitrium quod erat in homine, exsequi quod volebat, opprimendo et captivando benefi- C cium libertatis quam ei dederat, cujus salutem reservavit ac distulit in sæcula tunc futura, ut plenitudo temporis præstituti compleretur ordine recto. Oportebat namque sobolem hominis tamdiu durare sub inflicta conditione, quousque Christus reformaret eam ad statum pristinæ libertatis, liberans eam de reatu originalis peccati pretio sanguinis sui. Quam sobolem potuit etiam tunc salvare suæ pietatis instinctu, sed noluit, quoniam æquitas sua non permisit eum mutare propositum sui D decreti.

Vis causam tuæ venditionis cognoscere? Audi Redemptorem tuum per Isaiam
Is. L, 1. evidenter dicentem : Quis est iste liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Vis quoque clare cognoscere cur noluerit te addictum jugo servitutis redimere virtute suæ potentiæ? Audi quid adjecerit præinductis, quibus exprobrarat iisdem servis vitiorum causam voluntariæ venditionis : Numquid abbreviata *Is.* L, 2.
et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Sed idem Propheta demonstrat quid semper obstiterit potentissimæ pietati illius : Ecce, inquiens, non *Ibid.* LIX, 1, 2.
est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat; sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.

CAPITULUM XIII.

Expositio illius sententiæ : Scio autem quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.

QUONIAM ergo prima illa maledictio Dei nos fecit carnales, et spinis ac tribulis adjudicavit, et Adam pater noster ita venundedit nos iniquo commercio, ut agere nequeamus bonum quod volumus, quando abstracti a memoria Dei, compellimur cogitare ea quæ sunt fragilitatis humanæ, dumque ardentes puritatis amore, stimulamur plerumque etiam inviti naturalibus incentivis, quæ vellemus penitus ignorare : tunc scimus et experimur quod non habitat in carne nostra bonum, id *Rom.* VII, 18.
est fixa incessabilisque tranquillitas theoriæ ac puritatis. Sed factum est in nobis istud lugubre pessimumque divortium, ut dum mente velimus legi Dei servire, nec unquam avelli a contemplatione claritatis divinæ, attamen circumfusi carnalibus tenebris, cogimur quadam lege peccati avelli a bono quod novimus : ruentes ab illa celsitudine mentis ad cogitationes et curas terrenas, quibus nos adjudicavit lex peccati, id est sententia Dei quam primus homo peccator incurrit. Unde quamvis Apostolus apertissime fateatur se aut omnes Sanctos inevitabili necessitate hujus

legis seu culpæ constringi, audacter tamen pronuntiat neminem eorum ob hoc esse damnandum, dicendo : Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Jesu; lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis, id est, quotidiana gratia Christi absolvit omnes Sanctos suos ab hac lege peccati et mortis (in quam etiam nolentes incurrunt assidue), dum jugiter postulant remissionem debitorum suorum. *Rom.* VIII, 1, 2.

Videtis ergo Apostolum protulisse hæc verba non ex peccatorum persona, sed ex persona eorum qui vere perfecti sanctique sunt : Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, hoc ago; et, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. *Ibid.* VII, 19. *Ibid.* 23.

CAPITULUM XIV.

Objectio, quod nec infidelium neque Sanctorum personis conveniat quod ait : Non quod volo facio bonum.

GERMANUS : Verba hæc arbitramur non convenire personis eorum qui capitalibus criminibus implicantur, neque perfectis qui ad mensuram Apostoli profecerunt; sed his qui cupientes a carnalibus vitiis abstinere post Dei gratiam eis infusam et veritatis notitiam, pertrahuntur ad inolitam concupiscentiam passionum, antiqua consuetudine adhuc violentissime dominante in membris eorum tanquam lege quodammodo naturali. Consuetudo namque atque frequentia delinquendi efficitur quasi lex naturalis, quæ insita membris humanæ fragilitatis, rapit ad vitia captivos affectus animæ nondum eruditæ studiis plenis virtutum, sed adhuc rudis ac teneræ seu debilis castitatis; ac lege antiqua subjiciens eos morti, addicit ipsi jugo dominantis peccati, non sinens eos adipisci bonum puritatis quod diligunt, sed magis compellens eos exercere malum quod exsecrantur.

CAPITULUM XV.

Responsio ad prædictam objectionem.

THEONAS : Opinio vestra non parum profecit, quia vos ipsi jam affirmatis verba illa Apostoli dici non posse ex persona eorum qui omnino sunt peccatores, sed ea proprie convenire iis qui conantur se refrenare a carnalibus vitiis. Quos quia nunc segregatis a numero peccatorum, consequens est ut eos paulatim inseratis cœtibus fidelium ac Sanctorum. Quæ enim genera vitiorum dicitis istos posse committere, a quibus per quotidianam gratiam liberentur, si fuerint eis post Baptismi gratiam involuti? Vel de quo corpore mortis dixit Apostolus : Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum? Nonne manifestum est, sicut ipsa veritas cogit vos confiteri, Apostolum loqui de præfato corpore mortis, cui quotidiana gratia Christi succurrit; non autem de membris illis capitalium criminum per quæ acquiritur mortis æternæ stipendium, utpote homicidii, fornicationis, adulterii, ebrietatis, furti atque rapinæ? Quicumque enim post Baptismum et Dei notitiam corruerit in hoc corpus mortis, sciat se purgandum afflictione pœnitentiæ diuturna aut pœnali dolore, non quotidiana gratia Christi, id est facili remissione, quam Deus exoratus consuevit dare erroribus nostris omni momento; aut certe pro iis deputandum se esse postea pœnis æternis, dicente Apostolo : Nolite seduci; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. *Rom.* VII, 24, 25. *I Cor.* VI, 9, 10.

Aut quæ est ista lex militans in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ, quæ quum adduxerit nos captivos ac resistentes in lege peccati ac mortis, *Rom.* VII, 23.

et fecerit nos sibi servire carne, nihilo minus permittit nos legi Dei servire mente? Non enim puto quod lex peccati designet hic capitalia vitia, aut verba ista posse intelligi de illis criminibus quæ qui committit, non servit mente legi divinæ, imo mente recedit ab ea antequam carne committat talia crimina. Quid enim est servire legi peccati, nisi implere ea quæ a peccato jubentur? Quod ergo genus peccati est, a quo dum tanta sanctitas atque perfectio se sentiat captivari, non tamen ambigat se liberandam gratia Christi, dicens : (*Rom.* VII, 24, 25.) Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum?

Quam, inquam, legem asseritis esse in membris nostris, quæ abstrahit nos a lege Dei, et captivans nos legi peccati, facit nos esse infelices magis quam nocentes : ut non adjudicemur æternis suppliciis, sed suspiremus de gaudio beatitudinis interrupto, et auxiliatorem quærentes qui retrahat nos ad gaudium illud, cum Apostolo exclamemus : (*Ibid.* 24.) Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Nempe quid aliud est captivum duci in lege peccati, quam permanere in peccati effectu seu opere?

Aut quod aliud assignabitur principale bonum, quod Sancti explere seu perficere nequeunt, nisi illud cujus comparatione cetera omnia non sunt bona? Quod, ut diximus, est contemplatio ipsa. Multa quoque scimus esse bona in vita præsente, præcipue continentiam, sobrietatem, humilitatem, justitiam, temperantiam, misericordiam, pietatem; sed ista æquari non possunt illi præcipuo bono, et perfici possunt non solum ab apostolicis, sed a mediocribus hominibus : et ii a quibus impleta non fuerint, æterno supplicio punientur, aut redimentur labore pœnitentiæ magno, non facili remissione seu quotidiana gratia Christi, ut diximus.

Superest ergo ut fateamur sententiam istam Apostoli solis Sanctis recte competere, qui incurrentes quotidie in prætactam legem peccati, non criminum, non præcipitantur a statu salutis in capitale peccatum; sed a contemplatione divina devoluti ad miserias cogitationum de rebus corporalibus conceptarum, fraudantur plerumque bono beatitudinis veræ. Si enim sentirent se quotidianis sceleribus alligari in hac lege peccati quæ est in membris eorum, non causarentur aut conquererentur de amissione felicitatis, sed innocentiæ; nec diceret apostolus Paulus : Infelix ego homo, sed dirus et sceleratus ego homo; nec vellet absolvi de corpore mortis hujus, id est de conditione mortali, sed a criminibus carnis. Interea quoniam sensit se captivatum conditione fragilitatis humanæ, id est deductum ad curas carnales, quas lex peccati et mortis operatur, ingemiscens super hanc legem peccati quam invitus incurrerat, recurrit confestim ad Christum, sicque salvatus est præsentissima liberatione gratiæ ejus. Quidquid igitur lex illa peccati, quæ spinas ac tribulos cogitationum mortaliumque curarum producit, etiam in terra seu fundo apostolici pectoris germinarit, ista lex gratiæ mox avellit, dicente Apostolo : Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit (*Rom.* VIII, 2.) me a lege peccati et mortis.

CAPITULUM XVI.

Quid sit corpus peccati et mortis.

HOC est ergo inevitabile corpus mortis, in quo perfecti, qui gustaverunt quam (*Ps.* XXXIII, 9.) dulcis est Dominus, quotidie revoluti, sentiunt cum Propheta quam amarum sit (*Jer.* II, 19.) recedere a Domino Deo suo. Hoc est corpus mortis, quod retrahens eos a divino intuitu, pertrahit ad terrena : quod eos psallentes aut in oratione prostratos facit retractare aut cogitare humanas effigies, sermones, negotiationes, aut actus superfluos. Hoc est corpus mortis, quod omnes qui imitantur angelicam sanctitatem et cupiunt Domino jugiter inhærere, non sinit invenire perfectionem contemplatio-

nis, sed obstat ita quod faciunt malum quod nolunt, id est, mente traducuntur ad illa quæ non pertinent ad profectum virtutum aut perfectionem. Denique, ut Apostolus evidenter insinuaret se ista dixisse de perfectis ac Sanctis sibi similibus, designans se ipsum digito quodam seu tactu, continuo subdit : Itaque ego ipse, id est, ego qui ista loquor, pando tenebras conscientiæ meæ, non alterius. Solet enim hoc modo loquendi familiariter uti Apostolus, dum vult specialiter se ipsum designare, ut ibi : Ipse ego Paulus obsecro vos per modestiam et mansuetudinem Christi; et rursus : Nisi quod ego ipse non gravavi vos? et alibi : Ego ipse Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit ; ad Romanos quoque : Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Insuper potest et sic accipi non absurde, ut cum emphasi pronuntietur : Itaque ego ipse (quem scitis apostolum esse Christi, quem toto veneramini animo, quem creditis esse perfectum ac summum, et in quo loquitur Christus) quum mente deserviam legi Dei, fateor me carne servire legi peccati, id est, sollicitudine seu distractione conditionis humanæ interdum devolvor de cœlestibus ad terrena, et altitudo mentis meæ dilabitur ad curam vilium rerum, per quam sentio me captivari omni hora in lege peccati; ut quamvis immobilis perseverem affectu circa legem Dei, nihilo minus sentio me nullo modo posse vim captivitatis istius evadere, nisi semper confugero ad gratiam Salvatoris.

Rom. VII, 25. II Cor. X, 1. Ibid. XII, 13. Galat. V, 2. Rom. IX, 3. Ibid. VII, 25. II Cor. XIII, 3.

CAPITULUM XVII.

Quod Sancti omnes veraciter confiteantur peccatores se esse.

IDCIRCO omnes Sancti quotidianis compuncti suspiriis propter hanc suam fragilitatem, dum perscrutantur cogitationum suarum varietates et interiora conscientiarum suarum, suppliciter clamant ad Dominum : Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens; et illud, Quis gloriabitur castum se habere cor; aut quis habebit fiduciam mundum se esse a peccato? itemque, Non est enim homo justus in terra qui faciat bonum, et non peccet.

Ps. CXLII, 2. Prov. XX, 9, juxta LXX. Eccle. VII, 21.

Et ita senserunt justitiam hominum esse infirmam et imperfectam, ac jugiter indigentem misericordia Dei, ut unus eorum, cujus peccata Deus purgavit ignito carbone verbi sui misso de altari, dicat post admirabilem Dei contemplationem, post intuitum sublimium Seraphim et revelationem sacramentorum cœlestium : Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito ! Qui, ut arbitror, nec tunc forsan sensisset immunditiam labiorum suorum, nisi contemplatione Dei meruisset agnoscere veram ac integram puritatem perfectionis : cujus intuitu ita repente cognovit suam pollutionem ante sibi incognitam. Quum etenim ait, Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus ego sum ; id quod sequitur, monstrat eum hoc dixisse de pollutione labiorum suorum, non de aliis, quia adjecit : Et in medio populi polluta labia habentis ego habito. Rursus, quum orans confitetur generaliter immunditiam peccatorum, complectitur supplicatione communi non solum iniquos, sed etiam justos : Ecce (inquiens) tu iratus es, et peccavimus; in ipsis fuimus semper, et salvabimur ; facti sumus ut immundus omnes nos, et tanquam pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ. Quid, quæso, evidentius ista sententia, qua Propheta comprehendit universas justitias nostras, non unam tantum; et circumspiciens omnia quæ judicantur horrida et immunda, comparavit eas panno menstruatæ, quia in conversatione humana non reperit aliquid turpius hujusmodi panno?

Is. VI, 6, 7. Ibid. 5. Ibidem. Ibidem. Ibid. LXIV, 5, 6.

Idcirco spinosa objectio frustra opponitur apertissimæ veritati, ut quod paulo ante dixistis : Si nemo sine peccato, ergo nullus est sanctus; et si nemo sanctus,

ergo nullus salvabitur. Nodus enim hujus A quæstionis solvi potest testimonio Prophe-
Is. LXIV, 5. tæ dicentis, Ecce tu iratus es, et peccavimus : id est, quum privasti nos auxilio gratiæ tuæ, indignans nobis propter superbiam et negligentiam nostrorum vitiorum, vorago confestim absorbuit nos; velut si quis dicat splendidissimo soli : Ecce tu occubuisti, et statim operuit nos caligo. Nihilo minus quum sanctus Isaias se dicat peccasse, imo et in peccatis semper mansisse, non desperat de salute, sed subdit :
Ibidem. In ipsis fuimus semper, et salvabimur. B
Ibidem. Hanc ergo sententiam, Ecce tu iratus es, et peccavimus, comparabo apostolicæ sen-
Rom. VII, 24. tentiæ huic : Infelix ego homo, quis me liberabit, etc.? Id quoque quod ait Pro-
Is. LXIV, 5. pheta, In ipsis fuimus semper, et salvabimur, consonat sequentibus verbis Apo-
Rom. VII, 25. stoli : Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Rursus quod ait idem
Is. VI, 5. Propheta, Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito : videtur inclu-
Rom. VII, 24. dere præinductos sermones Apostoli, In- C felix ego homo, etc. Insuper quod sequitur
Is. VI, 6, 7. in Propheta : Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus carbunculus seu calculus quem forcipe tulerat de altari; et tetigit os meum, et dixit, Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur : tale est, ut
Rom. VII, 25. videatur prolatum ore Pauli dicentis : Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Videtis ergo qualiter omnes Sancti fateantur se veraciter peccatores, non solum ex persona populi vitiosi, sed item D ex sua; et tamen nequaquam desperant de sua salute, imo de miseratione et gratia Dei præsumunt plenitudinem justificationis, quam diffidunt se consequi posse ex conditione fragilitatis humanæ.

CAPITULUM XVIII.

Quod justi et Sancti non sint sine peccato.

MAGISTERIUM etiam Salvatoris docet, neminem in hac vita, quamvis sanctum, esse immunem a debitis peccatorum; quoniam tradens formam orationis perfectæ suis discipulis, jussit interseri inter reliqua illa mandata sacratissima atque altissima, quæ nequeunt convenire infidelibus et malignis, quoniam data non sunt nisi perfectis et Sanctis : Dimitte *Matth.* VI, 12.
nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Si ergo oratio ista vere profertur a Sanctis (sicut indubitanter credere nos oportet), quis poterit inveniri tam præsumptuosus et contumax, et tanta superbia diabolici furoris elatus, qui dicat se esse sine peccato, et credat se majorem non solum Apostolis, verum etiam arguat Salvatorem de ignorantia aut vanitate : ut vel nescierit aliquos homines posse esse immunes a debitis, aut frustra docuerit eos ita orare, quos noverat non egere remedio orationis prætactæ? Omnes itaque Sancti servantes præcepta regis sui, si veraciter dicunt, Dimitte nobis debita *Ibidem.*
nostra; nemo immunis est a peccato. Si autem fallunt, ergo non carent culpa mendacii. Hinc Ecclesiastes mente percurrens universos actus ac studia hominum, sine exceptione locutus est : Non est homo *Eccle.* VII, 21.
justus in terra qui faciat bonum, et non peccet; id est, nemo unquam potuit aut poterit reperiri tam sanctus et diligens tamque intentus in terra, qui tam incessabiliter valeat per contemplationem inhærere summo et singulari veroque bono, ut non sentiat se quotidie distractum ab illo ac reum. Qui quamvis dicatur non posse immunis esse a culpa, justus tamen vocatur.

CAPITULUM XIX.

Quod peccatum vitari non possit in ipso orationis tempore.

QUI ergo adscribit impeccantiam naturæ humanæ, confligat nobiscum non verbis inanibus, sed probatione ac testimonio conscientiæ suæ; et tunc affirmet se esse absque peccato, quum se senserit

nusquam aversum a summo bono. Imo A vero quicumque examinans conscientiam suam, invenerit se celebrasse aut consummasse saltem unam synaxim orationum seu horam sine ulla interpellatione seu distractione cogitationis, verbi aut facti, ut non amplius dicam, pronuntiet se esse sine peccato. Proinde, quia fatemur celerem discursum mentis humanæ non posse carere iis omnibus otiosis atque superfluis rebus, per hoc consequenter confitemur veraciter quod sine peccato non sumus. Nam quantumlibet magna circumspectio- B ne quis cor suum servare conetur, nunquam tamen custodiet illud secundum desiderium spiritus sui, resistente conditione corporis proprii. Imo, quanto plus mens humana profecerit, et ad sinceriorem contemplationis puritatem pervenerit, tanto se sordidiorem videbit quasi per speculum suæ munditiæ, quia necesse est ut dum animus se extendit ad sublimiorem intuitum, et majora cognoscit quam agit, ea in quibus est et quæ agit adspiciat semper ut inferiora ac viliora. Nam et C sincerior visus considerat plura, et irreprehensibilis vita parit sibi majorem reprehensionis dolorem; emendatio quoque morum multiplicat sibi suspiria, æmulatioque attenta virtutum est mater gemituum. Denique nemo potest esse contentus gradu in quem proficiendo devenit, et quanto quis fuerit mente purgatior, tanto sordidiorem se videt, magisque invenit in se causas humilitatis quam elationis; et quanto promptius ad sublimiora ascenderit, tanto amplius videt sibi superesse quo D tendat. Postremo eximius ille Apostolus quem diligebat Jesus, super pectus Jesu recumbens, quasi ex dominico corde protulit istam sententiam : Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si itaque dicendo nos non habere peccatum, non habemus veritatem, id est Christum in nobis, quid aliud proficimus nisi ut nos hac ipsa professione comprobemus sceleratos ac impios ?

Joann. XIII, 23. I *Joann.* I, 8.

CAPITULUM XX.

A quibus discenda sit peccati evacuatio et virtutum perfectio.

POSTREMO, si cupimus veraciter explorare an possibile sit homini impeccantiam possidere, a quibus poterimus hoc manifestius discere quam ab his qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, et quibus vere crucifixus est mundus? Qui dum evulserint de cordibus suis non solum universa peccata, verum etiam conentur excludere cogitationes atque memoriam vitiorum, nihilo minus fideliter dicunt quotidie se non carere una die macula culpæ.

Galat. V, 24. *Ibid.* VI, 14.

CAPITULUM XXI.

Quod non debeamus nos a sacra communione suspendere, quamvis cognoscamus nos peccatores esse.

NEC tamen idcirco debemus a communione dominica abstinere, quia agnoscimus peccatores nos esse : imo ad eam magis ac magis est festinandum propter animæ medicinam mentisque purificationem; verumtamen ea humilitate et fide, ut fateamur nos perceptione tanti sacramenti indignos, remediumque petamus vulneribus nostri cordis. Alioqui nec digne quis communicaret semel in anno, ut faciunt quidam in monasteriis consistentes, qui ita ponderant dignitatem, sanctificationem ac meritum sacramentorum cœlestium, ut æstiment non nisi Sanctos et immaculatos ad ea debere accedere, et non potius ut ipsa faciant nos sua participatione dignos et mundos. Qui profecto incurrunt majorem arrogantiæ præsumptionem, quam se putant evadere, quoniam judicant se dignos eisdem, quum ea accipiunt. Sed multo salubrius est ut ea suscipiamus omni die dominica pro animarum nostrarum curatione, cum hac cordis humilitate qua credimus et fatemur,

quod nunquam possumus sacrosancta mysteria digne contingere propter merita nostra, quam ut vana persuasione decepti ac tumidi, æstimemus nos dignos participatione eorum post annum.

Quapropter attentius imploremus misericordiam Dei, ut valeamus hæc intelligere et fructuose tenere, atque ut adjuvet nos ad percipienda aut perficienda hæc documenta : quæ nequaquam discuntur præcedente quadam ratione verborum, ut ceteræ artes humanæ, sed potius actu et experientia ; quæ etiam per incuriam dissuescunt et abeunt, aut otiosa oblivione depereunt, nisi fuerint frequenter examinata et polita collationibus spiritualium patrum, et sollicite ventilata doctrinis et experientiis quotidianis.

COLLATIO XXIV

(Abbatis Abrahæ)

DE MORTIFICATIONE.

CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter manifestaverimus secreta cogitationum nostrarum abbati Abrahæ.

Cf. p. 316C, D. *Apoc. iv, 10.*

VICESIMAM quartam istam collationem, quæ est abbatis Abrahæ, describimus nunc : quæ mystice congruit numero viginti quatuor seniorum qui in sancta Apocalypsi dicuntur coronas suas offerre Agno ; quæ etiam claudit seu terminat traditiones ac instituta omnium seniorum. Qua consummata, credimus nos liberandos a debitis omnium promissionum nostrarum. Proinde si hi senes nostri coronati fuerint gloria aliqua propter meritum suæ instructionis, subjectis sunt oblaturi capitibus Agno illi qui immolatus est pro salute mundi. Ipse enim dignatus est dare illis sapientiam tam sublimem, et nobis qualemcumque sermonem, quo tanta profunditas doctrinæ illorum depromeretur ob nominis sui honorem ; et necesse est ut merita munerum reserventur ad auctorem universorum bonorum, cui hoc ipso plus debetur quo amplius solvitur.

Itaque ad Abraham istum detulimus anxiam impugnationem cogitationum nostrarum, qui quotidianis æstibus cordis incitabamur ad repetendam nostram provinciam atque ad revisendos parentes. Hinc etenim innascebatur nobis maxima occasio desideriorum nostrorum, quod tanta religione ac pietate recordabamur parentes nostros prædictos, ut præsumeremus eos nequaquam impedituros propositum nostrum : hoc jugiter recogitantes quod ex assiduitate illorum capturi essemus majorem A profectum, et quod de cetero non essemus occupandi aliqua sollicitudine corporalium rerum aut provisione necessarii victus, quoniam nostri parentes omnia exhiberent nobis cum gaudio. Insuper pavimus animum nostrum spe inanium gaudiorum, credentes nos percepturos maximum fructum de conversione multorum qui dirigendi essent ad viam salutis nostro exemplo ac monitis, tum propter situs locorum in quibus habitaverunt majores nostri. Jucunda quoque amœnitas regio- B num pingebatur ante oculos cordis : quam gratæ et spatiosæ solitudines essent in eis, ita ut secreta silvarum possent non tantum monachum delectare, sed et præbere maxima compendia vitæ. Quæ omnia quum panderemus seni simpliciter secundum fidem conscientiæ nostræ, fusisque lacrimis testaremur non posse jam tolerare vim impugnationum istarum, nisi gratia Dei succurreret nobis per instructionem ipsius : senex ipse diu tacens ac differens, atque postremo graviter ingemiscens, re- C spondit.

CAPITULUM II.

Qualiter patefecerit nobis nostros errores.

ABRAHAM : Cogitationum vestrarum infirmitas pandit vos nondum renuntiasse desideriis mundi, nec pristinas concupiscentias mortificasse. Nam sicut evagatio desideriorum vestrorum pandit desidiam cordis vestri, sic constat quod solo cor- D pore sustinetis hanc peregrinationem et parentum absentiam, quam debuistis po-

tius mente suscipere. Si enim concepissetis rationem abrenuntiationis, principalemve causam solitudinis in qua estis, omnia jam prætacta essent sepulta et prorsus evulsa de cordibus vestris. Itaque sentio vos laborare ægritudine otii, de qua in Proverbiis fertur : In desideriis est omnis otiosus ; itemque, Desideria occidunt pigrum. Nam et emolumenta seu compendia ista carnalium commodorum quæ tangitis, possent et nobis adesse, si crederemus ea nostro proposito convenire, et judicaremus nobis posse conferri talem fructum ex jucunditatibus amœnitatum illarum, qualis est fructus iste qui acquiritur ex horum squalore locorum afflictioneque corporum. Nec sumus ita destituti parentum solatio, ut desint qui cupiant nos de suis facultatibus sustentare, nisi sententia Salvatoris excluderet quidquid ad sustentationem talem corporis pertinet. Ipse enim ait : Qui non oderit, vel reliquerit, patrem, et matrem, et filios, et fratres, non potest meus esse discipulus. Quod et si destituti essemus parentum solatio, non tamen possent nobis deesse subsidia potentium hujus mundi, qui promptissima largitate ministrarent necessitatibus nostris cum omni gratiarum actione, per quod careremus sollicitudine victus parandi; nisi maledictio illa prophetica perterreret nos vehementer : Maledictus homo qui ponit spem suam in homine; et, Nolite confidere in principibus. Insuper, potuimus ponere cellulas nostras super ripas fluvii Nili, et aquam habere pro foribus, ne cogeremur eam deferre cervicibus nostris per quatuor millia passus; nisi Apostolus indefessos nos redderet ad tolerantiam hujus laboris, animando nos jugiter hoc suo eloquio : Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Nec ignoramus quædam amœna secreta esse in regionibus nostris, in quibus copia pomorum et ubertas hortorum expedirent cum labore facillimo indigentiam nostri victus; nisi formidaremus impingendam nobis esse exprobrationem quæ in Evangelio dicta est diviti : Quia recepisti consolationem in vita tua. Hinc despectis omnibus illis et universa voluptate mundi contempta, delectamur istis squaloribus eremi, atque horrendam hanc solitudinis vastitatem præferimus universis deliciis sæculi; nec comparamus quascumque divitias terræ fecundæ amaritudini hujus arenæ, sectantes emolumenta mentis æterna, non temporalia corporis lucra. Parum est namque monachum semel renuntiasse, id est, in principio suæ conversionis præsentia contempsisse, nisi in renuntiatione perstiterit atque perfecerit usque in finem; quoniam semper dicere cum Propheta debemus : Diem hominis non desideravi, tu scis. Unde et Christus in Evangelio protestatur : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

Prov. XIII, 4, juxta LXX. Ibid. XXI, 25. — Luc. XIV, 26. — Jer. XVII, 5. — Ps. CXLV, 2. — I Cor. III, 8. — Luc. XVI, 25. — Jer. XVII, 16. — Luc. IX, 23.

CAPITULUM III.

De qualitate locorum quæ ab anachoretis expeti debent.

HINC ei qui sollicitudinem gerit pervigilem de interioris hominis puritate, quærenda sunt loca quæ nulla distractione sollicitent mentem ejus sua fecunditate ad quamcumque culturam, aut eum perturbent de suæ cellæ stabilitate fixaque mansione, sive procedere cogant ad opus aliquod subdivale; sicque cogitationibus ejus manifeste effusis per diversa, dispergat omnem mentis suæ directionem subtilissimumque ipsius intuitum. Quæ dispersio a nemine potest caveri neque videri, quamvis sollicitus sit et vigilans corde, nisi qui prius perseveranter recluserit corpus suum ac animum intra parietes claustri : ut ita tanquam piscator egregius providens sibi victum apostolica arte, intentus atque immobilis capiat agmina cogitationum natantia in tranquillissimo cordis sui profundo; et tanquam de prominente scopulo intuens curiose profun-

da, sagaci discretione dijudicet quos cogitatus debeat ad se trahere hamo salubri, et quos abjicere debeat tanquam malos ac noxios pisces.

CAPITULUM IV.

Quæ opera a solitariis eligi debeant.

UNUSQUISQUE ergo in hac custodia jugiter perseverans, efficaciter adimplebit quod Habacuc clare expressit : Super custodiam meam stabo, et ascendam super petram, et speculabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. (Habac. II, 1. juxta LXX.) Quod quanti laboris ac difficultatis exsistat, apertissime comprobatur experimentis illorum qui commorantur in eremo Porphyrionis seu Calami. Nempe quum separentur ab universis urbibus et habitaculis hominum longiori spatio quam Scythi (nam introeuntes deserta solitudinis vastissimæ, per septem vel octo mansiones vix perveniunt ad abdita cellularum suarum), attamen dediti agriculturæ ibidem, nec in cellulis suis jugiter residentes, dum venerint ad loca Scythi, vel ad squalida ista in quibus degimus loca, vexantur tantis æstibus et anxietatibus cogitationum ac animi, ut quasi rudes et inexperti exercitiorum solitariæ mansionis, nequeant tolerare commorationem cellæ et quietis silentia, atque ex eis statim excussi, turbentur tanquam expertes et velut novitii. Non enim didicerunt jugi sollicitudine et perseveranti intentione sedare motus interioris hominis, et cogitationum suarum tempestatibus obviare : qui insistentes quotidie subdivalibus suis operibus, tota die pervolitant seu moventur sub aere, non solum corpore, sed etiam mente; et passim in apertum diffundunt cogitationes suas cum sui corporis motione. Idcirco non sentiunt multimodam sui animi vanitatem, nec prævalent coercere lubricos ejus discursus, nec sustinentes contritionem spiritus, æstimant jugitatem silentii sui intolerabilem esse : et qui infatigabiles erant in laboriosis operibus ruris, superantur nunc otio, diuturnitate quoque suæ quietis lassantur.

CAPITULUM V.

Quod evagatione corporis gravetur magis quam relevetur cordis anxietas.

NEC mirum si quis in cella residens, cogitationibus suis quasi intra clausuram arctissimam congregatis, suffocetur multitudine anxietatum suarum, quæ cum homine erumpentes de solitudinis loco, confestim pervolitant tanquam indomiti equi per diversa. Quum vero ad præsens quasi de suis stabulis evagantur, capitur aliquod breve ac triste solatium; porro corpore ad cellam propriam remeante, tota cogitationum caterva recurrit quasi ad propriam sedem, et inveteratæ licentiæ consuetudo excitat stimulos graviores. Hi ergo qui nondum queunt aut nolunt reluctari instigationibus voluntatum suarum, quum fuerint anxiati in cella, acedia instigante pectus eorum vehementius solito : si concesserint sibi ipsis libertatem egrediendi frequentius, lege districtionis remissa, suscitabunt acriorem pestem adversus se isto egressu, quem putant esse remedium suæ acediæ. Quemadmodum quidam putant se posse restinguere calorem febrium internarum haustu frigidissimæ aquæ, quum utique constet illum calorem magis accendi ex hoc quam sedari : imo afflictio multo gravior sequitur illud momentaneum relevamen.

CAPITULUM VI.

Qualiter monachus debeat custodire cogitationes suas.

PROPTEREA omnis intentio monachi ita est semper figenda in unum, et ortus atque circuitus omnium cogitationum ipsius revocandi sunt strenue in id ipsum, id est ad Dei memoriam : velut si quis

velit cameram absidis superius terminare, A jugiter circumducit lineam subtilissimi centri illius, omnemque rotunditatis æqualitatem et structuræ rationem ac modum perpendit ac colligit secundum certissimam lineæ normam. Qui autem præsumpserit opus illud consummare absque lineæ illius applicatione, quamvis summa arte aut ingenio id præsumat, impossibile est ut sine errore custodiat æqualitatem illius circuitus, aut solo adspectu perpendat quantum suo errore subtraxerit pulchritudini rotunditatis illius, nisi semper B recurrat ad illum rectitudinis indicem, ejusque judicio corrigat aut perpendat interiorem et exteriorem sui operis ambitum. Ita quoque mens nostra nisi circumagat per universa opera sua Dei caritatem, tanquam centrum immobiliter fixum, et qualitatem omnium cogitationum suarum aptaverit, sive abjecerit, probabili (ut sic loquar) circino caritatis, nequaquam sapienter ædificabit structuram spiritualis
I Cor. III, 10. ædificii cujus architectus est Paulus; nec possidebit pulchritudinem domus illius C quam sanctus David cupiens Deo ædificare in corde suo, disseruit :
Ps. XXV, 8. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ; sed eriget imprudenter domum indecoram, Spiritu Sancto indignam, moxque casuram : non glorificandus hospitio summi cohabitatoris, sed lugubriter ruina constructionis suæ opprimendus.

CAPITULUM VII.

Objectio, cur nobis posset nocere parentum vicinia, quæ non obesset consistentibus in Ægypto. D

GERMANUS : Opus hoc quod in cella fieri potest, præcipitur satis utili ac necessario instituto, quia utilitas exercitii hujus sæpe innotuit nobis, non solum exemplo beatitudinis vestræ fundatæ in imitatione apostolicarum virtutum, verum etiam testimonio experientiæ nostræ. Sed non satis patet cur tantopere vitare debeamus parentum viciniam, quam nec vos nimium respuistis. Quum enim cernamus vos in omni via perfectionis irreprehensibiliter incedentes, residere non solum in regionibus propriis, verum etiam quosdam vestrum non longe recessisse a viculis suis, cur reputatur nobis periculosum, quod non judicatur vobis nocivum?

CAPITULUM VIII.

Responsio, quod non omnibus omnia conveniant.

ABRAHAM : Cernimus per exempla, quod interdum nascantur mala ex rebus bonis. Nam si quis præsumpserit eadem agere non eodem affectu atque proposito, aut simili virtute, qua alter, profecto incurrit laqueum damnationis ac mortis, unde alter acquirit fructum salutis. Quod puer ille manu fortis, oppositus bellicosissimo giganti in prælio, indubitanter sus- I Reg. XVII, 38-40.
tinuisset, si fuisset indutus virilibus ac fortissimis armis Saulis. Nam arma illa poterant adolescenti certam inferre perniciem, per quæ ætas robustior prostravisset innumerabiles hostes, nisi ipse adolescens David prudenti discretione elegisset arma suæ adolescentiæ apta, et contra hostem teterrimum armatus fuisset, non lorica aut clypeo quibus ceteros vidit armatos, sed telis seu petris quibus poterat dimicare. Hinc convenit unumquemque nostrum diligentius ante pensare virium suarum mensuram, et juxta eam arripere disciplinam seu vitam magis placentem et congruentem. Nam quamvis omnes vocationes, professiones seu disciplinæ, sint utiles, tamen singulæ non sunt singulis congruentes. Denique quamvis anachoresis bona sit, non tamen convenit universis : imo a multis sentitur non solum infructuosa, sed etiam perniciosa. Sic et conversatio cœnobitalis sancta ac utilis est, similiter cura Fratrum; nec est ab omnibus assumenda. Xenodochii quoque uberrimus fructus est, sed ab omnibus

expeti nequit sine patientiæ detrimento. A Proinde instituta vestræ regionis, et terræ istius, sunt inter se primo pensanda; deinde vires hominum collectæ ex jugi assiduitate virtutum aut vitiorum, trutinandæ seu ponderandæ sunt invicem lance justa. Nam fieri potest ut quod homini unius regionis arduum aut impossibile exstat, aliis ex consuetudine quasi naturale ac facile sit : quemadmodum gentes quædam disjunctæ grandi diversitate terrarum, sustinent absque ullo corporis tegumento magnam vim frigoris aut solis ardorem, quæ B alii talem intemperiem non experti, ferre non valent, quantumcumque robusti sint. Ita et vos, qui summo conatu mentis et corporis nitimini in hac terra impugnare et vincere naturam patriæ vestræ, in multis diligenter attendite an sustinere possitis hanc nuditatem et rigorositatem in regionibus vestris (ut fama est) torpidis, et quasi constrictis frigore nimiæ infidelitatis. Antiquitas namque sanctæ conversationis naturaliter quodammodo indidit fortitudinem hujus propositi nobis : quorum C constantiæ ac virtuti si videtis vos pares exsistere, fugere similiter non debetis viciniam parentum ac fratrum vestrorum.

CAPITULUM IX.

Quod possidentes mortificationem abbatis Apollinis, possint non timere parentum viciniam.

PORRO ut congrua æstimatione metiri possitis vires vestras ad certum districtionis seu discretionis examen, indicabo D breviter vobis factum cujusdam senis, id est abbatis Apollinis : quatenus si intimum cordis vestri examen indicaverit vos non esse inferiores virtuti propositoque illius, præsumatis habitationem patriæ vestræ viciniamque parentum absque periculo et jactura vestri profectus; certi quod propinquitas cognatorum, amœnitas quoque locorum, non possint superare in vobis humilitatem districtionis istius quam in provincia ista extorquet a vobis non solum voluntas, sed et peregrinationis necessitas. Quum ergo intempesta nocte venisset ad præfatum senem frater ejus, rogans ut parum egrediens cellam, præberet sibi auxilium ad extrahendum bovem quem deflevit cœno esse infixum, quia non potuit solus bovem eruere; eidem diutius obsecranti respondit abbas Apollo : Cur non rogasti fratrem nostrum juniorem, qui tibi in via propius occurrebat? Tunc germanus Apollinis putans quod esset oblitus mortem fratris sui junioris diu sepulti, quod item impos esset rationis ex nimia abstinentia et solitudine longiturna, respondit : Quomodo potui illum rogare, qui obiit ante quindecim annos? Ad quod Apollo : Ignoras, inquit, et me fuisse defunctum mundo annos viginti, nec posse me tibi conferre solatia aliqua ad ea quæ concernunt vitam præsentem, egrediendo hujus cellæ sepulcrum; quum Christus non permittat me relaxari ab adimpletione mortificationis arreptæ ad extrahendum bovem tuum, in tantum quod non concessit discipulo brevissimas pro patre suo sepeliendo inducias, quum tamen sepelitio illa fuisset multo celerius, honestius religiosiusque agenda?

Nunc ergo discutite secreta pectoris vestri, et prudenter pensate an possitis jugiter retinere circa parentes et propinquos vestros talem districtionem. Quumque senseritis vos similes seni præfato in mortificatione hujusmodi, tunc scitote quod parentum vicinia non oberit vobis; dum sentitis vos mortuos esse illis quamvis in proximo constitutis, ita ut nec illos foveatis vestris solatiis, nec permittatis vos relaxari illorum obsequiis.

CAPITULUM X.

Interrogatio, an obsit monacho, quod necessaria vitæ ministrentur ei a suis parentibus.

GERMANUS : Non reliquisti aliquem locum ambiguitati in hac re. Certi enim sumus nos nullatenus posse in illa pro-

vincia exercere vilitatem præsentis habitus hujus nec nudipedalia ista quotidiana, nec simili labore procuraturos nos ibi necessaria vitæ, sicut oportet nos hic aquam deportare cervicibus nostris a millibus multis; quia nec nostra, nec parentum verecundia sineret nos ista agere coram ipsis. Sed quid obesset proposito nostro, si ex subministratione parentum essemus penitus liberi a cura victus parandi, sic amplius insisteremus orationi ac lectioni, ut sublato labore hoc, quo modo distrahimur, vacaremus attentius solis spiritualibus rebus ?

CAPITULUM XI.

Responsio, quid sanctus pater Antonius super hoc dixerit.

ABRAHAM : Contra hoc proferam non meam, sed Antonii abbatis sententiam, qua ipse confutavit teporem Fratris cujusdam, ita quod etiam solverit nodum vestræ interrogationis. Quum enim juvenis diceret ad B. Antonium, anachoreticam vitam non esse mirandam, sed majoris meriti esse si quis inter homines agat ea quæ sunt perfectionis, quam si ea exerceat in eremo solus ; interrogavit eum Antonius : Ubi moraris ? Qui ait : Apud parentes, quorum provisione liber sum ab omni sollicitudine diurni laboris, atque indesinenter sine cordis distentione insisto orationi et lectioni. Cui abbas Antonius : Dic mihi, fili, anne contristeris in damnis et adversitatibus parentum tuorum, anne etiam pari modo læteris de prosperitate illorum. Quo respondente quod imo, senex adjecit : Scias te in futuro sæculo deputandum cum illis, quibus nunc sociaris gaudio lucri et mœrore adversi. Insuper pater Antonius non contentus ista sententia, ingressus est sententiam majorem : Hæc, inquiens, conversatio tua atque hic tepidissimus status non solum te feriunt detrimento prædicto (quamvis modo non sentias hoc, juxta illud Proverbiorum :

A Percusserunt me, et non dolui; et deluserunt me, ego autem nescivi; et juxta illud propheticum : Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit) : nam et cunctis diebus mutant mentem tuam secundum casuum occurrentium varietatem, et ad terrena eam demergunt; insuper fraudant te fructu manuum tuarum ac justa proprii laboris mercede, nec permittunt te aliunde provisum præparare tibi victum quotidianum manibus tuis, secundum doctrinam Apostoli. Qui quum daret ultima B mandata Ephesiis, reseravit se propriis laboribus procurasse necessaria victui, non tantummodo sibi, verum etiam his qui erant necessariis obsequiis impediti circa ministerium suum ; quum tamen et ipse occupatus esset actibus evangelicæ prædicationis. Nam ait : Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Quod tamen se pro nostra ædificatione fecisse ostendit, alibi loquens : Non otiosi fuimus inter vos, neque gratis panem C manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus ; non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

Prov. xxiii, 35. juxta LXX.
Osee vii, 9.
Act. xx, 34.
II *Thess.* iii, 7-9.

CAPITULUM XII.

De utilitate operationis, et otii detrimento.

ET ideo quum et nobis non deessent D parentum subsidia, prætulimus tamen hanc nuditatem opibus cunctis, et maluimus acquirere quotidiana alimenta laboribus propriis, potius quam a parentibus provideri : præferentes laboriosissimam istam penuriam otiosæ meditationi Scripturarum, quam prædicas, infructuosæ quoque instantiæ lectionis ; quam utique libentissime sectaremur, si Apostolus suis exemplis docuisset hoc esse salubrius, aut instituta seniorum hoc definissent. Præterea scias te ultra prædicta feriendum de-

trimento non leviori : quoniam quum sis sanus robustusque corpore, sustentaris alieno stipendio, quod juste tributum est solis debilibus. Nam præter monachos, qui secundum doctrinam Apostoli, vivunt quotidianis manuum suarum laboribus, ceteri omnes exspectant agapen, fructum sive laborem, alienæ operationis : de qua certum est sustentari non solum eos qui gloriantur se sustentari facultatibus suorum parentum, seu laboribus famulorum aut fructibus suorum fundorum, sed etiam reges mundi. Denique determinatio majorum nostrorum hoc habet, quoniam quidquid accipitur pro victu quotidiano, quod acquisitum non est proprio labore, ad agapen pertinet, juxta Apostolum, qui otiosis penitus prohibet opem alienæ largitatis, dicendo : Qui non operatur, non manducet. (II *Thess.* III, 10.)

His verbis usus B. Antonius contra quemdam, informavit et nos magisterio sui exempli, ut devitemus perniciosissima blandimenta parentum et agapen omnium subministrantium necessaria victui, et omne solatium habitationis amœnæ, præponamusque cunctis opibus mundi arenas amaritudine naturali squalentes et regiones salsa inundatione perustas, atque ob hoc nullius dominationi aut juri subjectas : ut declinemus frequentias hominum non solum obtentu solitudinis inviæ, sed etiam ut nequaquam sollicitet nos qualicumque occupatione culturæ natura uberis terræ, per quam mens distracta ab illa principali cordis custodia, redderetur spiritualibus studiis minus apta.

CAPITULUM XIII.

Fabula composita de tonsore, ad cognoscendas illusiones diaboli.

NAM quod confiditis vos posse salvare et alios, et spe lucri majoris festinatis ad patriam revisendam, audite super hoc fabulam abbatis Macarii jucundissime atque aptissime editam, quam ipse pro medicina narravit cuidam similibus desideriis

A æstuanti. Erat in civitate quadam peritissimus tonsor, qui unumquemque detondens pro tribus denariis, acquirens vilem ac tenuem operis sui mercedem, comparabat ex eadem quantitate necessarium sibi victum, intulitque suo marsupio singulis diebus centum denarios. Dumque indesinenter reconderet lucrum hoc, audivit quod in urbe quadam remota unusquisque tonsus daret tonsori solidum unum. Quo audito : Quamdiu, inquit, ero contentus hoc modico lucro, quum possim B in illa civitate ditari lucrando tot solidos ? Itaque secum portans instrumenta suæ artis, cum grandi labore pervenit ad quæstuosissimam urbem illam, consumens in via quæ multo tempore congregavit. Quumque eadem die qua urbem illam ingressus est, recepisset ab unoquoque tonso tantum sicut audierat, videns ad vesperam se lucratum solidos valde multos, lætus transiit ad macellum empturus carnes ad manducandum. Quas quum cœpisset emere pro plurimis solidis, exposuit pro victu C exiguo quidquid fuit lucratus, nec quidquam inde retinuit. Quum itaque cerneret se quotidie omne lucrum suum consumere nec quidquam recondere, imo vix posse sustentari ex solidis istis acquisitis, cogitavit apud se, dicens : Revertar in urbem meam, et promerebor ibi tenuissimum quæstum ex quo quotidie necessitatibus meis providi et abundavi ; et quamvis quæstus ille videbatur mihi nimis parvus ac tenuis, magnam tamen intulit mihi summam suo augmento assiduo. D Lucrosior mihi fuit ille nummus, quam iste solidorum imaginarius quæstus, ex quo non solum nihil mihi superfluit quod recondam, sed vix necessaria victui quotidiano acquiro.

Conformiter, rectius nobis est indesinenter sectari tenuissimum istum solitudinis quæstum seu fructum, quem non corrodat aliqua occupatio sæcularis, aliqua mundana distentio aut gloriæ vanæ elatio, quem nullæ sollicitudines necessitatis diurnæ diminuant (melius nam- (*Ps.* XXXVI, 16.)

que est modicum justo, super divitias A peccatorum multas); quam affectare lucra illa majora, quæ etsi fuerint acquisita quæstuosissima conversione multorum, attamen consumuntur necessitate conversationis mundanæ et distentionibus quotidianis. Denique juxta Salomonis sententiam: *Eccle.* IV, 6, juxta LXX. Melior est pugillus cum requie, quam duo pugilli cum labore et præsumptione spiritus. Quibus illusionibus atque dispendiis necesse est admodum implicari omnes infirmos, qui quum sint adhuc de salute propria dubii, indigeantque magisterio et B institutione alterius, diabolicis illusionibus instigantur ad convertendum regendumque alios. Qui etsi potuerint aliquid lucri acquirere ex aliorum conversione, perdunt per impatientiam suam et inconditos mores quidquid meruerant. Evenit *Agg.* I, 6. quoque eis illud Aggæi prophetæ : Qui mercedes congregat, mittit eas in sacculum pertusum. Vere enim lucra sua in pertuso sacculo ponit, qui per intemperantiam cordis sui et quotidianam sui animi distentionem disperdit quidquid per C aliorum conversionem acquirit. Unde dum per aliorum conversionem credunt uberiora lucra colligere, privantur etiam propria emendatione : *Prov.* XIII, 7, juxta LXX. Sunt enim qui se divites dicunt, nihil habentes, et sunt qui *Ibid.* XII, 9, juxta LXX. se humiliant in multis divitiis; et, Melior est vir in ignobilitate serviens sibi, quam qui dignitatem sibi acquirit, et indiget pane.

CAPITULUM XIV.

Interrogatio, unde irrepserit nobis error talium cogitationum.

GERMANUS : Disputatio tua satis congrue manifestavit nobis errores cogitationum nostrarum comparationibus præinductis, quorum errorum causas et curationes optamus cognoscere; et cupimus edoceri unde acciderit nobis deceptio ista. Certum quippe est omnibus, neminem posse adhibere remedia morbis, nisi eum qui ante narraverit aut cognoverit ipsas morborum origines.

CAPITULUM XV.

Responsio de tripartito animæ motu.

ABRAHAM : Omnium vitiorum unus fons est et unum principium, sed sortitur diversa corruptionum vocabula, secundum qualitatem partis seu potentiæ, atque (ut ita dixerim) membri quod fuerit vitiatum in anima. Quod interdum probatur exemplo corporalium infirmitatum, quarum quum una sit causa, nihilo minus diversa ægritudinum genera distinguuntur juxta infirmantium qualitatem membrorum. Quum enim noxius humor obsederit caput, procreat cephalalgiæ passionem; dum autem invaserit aures et oculos, vertitur in otalgicum sive ophthalmicum morbum; quum vero diffuderit se ad articulos extremaque manuum, vocatur infirmitas articularis atque chiragrica; porro quum ad ima pedum descenderit, podagra appellatur : et ita una ac eadem noxii humoris origo per tot distinguitur nomina, quot occupat membra. Itaque de visibilibus ad invisibilia transeundo, credamus eodem modo vim cujuscumque peccati inesse potentiis animæ nostræ. Quam quum sapientissimi quique dicant esse triformis potentiæ, utpote rationalis, concupiscibilis, et irascibilis : constat quod peccatum corrumpat aliquam harum virium ejus. Ideo quando vis noxiæ passionis obsederit ali- D quam potentiarum istarum, imponitur vitio nomen secundum exigentiam aut dispositionem causæ illius. Si enim pestis vitiorum infecerit vim rationalem, procreabit vitia vanæ gloriæ, elationis, invidiæ, superbiæ, præsumptionis, contentionis ac hæresis; si vulneraverit vim irascibilem, pariet furorem, impatientiam, tristitiam, acediam, pusillanimitatem et crudelitatem; si autem corruperit concupiscibilem, generabit gulam, fornicationem, avaritiam concupiscentiasque carnales.

CAPITULUM XVI.

Quod ratio fuisset corrupta in nobis.

SI ergo vultis agnoscere vestri erroris ac peccati originem, scitote rationalem vim animæ vestræ fuisse corruptam, ex qua oriuntur præsumptio et gloria vana. Proinde hæc prima vis animæ vestræ, videlicet ratio, curanda est vera discretione et humilitate. Qua ratione vitiata, dum creditis vos non solum jam pervenisse ad perfectionis fastigia, sed et alios posse docere, et judicatis vos idoneos ac sufficientes ad ceterorum instructionem, per elationem vanæ gloriæ agitamini vanitate evagationum, quam prodidistis. Quas poteritis de cetero amputare absque difficultate, si in vera discretione et humilitate fundetis vos, atque discatis quam difficile et laboriosum unicuique exstet salvare animam propriam; intimo quoque cordis affectu pensetis quam longe distetis non solum ab illa auctoritate sufficientiaque docendi, imo quod etiam indigeatis adhuc doctoris et rectoris auxilio. Adhibete ergo veræ humilitatis medelam huic parti rationali, quam diximus specialiter vulneratam in vobis : quæ quum appareat in vobis infirmior ceteris animæ viribus, necesse est ut prima succumbat diabolicæ tentationi, nisi modo prætacto curetur.

CAPITULUM XVII.

Quod infirmior pars animæ tentationibus diaboli prima succumbat.

QUEMADMODUM etiam fieri solet in humanis corporibus, ut ingruentibus læsionibus seu adversis ex vehementi labore aut aeris corruptione, infirmiora membra seu partes teneriores primo lædantur atque succumbant, in quibus quum morbus magis resederit, tabefacit reliquas corporis partes; ita et anima uniuscujusque nostrum, flante vento peccati, tentatur præsertim illa passione contra quam minus munita est virtute contraria : ita quod
A infirmior atque tenerior portio seu potentia animæ non tam fortiter reluctatur validis impulsibus tentatoris, et inde incurrit captivitatis periculum, ubi incauta custodia reserat aditum faciliori proditioni. Sic namque Balaam pro certo consideravit populum Israel facilius decipi posse, consulens ut perniciosi laquei tenderentur ex illa parte qua noverat populum illum esse ad vitia proniorem, quia sciebat vires concupiscibiles esse corruptas in illis : unde non dubitavit eos esse casuros
B in vitia carnis, oblata copia feminarum. *Apoc.* II, 14; *Num.* XXV, 1, 2.

Sic itaque spirituales nequitiæ versuta malignitate tentant quemlibet nostrum, objiciendo laqueos insidiosos viribus animæ in quibus senserint eam amplius ægrotare. Verbi gratia, quum viderint vim rationalem esse vitiatam in aliquo, conantur eum decipere modo seu ordine quo Scriptura commemorat Achab regem Israel fuisse deceptum a Syris dicentibus : Scimus quod reges Israel clementes sint; ponamus itaque saccos in lumbis nostris *III Reg.* XX, 31, 32.
C et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel, et dicamus : Servus tuus Benadad dicit, Vivat, oro, anima mea. Quo audito, ille motus non vera pietate, sed vana laude suæ clementiæ, ait : Si adhuc vivit, frater meus est. Caveamus *Ibid.* 32.
ergo ne simili modo nos errore rationis deceptos, faciant dæmones incurrere Dei offensam ex iis ex quibus credebamus nos adepturos mercedem et recepturos præmia pietatis; ne et nobis dicatur increpatione consimili : Quoniam dimisisti *Ibid.* 42.
D virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus. Rursus diabolus intendit laqueum deceptionis per vim rationalem quam norat pronam ad deceptionem mortiferam, quando ait : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Sic *Ibid.* XXII, 22.
callidissimus hostis induxit Herodem ad tantorum innocentium necem, tentando *Matth.* II, 16.
irascibilem vim ipsius, quam scivit in eo plus vitiatam. Denique tentator opinatus est Christo posse idem accidere, tentando

eum in iis tribus viribus animæ, in quibus noverat totum genus hominum captivari; sed nihil profecit versutis insidiis. Aggressus est quippe concupiscibilem vim [Matth. iv, 3.] Christi, Dic (inquiens) ut lapides isti panes fiant; irascibilem quoque, quando co- [Ibid. 8, 9.] natus est Christum Deum instigare ad expetendum omnia regna mundi potestatemque sæculi; rationalem vero, quum [Ibid. 6.] dixit : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. In quibus omnibus nil ideo profecit, quia nil reperit vitiatum in prædictis viribus Salvatoris, secundum quod falsa opinione conjecturavit. Hinc nulla vis animæ Christi consensit insidiis hostis maligni, [Joann. xiv, 30.] imo verissime dixit : Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.

CAPITULUM XVIII.

Interrogatio, an rationabiliter traheremur ad patriam desiderio majoris silentii.

GERMANUS : Inter cetera genera deceptionum errorumque incitamenta quæ accenderant nos ad desiderium patriæ nostræ varia pollicitatione spiritualium commodorum (sicut beatitudo tua solerter consideravit), hoc fuit unum principium, quod non valemus hic vacare indesinenti abstractioni seu secreto ac diuturno silentio, quia interdum frequentamur a Fratribus; per quod necesse est aliquando violare seu intercidere mensuram et cursum abstinentiæ quotidianæ, quam cupimus indissolubiliter observare pro corporis castigatione. Quod credimus in provincia nostra nullatenus eventurum, quia in ea nullus aut rarissimus hujus professionis vir, videlicet anachoreticæ, invenitur.

CAPITULUM XIX.

Responsio de illusione diaboli, eo quod repromittat requiem solitudinis vastioris.

ABRAHAM : Velle nequaquam ab hominibus visitari, signum est irrationabilis et indiscretæ districtionis, imo potius summi teporis. Qui autem graditur passibus nimis tardis, et secundum pristinum seu veterem hominem conversatur in hac vita quam arripuit, æquum est ut nullus sanctorum, imo nec aliquis hominum ad ipsum deveniat. Porro si flagratis vera atque perfecta Christi dilectione, et pleno fervore sectamini Deum, qui caritas [I Joann. iv, 8.] est : necesse est ab hominibus visitari, ad quæcumque inaccessibilia loca fugeritis; et quanto ardor divini amoris fecerit vos Deo propinquiores, tanto major sanctorum Fratrum multitudo confluet ad vos. Nam juxta sententiam Domini : Non po- [Matth. v, 14.] test civitas abscondi supra montem posita. Et Deus locutus est : Diligentes me glorificabo; qui autem contemnunt me, [I Reg. ii, 30, juxta LXX.] erunt ignobiles. Verumtamen scire debetis hanc esse subtilissimam diaboli calliditatem, et occultissimam foveam in quam præcipitat miserabiles et incautos, ut dum eis promittit majora, subripiat eis necessaria quotidiani fructus emolumenta : persuadens eis expetere solitudines remotiores ac vastiores, quas depingit in corde eorum consitas esse amœnitatibus miris; confingit quoque quædam loca ignota, imo nec exsistentia, quasi nota et nostræ potestati jam præparata ac dedita, et absque ulla difficultate jam possidenda. Persuadet item mendaciter homines regionis illius esse tractabiles atque ad viam salutis proclives, ut dum illuc pollicetur uberiores animæ fructus, auferat lucra virtutum præsentia. Nempe quum quis hac vana spe separatus a salutari contubernio seu consortio seniorum, destitutusque fuerit omnibus quæ sibi frustra depinxerat in corde, quasi de profundissimo somno consurgens, expergefactus nihil inveniet. Itaque diabolus non permittet eum, irretitum majoribus necessitatibus vitæ præsentis et inextricabilibus laqueis, respirare ad ea quæ ipse sibi promiserat; nec patietur eum, jam obligatum visitationibus non spiritualium fratrum quas vitavit, sed quotidianis incursibus sæcularium hominum, redire saltem ad mediocrem quietem ac disciplinam anachoreticæ vitæ.

CAPITULUM XX.

Quod utilis sit rigoris remissio in Fratrum adventu.

ILLAQUE intercapedo seu interruptio remissiva rigoris quotidiani ex humanitate proveniens, quæ interdum admittitur propter Fratres advenientes, quamvis videatur molesta ac fugienda, breviter tamen attendite quam grata, utilis ac salubris exsistat spiritui vestro ac corpori. Sæpe accidit non solum novitiis et infirmis, sed et expertissimis ac perfectis, ut labantur in cordis teporem aut corporis ægritudinem gravem, nisi directio et censura mentis eorum fuerit emollita vicissim relaxationibus aliquantis. Ideo non solum patienter toleranda, imo et gratanter amplectenda est a prudentibus et perfectis, etiam crebra visitatio Fratrum. Primo, quoniam provocat nos desiderare semper avidius secreta solitariæ mansionis. Dum enim interpolare videtur cursum nostrum, conservat et infatigabilem quodammodo reddit eumdem : qui nisi aliquando aliquo obice retardaretur, non posset indefessa vivacitate durare usque in finem. Secundo, quoniam exhibet corpori refectionem cum fructu seu merito humanitatis, conferens nobis lucra majora cum jucundo corporis repausamento, quam sint illa quæ fuerant acquirenda per abstinentiam fatigantem. Super qua re breviter indicabo exemplum aptissimum.

CAPITULUM XXI.

Exemplum de Joanne apostolo, ad persuadendum quod dictum est.

FERTUR quod beatissimus Joannes evangelista, demulcendo cum manibus molliter perdicem, vidit venatorem quemdam venientem ad se. Qui venator admirans quod vir tantæ reputationis ac famæ dedisset se ad oblectamenta tam parva ac vilia, dixit : Tune es ille, cujus insignis ac
A celeberrima fama me quoque cum summo desiderio traxit ad te cognoscendum ? Cur ergo occuparis oblectamentis tam vilibus? Cui Apostolus : Quid, inquit, est quod portas in manu? Respondit : Arcus. Et Apostolus : Quare non gestas eum assidue tensum ? Qui ait : Ne fortitudo rigoris mollescat ac pereat ex curvatione continua, sicque rigore per nimiam tensionem amisso, violentior ictus non possit infligi, quum oportuerit fortiora jacula in feram aliquam dirigi. Cui Apostolus : Non ergo,
B o juvenis, offendat te tam parva ac brevis relaxatio animi nostri, qui nisi interdum remissione aliqua relevet vim sui rigoris, ex irremisso rigore lassatur, et obtemperare non potest virtuti contemplationique spiritus tempore opportuno.

CAPITULUM XXII.

Interrogatio, qualiter intelligendum sit quod ait Salvator : Jugum meum suave est, etc.

C GERMANUS : Quoniam contulisti nobis remedia contra nostras illusiones, et diabolicæ insidiæ quibus agitabamur, detectæ sunt (Deo præstante) per tuam doctrinam, precamur nobis exponi quod in
Evangelio dicitur : Jugum meum suave *Matth.* xi,
est, et onus meum leve. Quod videtur sa- 30.
tis contrarium verbo illi Psalmistæ : Pro- *Ps.* xvi, 4.
pter verba labiorum tuorum ego custodivi
vias duras; quum et Apostolus dicat : Om- II *Tim.* iii,
nes qui pie volunt vivere in Christo, per- 12.
secutionem patientur. Porro, quod durum
D est et persecutionibus plenum, non potest esse suave ac leve.

CAPITULUM XXIII.

Responsio ad interrogationem præcedentem.

ABRAHAM : Facili documento experientiæ demonstrabimus verissimam esse prætactam Salvatoris nostri sententiam, si perfectionis viam aggressi fuerimus legitime secundum voluntatem ipsius, morti-

ficando omnia desideria nostra, voluntatesque nostras abscindendo: non permittentes in nobis residere aliquid de substantia mundi hujus, per quam inimicus inveniat potestatem dilacerandi atque vastandi cor nostrum, quum ei placuerit; sed sentientes nos non esse dominos nostri ipsius, *Galat.* II, 20. implentes veraciter illud Apostoli : Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus.

Quid enim esse poterit grave aut durum ei qui jugum Christi amplexus est tota virtute, qui in vera humilitate fundatus, B et Christi passionem semper respiciens, lætatur in cunctis injuriis sibi inflictis, *II Cor.* XII, 10. cum Apostolo dicens : Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; quum enim infirmor, tunc potens sum? Quo, inquam, damno rei familiaris torquebitur, qui perfecta paupertate gloriosus, voluntarie respuit propter Christum universas sæculi facultates, et omnes concupiscen- *Philipp.* III, 8. tias ejus arbitratur ut stercora, ut lucri- C faciat Christum; despiciens et excludens cunctorum æstus dispendiorum seu fervores incommodorum continua meditati- *Matth.* XVI, 26. one verbi illius evangelici : Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Insuper de cujus rei privatione tristabitur, qui fatetur sua non esse omnia quæ possunt auferri ab aliis, illud proclamans virtute invicta : *I Tim.* VI, 7. Nihil intulimus in hunc mundum, haud D dubium quod nec auferre quid possumus? Aut qua inopia superabitur fortitudo ipsi- *Marc.* VI, 8, 9. us qui non vult habere peram in via, æs in zona, vestem superfluam : imo cum *II Cor.* XI, 27. Apostolo gloriatur in multis jejuniis et fame et siti, in frigore et nuditate? Qui labor, aut quod præceptum superioris quantumlibet arduum poterit conturbare tranquillitatem pectoris ejus qui non habens in aliquo propriam voluntatem, occurrit non solum patienter, sed et gratanter in

A omnibus sibi injunctis aut jussis; quærens exemplo Christi facere voluntatem patris, non suam, dicens et ipse ad patrem suum : Non sicut ego volo, sed sicut *Matth.* XXVI, 39. tu? Postremo quibus injuriis, qua persecutione terrebitur, imo quod supplicium non erit ei jucundum qui in omnibus plagis cum Apostolis semper exsultat, cu- *Act.* V, 41. piens dignus haberi pro nomine Christi contumeliam pati?

CAPITULUM XXIV.

Cur jugum Christi videatur quibusdam amarum ac durum.

Quum autem jugum Christi videtur nobis non leve et suave, adscribendum est hoc contumaciæ nostræ, qui dejecti diffidentia et incredulitate, pugnamus perversitate inepta contra consilium Salvatoris dicentis : Si vis perfectus esse, vade, *Matth.* XIX, 21. et vende omnia tua, et sequere me. Quia retinemus nobis facultates terrenas, quarum vinculis quum diabolus teneat cor nostrum ligatum, quid restat, nisi ut dum voluerit nos separare a spiritualibus gaudiis, contristet nos diminutione aut ablatione earum : ad hoc laborans versutis dolis, ut suavitas jugi Christi et levitas oneris ejus gravia nobis reddantur per concupiscentias pravas, sicque semper excruciet nos irretitos vinculis facultatum quas nobis pro solatio reservamus ac requie; excruciet, inquam, nos sæcularibus curis, accipiens ex nobis ipsis id quo dilaniet nos? Nam funiculis peccatorum suo- *Prov.* V, 22, juxta LXX. rum unusquisque constringitur. Unde ut dictum est per Prophetam : Ecce omnes *Is.* L, 11. vos accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. Nam et Salomone testante : Unusquisque per quæ peccave- *Sap.* XI, 17, juxta LXX. rit, per hæc et punietur. Ipsæ etenim voluptates quibus utimur, sunt nobis tormenta, et deliciæ carnis, quasi carnifices, in suum retorquentur auctorem : quia necesse est eum qui suffultus est pristinis

opibus, humilitatem integram non habere, nec plenam mortificationem noxiarum voluntatum * acquirere.

* alias voluptatum

Interea patrocinantibus exercitiis istis virtutum, omnes angustiæ vitæ præsentis, et universa dispendia quæ potest infligere inimicus noster, non solum patientissime, sed et jucundissime sustinentur. Quibus virtutibus deficientibus, succrescit tam perniciosa elatio, ut etiam pro levissima injuria vulneremur mortiferis impatientiæ motibus, dicaturque nobis per prophetam Jeremiam : Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide quia malum et amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus. Quod ergo mira suavitas jugi Christi sentitur amara, quid est nisi quia amaritudo aversionis nostræ corrumpit nos? Quod item tam jucunda levitas divini oneris ingravescit, quid est nisi quoniam contumaci præsumptione contemnimus eum a quo sustinebamur? Quod et Scriptura manifeste testatur, quæ ait : Nam si ambularent semitas rectas, invenissent utique semitas justitiæ leves.

Jer. II, 18, 19. — Prov. II, 20, juxta LXX.

Hinc manifestum est, quod nos sumus qui pravis ac duris desideriorum sentibus asperamus semitas Domini rectas et leves : qui insensatissime deserentes regiam viam communitam apostolicis propheticisque silicibus, et complanatam Christi vestigiis omniumque Sanctorum, sectamur devia ac damnosa, id est vitiorum obliqua itinera; præsentibus quoque illecebris excæcati, reptamus per calles obscuros vitiorum tribulis impeditos, cruribus laceratis et nuptiali veste dirupta, non tantum configendi acutissimis aculeis veprium, sed etiam vulnerandi ictibus scorpionum atque serpentium ibi latentium. Tribuli enim et laquei in viis pravis; qui autem timet Dominum, abstinet se ab eis. De talibus Dominus loquitur per Prophetam : Oblitus est mei populus meus, frustra libantes et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito. Denique juxta Salomonis sententiam : Viæ nihil operantium stratæ sunt spinis, fortium vero tritæ sunt. Et ita deviantes ab itinere regio, ad cœlestem illam metropolim, in quam cursus noster est inavertibiliter dirigendus, non poterunt pervenire. Quod et Ecclesiastes satis notabiliter exprimit : Labor, inquiens, stultorum affliget eos; qui scilicet non cognoverunt transire in Jerusalem illam cœlestem, quæ est mater omnium nostrum.

Ibid. XXII, 5, juxta LXX. — Jer. XVIII, 15. — Prov. XV, 19, juxta LXX. — Eccle. X, 15. — Galat. IV, 26.

CAPITULUM XXV.

Quid utilitatis conferat nobis tentationum incursus.

Quicumque autem in veritate renuntiat huic mundo et super se portat jugum Christi, atque quotidianis injuriarum exercitiis eruditus, ab ipso didicerit quia mitis est et humilis corde, manebit semper in omni tentatione immobilis, et omnia cooperabuntur ei in bonum. Etenim juxta Michæam : Verba Dei bona sunt cum eo qui recte graditur; et Osee testatur : Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in ipsis.

Matth. XI, 29. — Rom. VIII, 28. — Mich. II, 7. — Osee XIV, 10.

Benigna itaque misericordia Salvatoris contulit nobis majora præmia laudis per colluctationem tentationum, quam si omnem talem impugnationem abstulisset a nobis. Sublimioris namque virtutis est, in persecutionibus et adversis manere semper immobilem, et cunctis contra se sævientibus, certum de Dei auxilio atque intrepidum perdurare, et accinctum humanis incursibus tanquam armis invictæ virtutis, impatientiam gloriosissime superare, de infirmitate quoque virtutem acquirere, quoniam virtus in infirmitate perficitur. Unde ad Jeremiam Dominus loquitur : Ecce dedi te in columnam ferream et in murum æreum super omnem

II Cor. XII, 9. — Jer. I, 18, 19.

terram, regibus Juda et principibus ejus, et sacerdotibus, et omni populo terræ; et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum ut eruam te, dicit Dominus. Itaque juxta miram Christi sententiam, regia via suavis est, licet dura et aspera videatur. Qui enim pie et fideliter serviunt Deo, et super se ferunt ju-
Matth. XI, 29. gum ipsius, discentes ab eo quia mitis est et humilis corde, et deponentes nunc sarcinam terrenarum passionum; invenient (Deo præstante) non laborem, sed requiem propriis animabus, quemadmodum per Je-
Jer. VI, 16. remiam Dominus protestatur : State super vias, et videte, et interrogate diligenter de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea; et invenietis refrigerium
Is. XL, 4. animabus vestris. Nam prava fiunt eis continuo in directa, et aspera in vias pla-
Ps. XXXIII, 9. nas; gustantesque vident quia suavis est Dominus. Denique audient dicentem in
Matth. XI, 28. Evangelio Salvatorem, Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et deponentes pondera vitiorum, confestim intelligent quæ sequun-
Ibid. 30. tur : Quia jugum meum suave est, et onus meum leve.

Via igitur Domini refrigerium habet, si sinceriter observetur secundum legem ipsius; sed nos ipsi procuramus nobis dolores et tormenta turbulentis distentionibus nostris, malentes sectari vias sæculi hujus perversas ac pravas, etiam cum difficultate et summo discrimine. Porro quum hoc modo asserimus jugum Domini grave ac durum, blasphemo spiritu jam causamur de asperitate atque duritia ipsius jugi, vel Christi qui illud imposuit,
Prov. XVIII, 2, juxta LXX. juxta illud : Insipientia viri corrumpit vias ejus, Deum autem causatur in corde suo. Et juxta Ezechielem, quum dixeri-
Ezech. XVIII, 25. mus quia via Domini non dirigit, seu, Non est æqua via Domini; nonne congrue dicitur nobis a Domino : Numquid via mea non est æqua? et non magis viæ vestræ pravæ sunt? Et certe, si comparare volueris splendidum florem virginitatis suaviterque olentem castimoniæ puritatem tetris

A ac fœdis voluptatum volutabris, quietem securitatemque monachorum periculis et ærumnis hominum mundanorum, requiem nostræ paupertatis edacibus tristitiis et pervigilibus divitum curis, in quibus consumuntur diebus ac noctibus non absque summo vitæ periculo, comprobabis jugum Christi esse dulcissimum et onus ejus levissimum.

CAPITULUM XXVI.

B *Qualiter centuplum in hoc mundo repromittatur perfecte abrenuntiantibus.*

PROINDE retributio præmiorum, qua perfecte abrenuntiantibus in hac vita centuplum condonatur, Christo dicente : Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, *Matth.* XIX, 29.
aut sorores, aut patrem, etc., propter nomen meum, centuplum accipiet in præ- *Marc.* X, 30.
senti, et vitam æternam possidebit; eodem sensu accipitur recte atque verissime absque ulla fidei perturbatione. Multi quippe
C occasione hujus sententiæ crasso asserunt intellectu, quod in tempore illo mille annorum restituentur Sanctis ista carnaliter; quum utique fateantur, sæculum illud quod dicunt futurum post Resurrectionem, non posse intelligi sæculum præsens. Multo ergo credibilius manifestiusque tenetur, quod is qui propter Christum reliquerit aliquid sæcularium affectuum seu bonorum, recipiet etiam in hac vita caritatem centuplo gratiorem a fratribus et consortibus suæ vocationis, qui ei col-
D ligantur glutino spirituali. Hanc namque dilectionem, quam societas conjugalis aut consanguinitatis parit inter conjugatos aut propinquos, constat esse satis brevem ac fragilem. Nam et boni piique filii, quum adoleverint, excluduntur interdum a domibus substantiisque parentum; communio quoque consortii conjugalis separatur quandoque etiam ex causa honesta; caritatem propinquorum tollit contentio. Soli monachi perpetuam servant dilectionem, et omnia possident in communi. Si ergo

spiritualis nostra dilectio comparetur istis A quos carnalis amor conjungit, centuplo dulcior sublimiorque consistit. Conformiter, suavitas continentiæ conjugalis centuplo major erit ea quæ ex sexuum commixtione præbetur. Pro lætitia quoque quam quis habuit in possessione unius agri aut domus, perfruetur gaudio spiritualium divitiarum centuplo ampliori, qui trans-
Ephes. I, 5. iens in adoptionem filiorum Dei, possidebit universa quæ sunt Patris cœlestis, ut propria. Ad imitationem quoque veri ac unigeniti Filii dicet ex affectu et virtute, B
Joann. XVI, 15. Omnia quæ habet Pater, mea sunt; et securus ac lætus, non cum pœnali distentione et cura, succedet ubique quasi in propriis, audiens Apostolum sibi quotidie
I *Cor.* III, 22. prædicantem : Omnia vestra sunt, sive mundus, sive præsentia, sive futura; et
Prov. XVII, 2. juxta LXX. Salomonem : Fidelis viri totus mundus divitiarum.

Habes ergo hanc centupli retributionem in magnitudine meriti et in discretione tam incomparabilis eminentiæ designatam : ut si quis pro certo pondere æris C aut ferri aut alterius vilioris metalli reddat aurum ponderis tanti, restituit utique plus quam centuplum. Ita dum pro contemptu voluptatum et terrenorum affectuum recompensantur spirituale gaudium et pretiosæ caritatis jucunditas, spiritualia quoque charismata; plusquam centuplum redditur, etiamsi illa sint plura quam centum. Præterea ut crebra repetitione fiat hoc clarius, ecce ante habui conjugem in passione desiderii fragilis, eamdem nunc
I *Thess.* IV, 5. habeo in sanctificationis honore et vera D
Ibid. 4. Christi dilectione. Una est uxor, sed centuplum crevit meritum castitatis et caritatis. Si autem appenderis pro passione furoris et iræ assiduam lenitatem patientiæ, pro labore distentionis et sollicitudinis quietem securitatis, pro infructuosa et pœnali tristitia mundi hujus fructum tristitiæ spiritualis, pro vanitate gaudii temporalis ubertatem solatii interioris : videbis in commutatione horum affectuum centupli retributionem. Quod si merita virtutum quarumlibet comparentur brevi ac lubricæ voluptati vitiorum contrariorum, multiplicata jucunditas demonstrabit hæc centies meliora. Centenarius etenim numerus transfertur de sinistra ad dexteram, et licet videatur eamdem tenere figuram in supputatione digitorum, valde tamen excrescit in magnitudine quantitatis. Fiet enim ut qui videbamur gerere formam hœdi in sinistra, translati ad dexteram sortiamur meritum ovis. *Matth.* XXV, 33.

Nunc transeamus ad quantitatem rerum quas Christus promittit nobis in vita hac pro contemptu mundialium commodorum, præsertim secundum Marcum in evangelio suo dicentem : Nemo est qui reliquit *Marc.* X, 29, 30. domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam. Centuplam enim quantitatem parentum seu fratrum recipiet, quicumque transierit in sincerissimam caritatem omnium Christo deservientium, contempto amore unius patris, aut matris, seu filii intuitu Christi : pro uno videlicet patre aut fratre inveniens tot patres et fratres eum ferventiori ac præstantiori amore amantes. Ditabitur quoque multipliciori agrorum et domorum possessione, qui una domo propter Christum relicta, habebit ad usum suum parata innumera monasteria tanquam sua in omni mundi parte, succedens ibi quasi jure domus suæ. Quomodo enim non recipit centuplum, imo plusquam centuplum (si fas est adjicere aliquid promissioni Domini nostri), qui relinquens decem aut viginti obsequia servorum infidelia et coacta, fulcitur servitute spontanea tot ingenuorum atque nobilium? Quod verum esse potuistis probare propriis experimentis, qui relictis parentibus et domibus propriis, invenitis innumeros patres, matres, fratres, sorores, domos et agros et fidelissimos servos,

quocumque ingressi fueritis, absque ullo A sollicitudinis vestræ labore : qui vos ut proprios dominos humiliter suscipiunt, amplectuntur, fovent et venerantur suis obsequiis. Hoc, inquam, ministerio perfruuntur confidenter, qui prius subdiderunt voluntaria devotione se ipsos et omnia sua in obsequia Fratrum : nam juxta *Matth.* VII, 2. sententiam Domini, recipiunt libere quod aliis impenderunt. Porro qui ista aliis non impendit, qua ratione promittit sibi ea ab aliis exhiberi, quum intelligat se gravari eorum obsequiis potius quam foveri, quia B magis vult accipere famulatum Fratrum quam reddere ?

Verumtamen percipiet omnia ista non cum inerti delectatione aut securitate re- *Marc.* X, 30. missa, sed cum persecutionibus, juxta sententiam Salvatoris, id est, cum pressuris mundi et summis angoribus afflictionum; *Prov.* XIV, 23, juxta LXX. quia ut Salomon protestatur : Qui suavis et sine dolore est, in egestate erit. Re- *Matth.* XI, 12. gnum enim cœlorum recipiunt violenti : non desides, remissi, delicati aut teneri. Qui ergo sunt hi violenti, nisi qui præcla- C ram violentiam inferunt, non aliis, sed voluntatibus et desideriis suis? Qui direptione laudabili fraudantes se voluptate omnium rerum præsentium, pronuntiantur a Deo direptores egregii, atque per talem rapinam violenter invadunt regnum *Ibidem.* cœlorum, quod Christo testante, vim patitur, et violenti rapiunt illud. Isti profecto sunt laudabiles violenti, qui cum vi quadam frangunt et salubriter perdunt se *Prov.* XVI, 26, juxta LXX. ipsos, quia ut scriptum est : Homo in doloribus laborat sibi, et vim facit perdi- D tioni suæ. Perditio etenim nostra est oblectatio vitæ præsentis, et (ut clarius dicam) exsecutio desideriorum et voluntatum nostrarum : quas si quis sibi subtraxerit, ac mortificaverit eas, gloriosam ac utilem vim facit suæ perditioni, abnegans proprias voluntates sibi jucundas, quas Deus *Is.* LVIII, 3. per Isaiam increpat, dicens : Quia in diebus jejunii vestri invenitur voluntas ve- *Ibid.* 13. stra; et iterum : Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et glorificaveris Deum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem, etc. Cui quanta beatitudo reddetur subjungit Propheta, dicendo : Tunc delectaberis super *Is.* LVIII, 14. Dominum, et sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hereditate Jacob patris tui; os enim Domini locutum est. Hinc Dominus et Salvator, ut daret nobis formam propriarum voluntatum amputandarum, fatetur : Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit *Joann.* VI, 38. me; et iterum : Non sicut ego volo, sed sicut tu. *Matth.* XXVI, 39. Quam virtutem specialiter implent, qui in cœnobiis commorantes, reguntur imperio senioris : qui nihil agunt suo arbitrio, sed voluntas eorum dependet ex voluntate abbatis.

Postremo ut sermo collationis hujus claudatur, nonne hi qui Christo fideliter serviunt, consequuntur in hoc centuplam gratiam, dùm a summis principibus honorantur propter Christum; et quamvis humanam gloriam non requirant, tamen in persecutionum angustiis fiunt venerabiles judicibus ac potestatibus cunctis ? Qui in mundo despicabiles forte fuissent mediocribus hominibus, ex vili seu modica parentela aut conditione servili, si in conversatione sæculari mansissent. Sed propter nobilitatem militiæ Christi, nemo apponit calumniam eis movere, nemo audet generis obscuritatem opponere : imo famuli Christi gloriosius nobilitantur opprobriis vilis conditionis, quibus alii solent dehonestari atque confundi. Quod evidentius possumus comprobare in abbate Joanne commorante in eremo juxta oppidum Lyco. *Cf.* p. 45 C. Qui ex ignobilibus parentibus natus, ita admirabilis factus est pene universo humano generi pro nomine Christi, ut potentissimi imperatores metuendi cunctis potentibus ac regibus mundi, venerentur eum ut patrem ac dominum; et requirentes oracula ejus de regionibus tam longinquis, committant meritis et orationibus ejus apicem sui imperii, statum suæ salutis et proventus bellorum.

Tali sermone B. Abraham de medela A atque origine nostræ illusionis disseruit, et oculis nostris manifestavit insidias cogitationum quas ingessit diabolus, nosque accendit desiderio veræ mortificationis. Quo etiam multos confidimus inflammandos, quamvis hæc omnia scripta sint sermone incompto. Nam licet tepida eloquii nostri favilla operuerit ardentissimas summorum Patrum sententias, calefaciendum tamen speramus algorem multorum, qui relictis verborum cineribus, voluerint suscitari vivacitate latentium sensuum.

Sed, o sanctissimi Patres, non elatus spiritu præsumptionis misi ad vos ignem istum (quem Dominus venit mittere in terram, et quem desiderat nimis ardere), ut ferventissimum propositi vestri calorem accenderem horum adjectione, sed magis ut esset vobis major auctoritas apud filios vestros, dum præcepta ac documenta summorum et antiquissimorum Patrum confirmant id quod ipsi docetis, non inani sono verborum, sed vivo exemplo. Superest ut spiritualis aura orationum vestrarum comitetur me, hactenus jactatum pe- B riculosissima tempestate, ad tutissimum portum silentii.

Luc. XII, 49.

FINIS TRANSLATIONIS LIBRORUM J. CASSIANI

INDICES

INDEX S. SCRIPTURÆ

JUDICUM.

III REGUM.

IV REGUM.

II PARALIPOMENON.

JOB.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

BARUCH.

EZECHIELIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I AD THESSALONICENSES.

II AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

II PETRI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX ANALYTICUS

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

L

M

P

Q

R

T

U

V

X

Z

INDEX GENERALIS

LIBRI PRIMI COLLATIONUM SS. PATRUM TRANSLATIO.

LIBRI SECUNDI COLLATIONUM SS. PATRUM TRANSLATIO.

EMENDANDA. Pag. 23 A, lin. 6 : melotes, *lege* melotis ; — 24 A, lin. 3 : qui modus,... quis modus ; — 29 A', lin. 6 : Officium,... officium ; — 196 A, lin. 1, *lege* quæ quamvis..., victis ; — 198 B', lin. 10 : contemplantes,... contemplantis ; — 231 D, lin. 1 : aliquos,... alios ; — 271 in fine : Elladio,... Helladio ; — 272 A', lin. 2 : jam prædicti,... Panephysis ; *ibid.* B', lin. 5 : prænominata,... Thenneso ; — 297, lin. ult. : col. 646,... col. 946 ; — 337 C, lin. 8 : sub lege,... sine lege ; — 372 B, lin. 7 : duos,... quinque.

DUBIA. Pag. 33 A', lin. 8 : convertentes, *alias* confluentes ; — 36 A', lin. 10 : fervore,... fœnore.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.